COMENTUM

SUPER

DANTIS ALDIGHERIJ

COMŒDIAM

TOMUS QUARTUS

PURG. XXI-XXXIII; PAR. I-VIII.

BENEVENUTI DE RAMBALDIS

DE IMOLA

COMENTUM

SUPER

DANTIS ALDIGHERIJ

COMŒDIAM

NUNC PRIMUM INTEGRE IN LUCEM EDITUM

SUMPTIBUS GUILIELMI WARREN VERNON

CURANTE JACOBO PHILIPPO LACAITA.

TOMUS QUARTUS.

FLORENTIÆ,

TYPIS G. BARBÈRA.

MDCCCLXXXVII.

COMENTUM PURGATORII.

CANTUS VIGESIMUS PRIMUS, *in quo tractat sicut invenerunt aliquem vocatum Statium in medio itineris, qui cum Virgilio multa receptavit non ipsum cognoscens; et postea sicut interrogavit Dantem quis esset Virgilius et Dantes ex verbo Virgilii dixit ei omnia.*

La sete natural che mai non sazia. Postquam in præcedenti capitulo poeta noster docuit multipliciter vitare vitium avaritiæ, nunc consequenter in præsenti capitulo XXI agit et tractat de purgatione prodigalitatis, quæ punitur eadem pœna simul cum avaritia et in eodem circulo. Et istud capitulum potest dividi in quatuor partes principales; in prima quarum introducit unam animam illustrem antiquam nuper purgatam vitio prodigalitatis, cui Virgilius narrat in generali conditionem sui et Dantis. In secunda Virgilius inquirit a dicto spiritu de causa terræmotus et clamoris prædicti, ibi: *Ma dimmi.* In tertia Virgilius inquirit ab eodem quis fuerit, et de causa suæ diuturnæ pœnæ, ibi: *E'l savio duca.* In quarta et ultima poeta manifestat Virgilium dicto spiritui, ibi: *Volser Virgilio.* Ad primum ergo dico quod poeta introducit animam illustrem antiqui poetæ prodigi; sed primo præmittit suam continuationem ad præcedentia: quia enim in fine capituli præcedentis concluserat quanto ardore

desiderabat scire causam illius terræmotus, ideo nunc replicans idem ostendit suam dispositionem; et dicit, quod appetitus sciendi nimis molestabat eum. Sed ad pleniorem intelligentiam literæ est primo sciendum, quod cum (1) Christus de Judæa iret in Galilæam transiens per Samariam pervenit ad locum ubi erat fons Jacob, et fatigatus ex itinere cœpit sedere ibi. Et ecce mulier samaritana venit ad hauriendam aquam; discipuli enim iverant in civitatem ad emendum (2) cibos. Dixit ergo Jesus: da mihi bibere. Cui mulier respondit: quomodo cum sis judæus petis a me samaritana bibere? non enim coutuntur judæi samaritanis. Respondit (3) Jesus: si scires donum Dei quanti valoris sit petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam; et subdit: omnis qui biberit ex aqua hac sitiet iterum; * qui autem biberit ex aqua quam ego dabo tibi non sitiet unquam * (4). De ista aqua dicetur Paradisi capitulo XXX. Nunc erit litera clara quam expone sic: *La sete natural,* idest, desiderium sciendi; nam omnes naturaliter scire desiderant; cuius ratio videtur quia unusquisque appetit naturaliter perfici. Scientia autem est perfectio animæ, licet talis perfectio non habeatur in via ad plenum, sed solum in patria; ideo dicit: *che mai non sazia,* appetitum animi, *se non con l' acqua,* scilicet viva, quæ est gratia Spiritus sancti, *onde,* idest, aqua, *la femminetta samaritana adimandò la grazia,* cum dixit: *Domine, da mihi de hac aqua ut non sitiam in æternum,* sicut scribitur Joannis IV capitulo. Et hic nota quod samaritani differunt a judæis, sicut græci a latinis, quia sunt scismatici in fide; nam quando videbant judæos florere appellabant eos cogna-

(1) E. cum Redemptor noster pretiosissimus Dominus noster Jesus Christus de.
(2) E. emendos.
(3) E. Respondit Dominus Jesus.
(4) Le parole fra i due asterischi sono dei Codici E. e S.

tos quasi de Joseph nati, cum tamen venerint olim de Persia. Quando vero videbant eos deletos non communicabant secum. Ista ergo sitis, *mi travagliava,* idest, turbabat et fatigabat mihi mentem, *e pungeami la fretta,* idest, festinantia stimulabat me ut irem cito, *per la impacciata via,* occupatam ab illis spiritibus jacentibus, *dietro al mio duca,* quia ibat multum expedite, *e condoleami a la giusta vendetta,* idest, compatiebar pœnæ avarorum, licet meritæ: et vere pœna istorum est amarissima, quia sunt privati magnis bonis, scilicet luce, quia non vident nisi terram, et libertate omnium membrorum. Et sic tria erant vexantia autorem, scilicet, aviditas sciendi, velocitas eundi et misericordia alienæ pœnæ. — *Et ecco.* Hic poeta describit apparitionem unius illustris poetæ per unam nobilem comparationem. Et ad intelligentiam huius peregrinæ et artificiosæ comparationis est primo sciendum, quod multi mirantur quare poeta noster christianissimus facit Statium non christianum hic stare, nescientes videre causam: ideo primo dico quod poeta potuit coniecturare ex multis indiciis Statium fuisse christianum. Nam si Virgilius qui fuit ante Christum sensit aliquid de illo per carmina sybillæ, ut testatur Augustinus, quanto magis Statius, qui vidit tempore suo crudele exterminium et inauditum antea quod fecit Titus de judæis, et tot miracula facta per martyres quos Domitianus frater Titi crudelissime persecutus est, cum christianum nomen semper magis cresceret. Fuit etiam Statius ausus dicere in maiori: *Primus in orbe Deos fecit timor.* Fuit (1) et honestissimus et moralissimus in omnibus suis dictis; sed sive fuerit christianus, sive non, non facio vim in hoc, quoniam subtiliter et necessario poeta hoc fingit, quia multa

(1) E. Fuit etiam.

erant tractanda per eum quæ non poterat sine poeta christiano, ut patebit in XXV capitulo et alibi. Sed poeta potius introducit eum hic, quia constat ipsum vixisse in summa egestate et inopia; quod non videtur potuisse contingere viro tantæ excellentiæ in urbe, in qua dicitur rhetoricam docuisse, nisi ex errore prodigæ largitatis. Introducit autem hunc clarissimum poetam per nobilissimam comparationem, dicens: *Et ecco un' ombra,* idest, illustris anima Statii, *ci apparve,* nobis duobus, *sì come ne scrive Luca,* XXIIII et ultimo capitulo, *che Cristo già surto,* idest, levatus per (1) resurrectionem, *fuor della sepulcral buca,* idest extra os sepulcri, *apparve a' duo,* scilicet, discipulis, *ch' erano in via,* euntes ad castellum Emmaus; et dicit: *e dietro a noi venia,* illa umbra, *da piè guardando la turba che giace,* scilicet, multitudinem avarorum magnam jacentium per terram, in quorum numero et supplicio ipse erat paulo ante; et dicit: *nè ci addemmo di lei,* idest, non perpendimus de illius subita apparitione, *sì parlò pria, dicendo: O frate' miei, Dio vi dia pace,* scilicet, æternam, ad quam ego tendo. Et hic nota quantum dicta comparatio est propria. Sicut enim (2) Christus post resurrectionem de sepulcro apparuit duobus apostolis ignotus, quos salutavit; ita nunc Statius post liberationem suam ex carcere (3) apparuit ignotus duobus poetis quos similiter salutavit. — *Noi.* Hic poeta ponit responsionem Virgilii qui reddidit illi vicem vultu et verbo; unde dicit: *Noi,* ambo, *ci volgemmo subito,* ad rem novam, quia nondum viderant in toto circulo isto animam liberam, solutam et lætam nisi istam. Et hic nota quod poeta (4) noster cum fecerit tam longum tractatum de avaris in isto circulo, nunc introducit

(1) E. per gloriosissimam eius resurrectionem.
(2) E. enim Dominus noster Jesus Christus post.
(3) 117, illo carcere. (4) S. autor noster.

unum solum prodigum, quia avari sunt infiniti, et prodigi rari, et sunt magis clari. Dicit ergo: *e Virgilio rendè lui il cenno ch' a ciò si conface;* quia pari reverentia inclinavit caput illi, et resalutavit (1) illum. Unde dicit: *poi cominciò,* supple, dicere: *la verace corte,* scilicet divina, in qua non regnat invidia, non valet adulatio, *che me rilega,* idest, confinat, *nell' eterno esilio,* scilicet, in limbo inferni, ubi sum exul æternaliter a curia illius regis, *ti ponga in pace,* quam nuntiasti nobis, *nel beato concilio,* idest, in concistorio beatorum. Et sic vide, quomodo Virgilius captat benevolentiam optando illi illud bonum quod pro se numquam sperat. — *Come!* Hic poeta ponit petitionem quam fecit Statius ex admiratione, dicens: *diss' egli,* scilicet, Statius (2): *Come!* idest, quomodo est istud factum mirabile, *se voi siete ombre che Dio su non degni,* idest, quas Deus non faciat dignas ascensione superna, sicut tu dicis quod relegaris in inferis, *chi v' ha tanto scorte,* jam per tot gradus, *per la sua scala,* idest, per montem purgatorii qui ducit ad cœlum? Et facit unam parenthesim, dicens: (*e parte andavam forte*), idest, et interim ibamus velociter, nec tardabamus illis loquentibus, ita quod hic *parte* non denotat portionem, nec est nomen, imo adverbium, et tantum valet quantum in isto medio, et est vulgare florentinum. Et subdit responsionem Virgilii ad Statium dicens: *e 'l dottor mio,* scilicet, Virgilius dixit: *se tu riguardi i segni,* scilicet, P nigra (3), *che questi porta,* scilicet, iste poeta novus gerit in fronte, *e che l' angel profila,* idest, quæ signa angelus describit cum ense unicuique intranti purgatorium, quorum quatuor jam delevit, et tria adhuc restant delenda, *ben vedrai che convien ch' e' regni coi buoni,* idest, quod sit de numero salvandorum, licet ego sim dam-

---

(1) 117, salutavit. (2) 117, ille Statius. (3) 117 e E. pars nigra.

natus. — *Ma.* Hic Virgilius assignat causam, quare ex inferno venerit ad purgatorium; et sic respondet quæstioni tacitæ. Poterat enim Statius dicere: quomodo ergo vel quare venisti cum salvando? respondet Virgilius: quia Dantes adhuc vivus per se non (1) poterat ascendere. Dicit ergo: *Ma l' anima sua,* idest, istius Dantis, qui (2) dedit se isti speculationi, *ch' è mia e tua serocchia,* idest soror, quia sumus tres fratres amantissimi et tres poetæ maximi ab uno patre Deo, *non potea venir sola,* quia sociata erat a carne; et reddit causam: *però ch' al modo nostro non adocchia,* idest, quia anima coniuncta corpori non videt acute, nec speculatur sicut separata. Et tangit (3) quare iste vivit sub verbis occultis. Ad quod est notandum, quod poetæ fingunt tria fata, quorum officia figurant sub specie trium mulierum, quarum una portat colum, secunda trahit filum, tertia vero truncat filatum. Prima vocatur Clotho quæ interpretatur productio de non esse ad esse; et per hanc dant (4) intelligi nativitatem hominis. Secunda vocatur Lachesis, quæ interpretatur sors; et significat cursum humanæ vitæ quæ sub sorte laborat. Tertia vero vocatur Atropos quæ est deductio ab esse ad non esse, et interpretatur sine conversione, quia a morte ad vitam est impossibile (5) fieri regressum. Dicit ergo: *perchè colei,* scilicet, Lachesis, *che dì e notte fila,* quia paulatim dum (6) non sentimus subtrahitur semper aliquid vitæ nostræ; unde vivendo morimur (7), et stando (8) currimus, *non gli avea tratta ancora la conocchia,* idest, stuppam, quasi dicat: nondum consumpserat calidum naturale et humidum radicale, *che Cloto impone a ciascuno e compila;* quia a

(1) 117, non poterat huc accedere.
(2) E. quæ dedit se huic speculationi.
(3) 117, tangit causam quare.
(4) 117, dat intelligi.
(5) S. impossibile regressum.
(6) E. dum nunc stetimus subtrahitur.
(7) S. semper morimur.
(8) E. et stando attrahimur, *non gli.*

principio datus est homini terminus vivendi. Hoc autem totum non vult aliud dicere nisi quod iste adhuc vivus non poterat solus huc ascendere (1), quia more nostro non poterat contemplari. Et concludit: *ond' io fui tratto fuor de l' ampia gola d' inferno,* idest, de limbo, qui est primus magnus circulus in introitu inferni, *per mostrarli,* scilicet, pœnas damnatorum; *e mostrerolli oltre,* scilicet, pœnas purgatorum, *quanto 'l potrà menar mia scuola,* idest, mea doctrina. Bene dicit, quia ratio naturalis per scientiam humanam cognoscit, quod vitiis debentur supplicia; et omnis lex hoc jubet et omnis philosophia hoc (2) sentit.

Ma dimmi. Ista est secunda pars principalis, in qua Virgilius quærit a Statio de causa terræmotus et cantus facti. Dicit ergo: *Ma dimmi se tu sai,* verisimiliter enim debes scire cum steteris hic per tot secula annorum, *perchè 'l monte diè dianzi tai crolli,* idest, quare mons dedit paulo ante tam terribiles motus et agitatus, *e perchè tutti ad una,* et quare omnes spiritus simul, *parver gridar,* scilicet, gloria in excelsis Deo etc., *infino a' suoi piè molli?* idest, usque ad radices montis, ubi sunt junci et limus mollis, ut patuit primo capitulo huius libri. Et subdit poeta, quod ex sola petitione Virgilii satis quietatus est animus eius, quia, scilicet, concepit spem certam sciendi quod optabat. Unde dicit: *sì mi diè dimandando,* ille Virgilius de prædictis; *per la cuna del mio disio,* idest, cunabulum desiderii, quia expectabam velut puer in cunabulo expectat lac a nutrice cum acuto appetitu, *che la mia sete,* idest, desiderium sciendi, *si fece men digiuna,* idest, appetens, *pur con la speranza,* ante responsionem. — *Quei.* Hic poeta ponit responsionem Statii qui exorditur (3) parum a longe; et dicit, quod

(1) 117, accedere. (2) S. hoc scribit. (3) E. exorditur a longe.

nulla ratione naturali potest fieri terræmotus vel alia alteratio in monte illo, sed ratio divina est causa talis motus. Dicit ergo: *quei,* scilicet, Statius, *cominciò,* supple, dicere in generali: *cosa non è,* aliquid non est, *che senta la religione della montagna;* religio est idem erga Deum quod reverentia apud parentes vel maiores, *senza ordine,* quo nihil est pulcrius in rerum natura, *o che sia fuor d' usanza;* quia consuetudo est altera natura, quasi dicat: nihil fit hic fortuitum vel casuale, sed tamen quod fit non fit ratione naturali, sicut in mundo vestro. Unde dicit: *libero è qui da ogni alterazione,* quæ fit in terris vel montibus vestris; sed bene, *esserci puote di quel che il ciel riceve da se in se,* quasi dicat: non per viam naturæ, *e non d' altro, cagione;* quia non eo modo quo cœlum attrahit a terra et aqua. Unde nota quod sol suo calore attrahit vapores, fumos et humores quos condensat in nubes, et sic condensatos resolvit nunc in pluvias, nunc in rores, nunc in nives, nunc in pruinas, et sic de aliis. — *Perchè.* Hic Statius breviter colligit generales impressiones, quæ naturaliter (1) fiunt in aere, quarum nulla fit ab introitu purgatorii supra. Et ad intelligendam literam est (2) primo notandum quod sol ab inferioribus elementis elevat vaporem (3) ad locum frigidum, ubi inspissatur (4) in nubem; et frigidum loci incipit (5) expellere calidum, et si expellit subito fit pruina, quæ est dura; si non subito fit nix quæ est mollis de facili compressibilis. Materia enim humidarum impressionum est una, licet differenter; materia enim pluviæ est nubes frigida; materia nivis est nubes calida; materia roris est vapor temperatus et subtilis; materia grandinis est nubes calidissima, a qua totum simul egreditur

(1) 117 e E. notabiliter.
(2) E. est sciendum primo quod.
(3) E. vapores.
(4) E. inspissantur.
(5) E. cupit expellere.

frigidum, sed a nube nivis egreditur paulatim; vapor etiam nivis, multum habet de terrestri admixto; unde aqua nivis non est pura, imo perniciosa, sed fecundat multum terras. Dicit ergo Statius: vere hic nulla est alteratio, *perchè non pioggia, non grando, non neve, non rogiada, non brina cade più su che la scaletta breve, de' tre gradi,* quæ ducit ad portam purgatorii, ut infra dicit. Et hic nota quod sicut aliqui volunt, vapores qui elevantur a sole, ex quibus pluvia, nix, grando, et omnis aerea impressio generatur, ad plus tendunt in altum per octo milliaria, et ab inde supra non fit generatio aliqua. Et tangit materiam dictarum impressionum, dicens: *nuvole spesse non paion,* idest, non apparent nobis, *nè rade, nè corruscare,* quia ignis (1) fulguris fit inclusus in humido aqueo. Et tangit subtilius aliam impressionem, dicens: *nè figlia di Taumante,* idest, Iris, quæ vocatur arcus pluvialis. Ad quod nota quod Iris est nubes soli opposita, radiis (2) solis multipliciter informata. Poetæ autem fingunt Iridem fuisse filiam Thaumantis; nam Thaumas græce, latine interpretatur mirabilis; et sine dubio res mirabilis est, et mirabilis (3) apparet oculis nostris; et dicit: *che di là,* idest, quæ Iris in mundo vestro, *cangia sovente contrade,* idest, mutat sæpe regiones. Hoc ideo dicit, quia si Iris apparet in mane, videtur ab occidente, si in vesperis in oriente. — *Secco.* Hic Statius tangit rationem naturalem venti et terræmotus: nam ventus est vapor siccus et subtilis elevatus a sole; et terræmotus fit quando ventus intrat viscera terræ et incarceratus non potest exire: ideo violenter commovet terram et (4) tremere facit. Dicit ergo: *Secco vapor non sorge più avante,* idest, magis sursum, *ch' al sommo de' tre gradi,* illius brevis scalæ, *ch' io parlai,* supra capi-

(1) E. ignis fit inclusus.
(2) E. et radiis solaribus.
(3) E. mirabilior.
(4) E. et facit eam tremere. Dicit.

tulo IV, et glosat dictum suum, dicens: *dove ha il vicario di Pietro le piante;* quia angelus Domini qui figurat sacerdotem sedet in limine portæ et tenet pedes in summo gradu. Dicit ergo: *trema forse più giù,* infra dictum gradum, *poco o assai;* quia fit terræmotus parvus vel magnus; et tangit causam (¹) terræmotus, dicens: *ma, per vento che 'n terra si nasconda, non so come,* quasi dicat: qualitercumque; sed, *quassù non tremò mai,* scilicet, per viam venti. Et finaliter Statius assignat veram causam illius terræmotus spiritualem et moralem, dicens: *tremaci quando alcuna anima monda,* idest, perfecte purgata, *si sente, sì che surga,* sicut avari jacentes, *o che si muova,* sicut alii non jacentes, vel non ligati; *per salir su,* ad alium gradum superiorem, *e tal grido,* qualem audivisti, scilicet, gloria in excelsis Deo, *seconda,* idest, sequitur immediate tremorem. — *Della mondizia.* Hic Statius respondet quæstioni tacitæ: poterat enim (²) Virgilius statim petere: ad quid vel quomodo cognoscitis vos quod aliqua anima sit purgata? respondet Statius: *il sol voler,* idest, sola voluntas, *fa pruova che, tutto libero,* sine aliqua necessitate, *l'alma sorprende a mutar convento,* scilicet, ascensum ad altiorem gradum purgatorii, *e di voler le giova,* idest, et tunc delectat ipsam animam velle mutare conventum. Et continuo Statius facit aliam antipophoram necessario; quia Virgilius erat statim dicturus: quomodo, nonne vult semper exire pœnam? respondet Statius, quod vult, sed non libere, quia anima sponte subiicit se culpæ (³) exigente divina justitia. Dicit ergo: *prima vuol bene,* scilicet, mutare gradum illa anima antequam recedat a pœna, *ma il talento non lascia,* idest, appetitus non permittit; quasi dicat, quod

(¹) 117, causam generationis terræmotus.
(²) E. enim dicere Virgilius et statim.
(³) 117, pœnæ, sicut sponte obiecit se culpæ exigente.

licet velit, tamen non desiderat ascendere ante debitam satisfactionem; et ecce causam: *che,* idest, quia, *la divina giustizia pone al tormento,* ipsam animam peccantis, *con tal voglia,* eadem voluntate libera, *come fu al peccar:* de tali voluntate dicetur infra capitulo XXIII. — *Et io.* Hic Statius confirmat quod dixit exemplo sui, et sic manifestat suam liberationem. Dicit ergo: *Et io che son giaciuto a questa doglia,* idest, ego qui subiacui huic dolorosæ pœnæ avarorum, *cinquecento anni e più,* ultra quartum centesimum annum quo steterat pro accidia in quarto circulo, ut dicetur infra, *pur mo sentii libera volontà di miglior soglia,* idest, ascendendi ad meliorem et superiorem gradum. Et concludit Statius, quod ille tremor montis et clamor spirituum factus est propter eum. Dicit ergo: *però sentisti il tremoto, e li pii spiriti,* scilicet, avarorum, qui fuerunt in vita impii et alios spiritus, *per lo monte render lode a quel Signor,* dicentes: Gloria in excelsis Deo, *che tosto su gl' invii,* idest, dirigat ad superiores gradus sicut me inviavit. Et ultimo poeta ponit effectum responsionis factæ a Statio, quia remansit quietatum desiderium eius omnino. Dicit ergo continuative: *così gli disse,* Statius Virgilio; *e non saprei dir quanto mi fece prode;* quasi dicat: nimis profecit siti meæ naturali, de qua dictum est in principio capituli. Hoc autem declarat per metaphoram propriissimam, dicens clare: *però che si gode tanto del bere quanto è grande la sete.* Et hic nota quod potio est grata non tam ex qualitate vini, quam ex dispositione bibentis; sicut gratia exempli Xerses potentissimus rex persarum, qui cum innumerabili exercitu invasit Græciam dum viliter [1] debellatus turpiter et trepide fugeret, visa in via aqua turbida, fœtida, statim declinavit ad terram et cœpit avi-

---

[1] E. viriliter.

dissime bibere; de quo increpatus a milite socio dixit se numquam melius bibisse, quia numquam habuerat sitim (1).

E 'l savio. Ista est tertia pars principalis huius capituli, in qua (2) Virgilius inquirit a Statio quis fuerit; et primo asserit se clarum de responsione facta ad captandam benevolentiam; unde dicit: *E 'l savio duca,* scilicet, Virgilius, supple, dixit Statio: *omai veggio la rete,* scilicet, peccatum avaritiæ, *che qui vi piglia,* idest, tenet vos hic captos et ligatos, *e come si scalappia,* idest, et video quomodo aperitur illud rete quando liberamini; et similiter video, *perchè ci trema,* idest, qua de causa fit hic terræmotus, *e di che congaudete,* idest, congratulamini invicem regratiantes Domino de liberatione alicuius animæ. Et petit duo, dicens: *ora piacciati ch' io sappia chi fosti,* ea placibilitate qua jam usus es mecum placidissime virorum, *e perchè sie' giaciuto qui,* sicut et alii avari, *per tanti secoli,* idest, per tot centenaria annorum, scilicet, quinque; quasi dicat: bene potest esse purgata avaritia in te, si fuisset avaritia Midæ vel Crassi. Et dicit: *nelle parole tue mi cappia,* sicut avari sunt capti hic, et alios capiunt in vita; quasi dicat: loquere mihi clare, rogo te, sicut ego locutus sum tibi. — *Nel tempo.* Hic poeta ponit responsionem Statii ad primam petitionem Virgilii, qui primo describit se ab optimo principe sub quo claruit. Et ad intelligendam istam literam sane, quam multi ignoranter pervertunt, est attente sciendum, quod sicut potest colligi ex multis autoribus, Nero imperator ad refrænandum furores hebræorum, qui facti erant rebelles romano imperio, misit Vespasianum virum sapientissimum et strenuissimum armorum, qui ferro et igne primo vastavit Galilæam, deinde reliquas

(1) 117, maiorem sitim. (2) E. in qua poeta Virgilius.

provincias Judææ; sed certus factus quod omnis multitudo judæorum convenerat Hierosolymam ad offerenda sacrificia Deo suo secundum morem antiquorum patrum, motis signis cinxit totam urbem obsidione; sed quia civitas nobilissima regalis erat inexpugnabilis munitione murorum et multitudine virorum, vetus perseverantia romanorum plus potuit quam (1) obstinata, inaudita pertinacia judæorum. Civitas ergo ab extra hostium viribus quassabatur; intus vero crudelius dissensionibus vexabatur. Nam tres tyranni, scilicet Joannes, Simon, Eleazarus occupaverant tres regiones urbis, qui licet viderentur concordes contra hostes tamen sæpe bellis lacerabant: sed nec discordia civium, nec ruina murorum, nec occisio virorum, nec suasio romani principis, qui eos ad pacem invitabat, potuerunt flectere gentem duræ cervicis, ut non potius vellent omnia extrema tollerare. Interim, Nerone sublato, Vespasianus, licet invitus et omnino recusans, factus imperator a militibus rediit Romam, et Titus filius eius juvenis omnium laudatissimus remansit dux belli, qui ipsam Jerusalem, cognita pertinacia perfidæ gentis, magis arctavit et ad tantam inopiam deduxit, quod omnia incognita usibus humanis in suos cibos converterunt. Tandem obsidione continuata urbs capta est et in turres præcipuas, in arcem, in templum sævitum est; et civitas muris nudata, et undecim centena millia judæorum fame, ferro, incendio, et omni genere pestis consumpta sunt: cætera multitudo in captivitatem et servitutem gentium deducta est. Ex quo tempore misera gens Deo (2) et omnibus gentibus odiosa per universum orbem dispersa serviliter vivit et durat in sua miseria. Nunc ordina sic literam: *Quello spirito,* scilicet, Statius, *rispose,* Virgilio: *io era di là,* in mundo viven-

(1) E. quam pertinacia judæorum.
(2) E. Deo et hominibus, et gentibus omnibus odiosa.

tium, *famoso assai,* loquitur verecunde in laudem sui, *ma non con fede ancora,* scilicet, christiana; sed audacter laudat nomen suæ professionis, dicens: *col nome,* scilicet, poetico, *che più dura,* et plus durare facit nomen aliorum: ideo bene dixit Lucanus: *O sacer et magnus vatum labor, omnia fato Eripis et donas populis mortalibus ævum* etc. Et si dicis mihi de Aristotele, et multis philosophis antiquissimis, dicam tibi de Homero et aliis multis qui fuerunt diu ante, quos ipse philosophus frequenter allegat, et præcipue Homerum, *e più onora,* scilicet, hominem; nomine enim poetæ sicut nullum durabilius, ita nullum honorabilius, ut dicetur plene primo capitulo Paradisi. Et ecce quando: *nel tempo,* scilicet, anno ab urbe condita DCCXXV, *che 'l buon Tito,* qui considerata ætate et imperii brevitate excessit cunctos principes in clementia, liberalitate et omni bonitate, de cuius laudibus dicetur VI Paradisi, *vendicò le fora,* idest, foramina, seu ([1]) vulnera Christi, *onde uscì il sangue per Giuda venduto,* scilicet, Annæ et Cayphæ, *con l' aiuto del sommo rege,* idest, juvante et permittente ([2]) Deo, sicut ipse Titus fertur dixisse cum intravit urbem clarissimam. Et hic nota, lector, quod multi perverse intelligunt et exponunt istam literam, quia non est verum, quod Titus vel Vespasianus fecerint ([3]) vindictam Christi cum intentione, cum non crediderint Christum et fuerint penitus pagani, sicut patet per Svetonium; et si testimonium eius non placet tibi, quia fuit gentilis infidelis, certe Josephus hebræus et nobilis civis Jerusalem, quem beatus Hieronymus enumerat in catalogo sanctorum, hanc historiam luculento stylo describit. Et Egisippus compendiosius eo, et beatus Ambrosius qui Josephum sequitur, et, ut bre-

---

([1]) E. sive vulnera pretiosissimi Redemptoris nostri Domini Jesu Christi.
([2]) E. permittente omnipotente Deo.
([3]) E. fecerint vindictam Domini nostri Jesu Christi.

viter dicam, Augustinus, Hieronymus, Rufinus, Horosius, et cæteri in hoc concordant. Sed bene divina maiestas sic statuit propter peccata judæorum, quia de inimicis meis vindictam faciam. — *Tanto.* Hic Statius quia descripserat se a nobili scientia, describit se a suavi eloquentia, dicens: *Tanto fu dolce mio vocale spirto.* Hic capit spiritum prout (1) accidens syllabæ, quasi dicat: sonus vocis meæ et pronuntiationis cum magna eloquentia, quæ patet ex operibus eius, de qua dicit (2) Juvenalis in Satyra: *Curritur ad vocem jucundam et carmen amicæ Thebaidos, lætam cum fecit Statius urbem, Promisitque diem; tanta dulcedine captos Afficit ille animos* etc. *Che, Roma trassemi Tolosano a se.* Fuit enim Statius origine de nobili Tolosa, quæ est civitas in provincia Narbonensi, unde venit Romam tempore Vespasiani, et usque in tempora Domitiani pervenit, ubi enituit fulgor eloquentiæ suæ. Unde dicit: *dove mertai le tempie ornar di mirto.* Quasi dicat: fui coronatus merito fronde myrti, quæ est arbor calida multum, ad denotandum ardorem ingenii poetici. Multæ tamen erant olim coronæ (3) de quibus dicetur primo capitulo Paradisi. Deinde describit se a nomine proprio dicens: *la gente ancor mi noma di là,* scilicet, in mundo viventium: et sic loquitur Statius, quia Dantes erat ibi vivus; *Stazio.* Hoc nomen sonat effectum, quia stetit diu occultus christianus in vita et post mortem stetit per tot secula; et sicut Virgilius dictus est a virga, ita Statius dictus est surculus a surculo, quia (4) idem sonat. Deinde Statius describit se a duplici materia de qua scripsit, dicens: *cantai di Tebe,* idest, poetice descripsi materiam thebanam: nam Statius videns dissensionem esse inter Titum et Domitianum fratres assumpsit ad instructionem eorum hanc memoran-

(1) E. prout est accidens.
(2) E. dixit Juvenalis in Satyra VII.
(3) E. coronæ poeticæ, de quibus.
(4) E. quod est et sonat idem.

dam historiam duorum fratrum describendam, de qua multa dicta sunt in Inferno et dicentur in isto Purgatorio. Et tangit secundam historiam dicens: *e poi del grande Achille,* quia deinde fecit librum minorem, in quo tractavit de juvenilibus gestis Achillis, de quibus jam plene scripsi Purgatorii IX capitulo. Et subdit: *ma caddi in via con la seconda soma.* Et hic nota, lector, quod circa istam literam multi multa dixerunt, alii pro poeta nostro, alii calumniantes istud dictum, quia dicunt quod Statius non est mortuus secundo libro imperfecto. Quibus respondendum est breviter et clare, quod vere secundum opus est completum, nec Dantes hoc negat: sed vult dicere, quod cecidit cum secunda salma, quia debebat subire tertiam historiam, scilicet, gesta Domitiani, sicut ipse protestatur in prohemio sui Thebaidos, et in prohemio Achilleidos. Unde videtur (¹) Statius satis excusandus si videatur nimis adulari Domitiano. Unde nota quod, sicut scribit Josephus, Domitianus audito rumore de defectione germanorum cum esset valde adolescens, tantam rei magnitudinem non recusavit, sicut alii fecissent; sed a patre habens ingenitam fortitudinem supra ætatem, statim tendebat in barbaros. Illi belli fama territi sine ullo damno romano jugo se subiecerunt. Domitianus ergo clarus (²) et insignis, ætatem superantibus factis et patri honorem afferentibus, Romam reversus est; qui et antequam pater veniret Romam Capitolium viriliter defenderat ab hostibus. Ideo juventæ indoles potuit decipere Statium commendando Domitianum ab iis. — *Al mio.* Hic Statius describit se a nobilissimo poeta quem semper studuit imitari. Et ista litera ambigua habere potest duplicem intellectum; unum, quod Statius sit factus poeta per Virgilium; alium quod sit

(¹) 117, videtur mihi. (²) 117, elatus.

factus christianus per ipsum. Secundum primum litera est sic exponenda: *Le faville,* idest, dicta Virgilii tamquam vivæ scintillæ, *onde sono allumati,* idest, illuminati, *più di mille,* quia multa millia latinorum didicerunt poetriam et eloquentiam mediante dogmate Virgilii, *che mi scaldar della divina fiamma,* idest, accenderunt mentem meam eius doctrina divina, *fu seme,* idest, sementis et radix, *al mio ardore,* idest, ardenti ingenio meo ad poetandum. Secundum alium intellectum litera sic exponatur: *Le faville che mi scaldar della divina fiamma,* scilicet, caritate fidei christianæ, *fur sceme,* idest, fuerunt (1) tunc diminutæ, *al mio ardore,* idest, meo amori; quasi dicat Statius: licet a te habuerim credulitatem fidei veræ, tamen amor meus fuit simus et lentus diu, et sic peccavi (2) per accidiam, sicut testatur paulo post. Sed hic nota, quod licet poeta velit quod Statius habuerit a Virgilio utrumque bonum, scilicet, poetriæ et fidei, tamen prima expositio fuit melior; quia si Statius fuit illuminatus lumine fidei per Virgilium, non mille alii, sicut litera dicit: præterea litera sequens declarat expresse quod loquitur secundum primum modum. Unde subdit: *dell' Eneida dico,* qui liber potest dici speculum humanæ vitæ, sicut dicit Aristoteles de Odyssea Homeri in Rhetoricis; *la qual fummi mamma,* idest, mamilla dulcis, vel *mamma,* idest, mater, propinans mihi primum lac poetriæ; unde dicit: *e fu mia nutrice poetando,* ideo studui totis viribus imitari ipsum opus; unde dicit: *senz' essa non fermai peso di dramma,* quasi dicat, non firmavi minimum punctum vel passum. Est enim drachma parvulum pondus, quo utuntur medici: et bene, quoniam Statius in suo Thebaidos semper nititur imitari Eneida Virgilii, non solum in numero librorum,

---

(1) S. fuerunt summe diminutæ. (2) E. poetavi per.

sed etiam in omnibus, ut non immerito sit appellatus simia Virgilii. Et concludit Statius immensitatem amoris quem habuit semper ad Virgilium, dicens: *e assentirei un sole,* idest, unum annum solarem, *più ch' io non deggio,* plusquam debeam justæ pœnæ meæ, *al mio uscir di bando,* idest, de exilio purgatorii, *per esser vivuto di là,* scilicet, in mundo istius viventis, *quando visse Virgilio;* quasi dicat Statius: ego vellem de pacto stare adhuc per annum in purgatorio, et fuisse illo tempore felici sub Augusto, quo (1) claruit Virgilius.

Volser. Ista est quarta et ultima pars capituli, in qua poeta ostendit qualiter ipse manifestavit (2) Virgilium Statio, qui tam multa contulerat cum Virgilio (3) de ipso Virgilio non cognoscens eum. Et primo ostendit qualiter Virgilius imposuerit (4) sibi silentium, sed ipse non potuit continere se a risu. Et ad declarandam istam literam fortem est primo notandum, quod appetitus, alius est intellectivus, alius sensitivus: et sensitivus, alius est irascibilis, alius concupiscibilis: et sic gaudium, quod ostenditur (5) per risum procedit ab appetitu concupiscibili; et planctus qui movetur per iniuriam procedit ab irascibili: et ambo isti appetitus sunt de potentia sensitiva, et alter sequitur alterum. Et appetitus intellectivus qui est voluntas, et per quem regulatur appetitus sensitivus, non semper est potens supra sensitivum, quia non semper irascibile et concupiscibile obedit rationi, sive rationali voluntati, quæ est suum fundamentum in intellectu. Et hoc est quod vult dicere litera hic quando poeta ostendit quod contra velle Virgilii, idest rationis, sensualitas sua risit: et dicit quod imitans naturam secundum complexionem naturalem, appetitus sensitivus minus obedit

(1) 117, quando.
(2) 117, manifestaverit.
(3) E. cum Virgilio non cognoscens eum.
(4) E. imposuit.
(5) E. ostenditur quando ridetur, idest per risum.

intellectivo, quia tunc plus operatur in eis virtus eorum. Nunc ad literam; dicit poeta: *Queste parole,* dicta per Statium, *volser Virgilio a me con viso che tacendo,* amiccando [1], *dicea: taci,* scilicet, cum nutu faciei. Et dicit ad excusationem suam; *ma la vertù che vuole,* idest, voluntas vel appetitus intellectivus, *non può tutto,* supra passionem: et assignat rationem [2] cum subdit: *chè riso e pianto,* qui sunt passiones animæ, *son tanto sequaci alla passion,* idest, virtuti concupiscibili, *da che ciascun si spicca,* idest, exciduntur, *che men seguon voler,* idest, voluntatem, *nei più veraci,* idest, etiam in sapientioribus, quia etiam viros sapientes et veridicos oportet aliquando ridere et plorare invite, secundum lætitiam et tristitiam quibus afficiuntur. — *Io.* Hic poeta ostendit qualiter se tacente cum lingua, locutus fuit cum visu; ex quo Statius suspicione capta adiuravit eum ut diceret causam sui risus. Dicit ergo: *Io pur sorrisi, come l' uom ch' ammicca,* idest, qui inclinat faciem connivendo [3] vel affirmando aliquid: *perchè l' ombra,* scilicet, Statii, *si tacque e riguardommi negli occhi, ove 'l sembiante più si ficca.* Et ponit petitionem eius dicens: *disse,* ille Statius, *deh!* loquitur admirative: *perchè la faccia tua,* quæ videtur mihi rigida honesta, *dimostrommi un lampeggiar di riso testeso,* idest, nunc nunc, *se assommi tanto lavoro inseme?* Quasi dicat: si Deus det tibi tantam gratiam, quod feliciter perficias tam laboriosum opus, ita quod simul totum aggreges? Et poeta deinde loquitur et ostendit suam perplexitatem ex contrario voto duorum poetarum, quia præcepto unius non poterat contraire, et adiurationi alterius non audebat. Unde dicit: *Or son io d' una parte e d' altra preso;* quasi dicat: loqui prohibeor, et tacere non possum: *l' una,* scilicet, Virgilius, *mi fa tacere,*

---

[1] E. anutando. [2] 117, causam rationis cum subdit. [3] E. annuendo.

l' altra, scilicet, Statius, *scongiura ch' io dica; ond' io sospiro, e sono inteso dal mio maestro,* scilicet, a Virgilio, quem plus reverebar qui videbat meam aviditatem loquendi nunc, qualem habebam superius sciendi; ideo dedit sibi licentiam dicendi, unde dicit: *e disse,* ille Virgilius, *non aver paura di parlar;* propter me, *ma parla e digli quel che dimanda con cotanta cura,* scilicet, causam tui risus. — *Ond' io.* Hic poeta ponit responsionem suam ad petitionem Statii, dicens: *Ond' io,* licentiatus a Virgilio, dixi: *o spirto antiquo,* qui poetasti jam mille annis elapsis; *forse che tu ti maravigli del rider ch' io fei,* quia forte videor tibi derisisse magnificas laudes quas fecisti de Virgilio, et singularissimum amorem quem ostendisti te habere ad illum celeberrimum poetam; *ma vo' che ti pigli più d' ammirazion;* et ecce rem stupendam: *questi che guida in alto,* ad summum virtutis, *gli occhi miei,* idest, speculationem intellectualem, *è quel Virgilio,* numquam satis laudatus, *dal qual tu togliesti forza a cantar,* idest, alte describere, *degli uomini e de' Dei.* Quasi dicat (1): imitationem Virgilii cum poetice descripsisti bella Thebarum introducendo hinc inde homines et deos in arma, sicut tu Virgilius fecisti et accepisti ab Homero. Et concludit omnem aliam causam, dicens: *s' altra cagion credesti al rider mio, lasciala per non vera, ed esser credi quelle parole,* supple, esse vera, *che di lui dicesti;* quia et ego credo illud quod dixisti in commendationem Virgilii; ideo non risi in contemptum eius, cum ego fuerim illuminatus et inviatus ab eo ad poetandum, licet habuerim maius lumen gratiæ, quam tu vel ipse. — *Già.* Hic ultimo poeta concludit finem suæ responsionis, quia Statius repletus stupore et amore cum summa reverentia et veneratione inclinavit se ad gratulandum Virgilio. Di-

---

(1) E. dicat: in imitationem Virgilii tu poetice.

cit ergo: *Già s' inchinava,* ille Statius urbanus et gratus, *ad abbracciar li piedi al mio dottore,* cuius se discipulum profitetur. Et hic nota quod poeta bene fingit Statium voluisse procumbere ad pedes Virgilii, quia ipse Statius hoc testatus est in vita; nam perfecto opere maiori circa quod laboraverat duodecim annis, sicut Virgilius in suo undecim, dicit in fine libro suo: *Nec tu divinam Eneida tempta Sed longe sequere et vestigia semper adora.* Et subdit (1), quomodo Virgilius remiserit (2) Statium, dicens: *ma elli,* scilicet, Virgilius, *disse: o frate, non far,* rem vanam (3), *chè tu se' ombra e ombra vedi:* quasi dicat: uterque nostrum est anima separata intangibilis, insensibilis. Deinde dicit, quod Statius (4) urbane excusavit errorem suum; unde dicit: *et ei,* scilicet, Statius respondit: *surgendo, or puoi comprender la quantitate dell' amor,* ardenti, *ch' a te mi scalda,* ad amandum te, *quando dismento nostra vanitate,* idest, obliviscor naturæ mortuorum, qui sunt vani (5), vacui corpore, *trattando l' ombre,* idest, animas licet visibiles; *come cosa salda,* idest, corpoream, sensibilem.

---

(1) E. Et subdit autor quomodo.
(2) S. retraxerit.
(3) E. vacuam.
(4) 117, Statius voluit excusare.
(5) E. vani et corpore vacui, *trattando.*

CANTUS VIGESIMUS SECUNDUS, *in quo tractavit Virgilius cum Statio de loco suo limbi, et de multis sapientibus antiquis; et Statius dixit Virgilio modum suæ conversionis, et sicut Statius veneratus est Virgilium.*

Già era l'angel dietro a noi rimaso. Postquam in præcedenti capitulo poeta noster tractavit (1) de vitio prodigalitatis in persona Statii, nunc consequenter in isto capitulo XXII terminat materiam prodigalitatis in eodem spiritu, et intrat materiam gulæ, quæ punitur in sexto circulo. Et præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales. In prima quarum poeta ostendit qualiter Virgilius inquirit a Statio de illius vitii purgatione. In secunda ipse Virgilius inquirit ab eodem Statio de conversione eius ad fidem christianam, ibi: *Or quando tu cantasti.* In tertia Statius inquirit a Virgilio de quibusdam poetis illustribus, ibi: *Tu dunque.* In quarta et ultima agit et tractat de purgatione vitii gulæ, ibi: *Tacevansi già.* Ad primum veniens dico, quod poeta inducit Virgilium inquirentem de purgatione Statii; sed primo continuans se ad materiam præcedentem præmittit purgationem suam factam ab angelo a vitio avaritiæ et prodigalitatis. Et ad declarandum novum modum scribendi quo utitur hic poeta, est considerandum, quod de more eius est in omnibus circulis circa finem introducere unum angelum, qui purgat eum a vitio punito ibi, et dirigit eum ad alium circulum. Hic autem præsupponit hoc factum esse; hoc (2) autem facit ut tacite det intelligi purgationem suàm hic fuisse facilem, ita quod quasi non

(1) 117, tractavit et determinavit de vitio. (2) E. et hoc facit.

adverterat, quia fuerat locutus cum Statio facundissimo tam delectabiliter, et quia parum laboravit morbo avaritiæ et prodigalitatis, a quo recedit, et minus vitio gulæ, ad quod nunc accedit. Nunc ad literam; dicit poeta: *L'angel,* de quo nihil adhuc dixit, sed nunc dicit artificialiter breviando, *già era rimaso dietro a noi,* in quinto circulo; et repetit: *l'angel,* dico, *che n' avea volti al sesto giro,* gulosorum, *avendomi raso,* prius quam volveret nos, *un colpo,* idest, vulnus mortale, scilicet, quintum peccatum, *dal viso,* scilicet, a fronte. Et suddit gratulationem aliorum spirituum, dicens: *e quei,* scilicet, animæ avarorum qui (1) remanserant in quinto gyro, *ch' hanno lor disiro a giustizia,* idest, ad justificandum se per purgationem, *detto m' avean beati;* vult dicere quod dixerant illud dictum Matthæi V capitulo: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur,* et ita infelices qui esuriunt et sitiunt * pecuniam; et dicit: *che sue voci forniro ciò,* scilicet, hoc verbum: *beati cum sitiunt;* idest, simpliciter cum hoc verbo *sitio,* quia dixerunt solummodo, *beati qui sitiunt* * (2). Alii tamen subtilius exponentes dicunt, quod illi spiritus dixerunt: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata.* Et hoc propter Dantem et Statium, qui erant nuper absoluti, alter ab avaritia, alter a prodigalitate: et dicebant in fine, *sitio,* quia, sicut Christus in pœna crucis dixit istud verbum *sitio,* cupiens salvare humanum genus, ita isti adfixi terræ in suo cruciatu dixerunt *sitio,* scilicet, salvari; sed prior expositio magis videtur de mente autoris. Et subdit effectum suæ purgationis, dicens: *et io più lieve che per l'altre foci,* idest, alios circulos, et merito, quia deposuerat quinque gravissima pondera a capite suo, et restabant sibi duo leviora,

(1) E. quæ.

(2) Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici E. e 117.

m' andava sì che seguiva in su, per scalam quintam, *li spiriti veloci,* scilicet, Virgilium et Statium, qui erant sine gravitate carnis, et habuerunt præsto ingenia; et dicit: *senza alcun labore:* intelligas per respectum ad alios circulos; et quia hucusque habuit tantum unum ducem, Virgilium [1], nunc vero habebat alium, scilicet, Statium, qui loquebatur tam dulciter cum summo poeta Virgilio, quod Dantes non sentiebat laborem viæ, quasi portatus a vehiculo sermonis eorum, ut statim sequitur. — *Quando.* Hic poeta ponit nobilem orationem Virgilii ad Statium, qui primo ad captandam benevolentiam præmittit notabilem sententiam de amore honesto, quæ est quod amor virtutis habet hanc potentem proprietatem, quod cogit semper amatum redamare amantem, dummodo amor appareat extra per aliquod evidens signum. Dicit ergo poeta: ita ibam velociter, *quando Virgilio cominciò,* supple, dicere versus Statium: *Amore, acceso da vertù sempre altri accese,* ad reddendam sibi vicem, quod non facit amor boni utilis vel delectabilis; et forte ista regula non est semper vera in bono honesto; et dicit: *pur che la fiamma sua,* idest, effectus, *paresse fuore,* scilicet, per opera. Unde videmus quod sæpe diligimus virum virtuosum, quamvis non visum vel cognitum, sicut et ego diligo Dantem mortuum. Et applicat Virgilius istam sententiam ad propositum, et dicit quod amavit ipsum Statium jam per multa sæcula, quamvis non cognitum sibi nisi relatione alterius. Dicit ergo: *onde mia benevoglienza,* mutua, *fu in verso te,* talis, *quale,* scilicet, benevolentia, *di persona non vista,* non visæ, non cognitæ, *più strinse mai,* aliquem amantem; unde dicit: *sì ch' or mi parran corte queste scale,* quæ restant ascendendæ [2], ita quod saliam amodo sine labore. Et hoc

(1) E. scilicet Virgilium. (2) E. in ascendendo.

dico fuit, *dall'ora che Giovenale,* qui fuit poeta satyrus de Aquino, magnus moralis, *discese nel limbo dell'inferno tra noi,* idest, inter poetas paganos illustres, de quibus dictum est Inferni capitulo IIII, et dicetur in hoc capitulo (1) paulo infra, *che mi fe palese la tua affezion,* quam (2) habebas erga me. Et hic nota quod aliqui dicunt (3), quod poeta noster videtur hic errasse, dicendo quod Juvenalis fuit (4) mortuus ante Statium, cum hoc sit falsum, quia Juvenalis facit mentionem et commendationem de Statio, ut jam dixi capitulo præcedenti. Dicendum est breviter quod Dantes non dicit Juvenalem fuisse ante Statium, sed solum quod Juvenalis manifestavit sibi amorem Statii erga Virgilium. Nam Virgilius qui fuit diu ante Statium numquam potuit videre eum vel opus eius, quia Statius moriens non ivit ad infernum; sed Juvenalis qui fuit post Statium bene vidit opera Statii; et cum in morte tamquam paganus ivit ad limbum ubi erat Virgilius, potuit (5) dicere qualiter quidam poeta nobilis fuerat post ipsum per longum tempus, qui summe amaverat et extulerat Virgilium (6) et opera eius. — *Ma.* Hic Virgilius præmisso pulcro exordio facit petitionem suam, et quærit a Statio cum admiratione de vitio in quo videbatur fuisse. Dicit ergo: *Ma dimmi come avarizia poteo trovar luoco dentro al seno,* idest, capacitatem tuam, cum avaritia multum sit inimica poetis, *tra cotanto senno,* idest, inter tantam sapientiam, *di quanto fosti pieno per tua cura,* idest, studio: et facit parenthesim, dicens: *e come amico mi perdona,* quia benevolentia ex nunc est conversa in veram amicitiam, *se troppa securtà m' allarga il freno,* quasi dicat: si nimis fidenter et familiariter fuero locutus tecum; *e come amico omai meco ragiona,*

---

(1) 117, præsenti capitulo.
(2) S. quam habes erga me.
(3) 117, temere dicunt.
(4) 117 e E. fuerit.
(5) E. potuit ei dicere.
(6) 117, semper Virgilium et opera eiusdem.

qui debet pati ab amico quando arguitur de aliquo vitio. Et subdit quomodo Statius se habuerit actu et verbo, dicens: *queste parole fenno mover Stazio un poco a riso pria;* Statius enim nunc risit de errore Virgilii, sicut Dantes risit supra de errore Statii, *e poi rispose: ogni tuo dir m' è caro cenno d' amor,* quasi dicat, quicquid dicas contra me habeo pro signo caro veri amoris. Hoc dicit Statius, quia Virgilius petiverat veniam de nimia securitate dicendi. — *Veramente.* Hic Statius proprie (1) facit orationem suam; et ad magnificandam istam responsionem considera quanta arte utitur hic iste magnus orator. Nam exemplo Virgilii, ut videatur ipsum imitari in eius præsentia, primo assumit unam notabilem sententiam super qua fundet dictum suum; et illa sententia est propria (2) Virgilii. Dicit ergo: *Veramente più volte appaion cose,* idest, apparent multæ res, *che danno al dubitar falsa matera,* quæ præstant causam dubitandi cum tamen non sint vere dubitabiles, *per le vere cagion che son nascose,* quia ignorantur; unde dicit Virgilius: *res animos incognita turbat.* Unde nota quod multa quæ in se vera sunt non creduntur propter ignorantiam causarum, sicut quod navis mari tranquillo et cœlo sereno subito absorbetur, et numquam de cætero apparet; et sic (3) quod Titus fecit vindictam de morte Christi, ut dicitur in præcedenti capitulo, quod tamen est falsum. Et tangit ipsum errorem Virgilii, dicens: *la tua dimanda m' avvera,* idest, affirmat et declarat, *esser tuo creder ch' io fossi avaro in l' altra vita,* scilicet temporali, mundana, *forse per quella cerchia dov' io era;* quia invenisti me in circulo avarorum. Et detegit continuo ipsum errorem, dicens: *or sappi ch' avarizia fu partita troppo da me,* per prodigalitatem maxime distantem ab ava-

(1) E. pie. (2) E. proprie. (3) 117, sicut.

ritia, quæ ita excessive fuit in Statio, ut aliquando deficeret sibi panis cum erat in maiori amore et favore in Roma, sicut scribit Juvenalis. Et hic nota quod recte talis est effectus prodigalitatis, quia trahit hominem in omnia incommoda et contrahit membra in vili lectulo, velat corpus parvo et sordido panniculo, ventri inducit jeiunia longo odio, et stomacho vacuo fit socia humida fames et arida sitis: illum sequitur creditor avarus, importunus exactor, repetitor prodigus; sic fit misero vita pœna, mors solatium. Ideo dicit Statius, quod ad istud magnum vitium secuta est longa pœna; unde dicit: *e migliara di lunari,* idest, multa millia mensium, nam annus lunaris est unus (1) mensis, et utitur tali modo loquendi, ut pœna videatur longior; *hanno punita questa dismisura,* scilicet, prodigalitatem. — *E, se.* Nunc Statius describit suam emendationem ab isto vitio; et dicit quod unum dictum Virgilianum retraxit eum. Et ad intelligentiam istius literæ nota quod Virgilius tertio Eneidos, cum descripsisset crudelem avaritiam Polymnestoris, de qua dictum est supra capitulo XX, exclamavit (2) cum indignatione: *quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames?* quasi dicat, quod cupiditas auri compellit corda hominum ad omnia magna mala; tamen hic Statius largius interpretatur istud dictum, et dicit quod Virgilius arguit intemperantiam divitiarum tam in dando quam in retinendo. Ordina nunc literam sic: *E sentirei le giostre grame,* quas faciunt prodigi et avari in inferno, *voltando,* ad punctum circuli; quasi dicat: ego essem damnatus, quia perseverassem semper in prodigalitate, *se non fosse ch' io drizzai mia cura,* super isto vitio, *quando intesi là dove tu chiami,* tertio Eneidos, *quasi crucciato,* idest, indignatus, *all' umana natura,* dicens: *o sacra fame del-*

(1) 117, unius mensis.
(2) E. exclamat cum indignatione, dicens: *quid non.*

l'oro, idest, o execrabilis cupiditas auri, *perchè non reggi tu l' appetito de' mortali?* (1) quia alii appetunt immoderate propter dare, alii propter retinere. Et subdit correctionem suam, dicens: *allor m' accorsi, che le mani potean troppo aprir l' ali,* nimis prodigaliter effundendo et volando ad expensam: *e pentémi così di quel,* scilicet, malo, idest prodigalitate, *come degli altri mali.*—*Quanti.* Hic Statius damnat prodigalitatem in hominibus, qui ignorant malitiam istius vitii, sicut ipse fecit ad tempus. Unde dicit interrogative: *quanti,* scilicet, prodigi, *resorgeranno coi crin scemi,* idest, cum capillis incisis, quia, ut dictum est in inferno, avari resurgent in die novissima cum manibus clausis, et prodigi cum crinibus diminutis, *per l'ignoranza ch' è di questa pecca;* quasi dicat: multi qui non credunt peccare, imo vane gloriantur quando plus expendunt; ideo dicit: *tal è il pentir,* idest, talis est pœnitentia, et pœna habetur hic, *vivendo,* in mundo, *e negli estremi,* idest, in vitiis quæ sunt extrema virtutum, sicut avaritia et prodigalitas. Et ultimo Statius dat unum notabile, per quod respondet quæstioni tacitæ, quia poterat dicere Virgilius: quare ergo tu stetisti tam diu purgandus inter avaros? respondet Statius, quod duo vitia recte opposita puniuntur juste in eodem (2), et pari pœna. Dicit ergo: *e sappi che la colpa che rimbecca,* idest, adversatur et occurrit (3) a becco a becco, *alcun peccato per dritta opposizion,* qualia sunt ista duo, *qui secca suo verde,* idest, luit pœnam æqualem, *con esso insieme,* scilicet, cum illo peccato sibi contrario. Et hic nota, lector, quod merito poeta noster dat eamdem pœnam ambobus istis vitiis, licet semper plus detestetur avaritiam, sicut et philosophus facit, quia in rei veritate prodigalitas est nimis damnosa pestis et inimica reipublicæ. Prodigus enim qui

(1) E. *mortali,* idest hominum, quia.
(2) E. in eadem.
(3) E. occurrit a beccho altero, *alcun.*

expendit plus quam natura petat, plus quam fortuna ministret, facit cito de pleno vacuum, de dulci amarum, de luce lutum, de Cæsare Codrum, de laude ludibrium, de multo nihil. Sic (1) prodiga manus prodigum facit; nam cito reddit se contemptibilem illis quibus paulo ante venerabilis videbatur, et dolet dextram male providisse sinistræ; tarde pœnitet, imo quod est mirabilius et damnabilius, si fortuna redit nescit revocare manum qua licentius consueverat uti. Huius vitii principatum tenuit Alexander, cui innumerabiles mundi partes non suffecissent, ut male perderet omnes. Quid Nero? quid Caius Caligula? quid Antonius? O quot viros valentes istud vitium deduxit in rabiem et desperationem! Et concludit Statius: *però s' io son tra quella gente stato che piange l' avarizia, per purgarmi,* si paupertas non satis fecerat in me vindictam huius inconsulti vitii, *per lo contrario suo m' è incontrato,* scilicet, propter prodigalitatem, quæ est contraria avaritiæ, et destruit semper eam.

Or quando tu cantasti. Ista est secunda pars principalis, in qua poeta ostendit qualiter Statius narraverit (2) Virgilio causam suæ conversionis ad fidem, de quo Virgilius mirabatur cum videatur loqui paganice in libris suis. Et ad intelligendam plene literam istam oportet colligere summarie casum infelicis Jocastæ. Est ergo sciendum, sicut potest haberi ex Statio in maiori et Seneca tragœdo, Jocasta (3) nobilis regina fuit uxor Laii regis Thebarum; quæ dum concepisset ex eo, Laius consuluit Apollinem de prole nascitura; et audito quod erat occidendus manu filii, statim mandavit partum abiici ad feras; sed Jocasta puerum natum tradidit cuidam Phorbanti pastori regis, qui compatiens ætati temperavit (4) mandatum regis; nam perforatis pedibus suspendit illum

(1) 117, Sic quod prodiga.
(2) E. e S. narravit.
(3) E. quod Jocasta.
(4) E. paruit mandato regis.

cum vinco ad arborem. Et continuo superveniens pastor peregrinus illum accepit et donavit cuidam de Corynthо qui portavit eum ad Meropen uxorem Polibi regis corynthiorum carentem omni prole. Ideo a rege et regina susceptus est in filium velut missus a cœlo, cum prætenderet indolem regalem, et vocaverunt eum Œdipum a pedibus. Œdipus igitur factus (1) juvenis formosus fortis habens animum et mores regales, audito quod non erat filius Polibi captus desiderio cognoscendi patrem, obtenta licentia difficulter a Polibo, venit ad oraculum delphicum, ubi audivit quod patrem inveniret in Phocide, et matrem postea duceret in uxorem. Qui stupefactus devenit in Phocidem, ubi orta seditione (2) inter forenses et cives, Laius volens sedare litem percussus fuit gladio ab Œdipo (3); deinde veniens Thebas incognitus forte quia credebatur (4) filius regis Polibi, datus est in virum Jocastæ, quæ adhuc deplorabat mortem Laii; quam Œdipus libenter accepit timens ne duceret Meropen quam credebat esse matrem suam. Igitur læte regnans genuit quatuor filios ex matre: sed ecce magna peste nata in civitate, dum quæreretur modus purgationis de more, Tiresias maximus augur dixit, quod nunquam (5) cessaret pestis, nisi occisor patris et maculator matris deponeretur a regno; et hunc dicebat esse Œdipum. Re horrenda detecta, omnis est turbata lætitia; et Jocasta deplorante infames nuptias suas, Œdipus abiecto habitu regali sponte eruit sibi oculos cum digitis et in perpetuas tenebras se damnavit: cuius tristitiam filii deriserunt, et maledicti a patre accensi cupiditate regnandi tandem convenerunt ut uno regnante per annum, alter exularet. Sed cum post annum Eteo-

(1) 117, factus est.
(2) S. divisione.
(3) E. Œdipo ipso; deinde.
(4) S. videbatur.
(5) E. nunquam deficeret nec cessaret dicta pestis.

cles denegaret reddere sceptrum Polynici natum est bellum impium, de quo dictum est Inferni capitulo XXVI et alibi sæpe. Dicit ergo poeta: *e il cantor de' bucolici carmi,* idest, Virgilius, qui scripsit Bucolicam, inducens varios collocutores sub nomine pastorum, *disse,* Statio: *la fede,* scilicet, christiana, *senza la qual ben far non basta,* quia falsa virtus est etiam in optimis moribus sine fide, *non par che ti facesse ancor fedele,* scilicet, christianum, *per quel che Clio lì tasta,* idest, quantum potest comprehendi ex sono literæ (¹) poeticæ quæ loquitur tantum de cultu deorum. Clio enim est prima novem musarum, quæ est dea gloriæ et famæ, ut dictum est primo capitulo Purgatorii; *quando tu cantasti le crude armi,* scilicet, mutuam cædem, *della doppia tristizia di Giocasta,* idest, duorum filiorum eius, qui se invicem occiderunt. Et vere magna fuit tristitia Jocastæ, nam retractans inaudita mala quæ passa fuerat impatiens tot dolorum et miseriarum transfixit sibi præcordia eo ense quo Œdipus interfecerat Laium; vel, secundum alios, vitam infelicem laqueo terminavit. Et ex hoc petit Virgilius: *se così è,* quod fueris infidelis usque ad illud tempus, *qual sole o quai candele ti stenebraron,* idest, quis sapiens, vel quæ eius dicta illuminarunt te in tanta tenebra ignorantiæ? *sì che tu drizzasti poscia le vele,* navigando aquam salutarem, *diretro al pescator,* scilicet, beatum Petrum principem fidei. — *Et egli.* Hic poeta ponit responsionem Statii ad petitionem Virgilii, dicens: *Et egli a lui;* supple, Statius, respondit Virgilio: *tu prima m' inviasti verso Parnaso,* ad poetandum: Parnasus enim est mons celeberrimus dedicatus poetis; *a ber nelle sue grotte,* idest, ad hauriendum de fonte heliconico amœnissimo, ut dicetur primo capitulo Paradisi; *e poscia*

(¹) E. sono liræ poeticæ.

apresso Dio m' alluminasti. Quasi dicat: tu Virgilius fecisti me ex ignorante sapientem, ex prodigo parcum, ex pagano christianum. Et hoc confirmat per comparationem domesticam et propriam, dicens: *facesti come quei che va di notte, che porta il lume dietro,* sicut cereum accensum, *e a se non giova,* quia parum videt sibi ante oculos, *ma dopo se,* scilicet, post tergum, *fa le persone dotte.* Virgilius enim ambulans in nocte ignorantiæ fidei portans secum lumen sapientiæ clare fecit Statium post se venientem doctum veræ fidei. Et sic patet quomodo comparatio bene adsonat (¹) proposito. Et ostendit Statius quomodo per illa verba Virgilii, quæ sunt posita et exposita plene primo capitulo Inferni, ideo hic non repeto; dicit ergo: *quando dicesti,* libro Bucolicorum, *secol si rinnova;* et vere magna renovatio sæculi facta est sub Augusto, qui magna prudentia composuit mundum fluentem in vitia; *torna giustizia,* quæ appellatur virgo a poetis, *e primo tempo umano,* idest, ætas aurea, quæ fuit tempore Saturni; *e progenie discende dal ciel nuova,* scilicet, Augustus vel Christus. Et concludit Statius ex dictis: *per te poeta fui, per te cristiano.* Et hic nota quod unusquisque conatur reducere alta dicta sapientum placentium sibi ad saniorem intellectum, sicut egregie facit Proba (²), quæ multa dicta tam Homeri quam Virgilii reduxit placide in obsequium fidei christianæ. — *Ma.* Hic Statius tacta in generali causa suæ conversionis, nunc tangit ipsam in speciali. Et dicit se facturum more pictoris qui primo designat figuram grosso modo, postea colorat et exornat. Dicit ergo: *Ma perchè veggi me',* idest, ut intelligas melius et clarius, *ciò ch' io disegno,* in confuso, *distenderò la mano a colorar,* idest, ad declarandum. Et ecce quomodo: *già era il mondo tutto quanto pregno,* idest,

(¹) 117, consonat. — E. sonat. (²) 117, Proba poetissima, quæ.

plenus, *della vera credenza,* fidei christianæ, *seminata,* quod semen germinavit miraculose, *per li messaggi dell' eterno regno,* idest, per apostolos missos ab æterno rege; nam apostolus interpetratur missus; *e la parola tua sopra toccata,* idest, dictum tuum quasi propheticum, *si consonava ai nuovi predicanti,* scilicet, apostolis, qui dicebant Christum virgine natum: et vere verba Virgilii satis videntur consona fidei; tamen credo quod potius intelligat de Augusto quam de Christo, *ond' io a visitarli presi usata,* idest, consuetudinem. — *Vennermi.* Hic Statius ostendit suam dispositionem erga christianos tempore Domitiani. Et ad intelligendam bene istam literam, volo te scire quod Domitianus iste fuit tristissimus (1) hominum; nam exercitium armorum neglexit, sagiptarum (2) tamen peritissimus, qui circa initia principatus quotidie secrete petebat cameram, et muscas stilo acutissimo configebat. Unde cuidam interroganti an aliquis esset intus cum imperatore, alius non absurde respondit: nec musca quidem. Multas et magnas crudelitates fecit, similiter rapinas; luxuriosus porcus fuit, qui filiam fratris virginem corrupit, vivente adhuc patre Tito; superbus et vanus nimis, unde a principio imperii habuit dicere in senatu se dedisse imperium patri et fratri, et alia vice fecit proclamare in senatu per præconem: Dominus et Deus vester (3) sic fieri jubet; præcipiens ne sermone vel scripto alicuius aliter appellaretur; propter quæ terribilis et odiosus factus est omnibus. Unde coniuratio facta est in eum per libertos amicos intimos et uxorem; et (4) multorum gladiis trucidatus est. Cuius mortem pater Vespasianus jocunde prædixerat: cum enim semel ille in cœna abstineret a fungis, dixit: quare non potius ferrum times? Nunc ad literam; dicit: *Vennermi*

(1) S. tristissimus omnium.
(2) S. e E. sagiptarum tantum peritissimus.
(3) S. e E. noster.
(4) E. et tandem multorum.

poi parendo tanto santi, illi prædicantes, *che, senza mio lagrimar non fur lor pianti,* ex compassione innocentum, *quando Domizian li perseguette.* Domitianus quidem post Neronem [1] persecutionem fecit in christianos, imo in tantum flagravit odio Christi, quod, teste Horosio, fecit diligenter inquiri de judæis de stirpe David, ut perderet eos de terra, quia audiverat Christum natum de semine David. Et subdit, quod non solum animo sed opere succurrit illis, dicens: *e mentre che di là per me si stette,* idest, quamdiu postea vitam habui Romæ, *io gli sovvenni e i lor dritti costumi fer dispregiar a me tutte altre sette,* sicut saracenorum, hebræorum etc. — *E pria.* Hic Statius ostendit quando factus sit [2] christianus, dicens: *E pria ebb' io battesmo,* vel flammis vel aquæ [3], *ch' io conducessi i greci ai fiumi di Tebe, poetando,* idest, antequam complevissem sextum librum, ubi descripsi [4] adventum græcorum circa Thebas cum septem regibus suis. Et confitetur vilitatem suam, dicens: *ma fu'mi,* idest, fui mihi et damno meo, *cristian chiuso,* idest, occultus, *per paura,* sicut et Seneca dicit, quod talia sapiens servabit non tamquam Diis grata, sed tamquam vulgo placita; ideo dicit: *longamente mostrando paganesmo;* terrore mortis, quia non fui tam ardens in amore Christi, ut sponte subirem supplicium, et quod peius erat ludibrium sævissimæ belvæ Domitiani; ideo nunc luo pœnam dignam. Unde dicit: *e questa tepidezza,* idest, accidia, *mi fe cerchiar il quarto cerchio,* scilicet, purgatorii, currendo cum accidiosis, *più ch' il quarto centesmo,* idest, ultra quadringentos annos.

Tu dunque. Ista est tertia pars capituli, in qua poeta [5] ostendit qualiter Statius inquirit a Virgilio de quibusdam

---

(1) 117, Neronem crudelissime persecutionem fecit.
(2) E. factus est. (3) E. vel aqua.
(4) S. scripsi adventum. (5) E. poeta noster ostendit.

poetis latinis fama dignis, cui Virgilius respondet de illis et aliis multis tam græcis quam latinis. Dicit ergo Statius: *Tu dunque,* poeta magne, *che levato hai il coperchio,* idest, qui detexisti velum ignorantiæ meæ, *che m' ascondeva quanto bene io dico,* scilicet, bonum fidei, sine quo non pervenitur ad summum bonum; quasi dicat: qui fecisti me christianum; vel dic: tu levasti velamen, sub quo stabam occultus, quia scilicet ignorabatur utrum essem mortuus paganus an christianus; sed prior expositio videtur magis amica literæ; et dicit: *mentre che del salire avem soverchio,* idest, donec restat aliquid de die in quo ascendere possumus; *dimme: dov' è Terenzio nostro antico.* Hic Terentius fuit poeta maximus ([1]), qui scripsit comœdias delectabiles Romæ, in quibus proprie descripsit mores juvenum, senium, dominorum, servorum, meretricum, lenonum, adulatorum ([2]); fuit natione carthaginensi; Romam venit captivus tempore magni Scipionis; non pileatus, sicut est communis error multorum, quia ille fuit alter Terentius romanus, liberatus per Scipionem, ut patet per Valerium, et Eusebium libro temporum: de isto dicam plenius super Valerio. *Cecilio,* alius poeta latinus, cuius sententias sæpe ponit Macrobius libro Saturnalium, quas Virgilius imitatur; *Plauto.* Hic fuit nobilis poeta latinus ([3]), ut patet per Tullium in primo Tusculanarum, fuit eloquentissimus suo tempore, et scommata pulcra faciens, ut scribit A. Gellius libro Noctium atticarum, et secundum Senecam fuit sarcinas, idest, de Sarcina antiqua civitate Romandiolæ: scripsit pulcras comœdias in maiori egestate quam Statius, quia de die volvebat molam pro victu, de nocte vero scribebat. *E Varro.* Hic fuit poeta

---

(1) 117, magnus. (2) S. adulterorum.
(3) 117, latinus ante Terentium antiquior poetis latinis, ut patet.

latinus contemporaneus Virgilio [1] qui simul cum Tucca correxit [2] Eneida Virgilii de mandato Augusti. Alii tamen volunt quod poeta intelligat de Varrone viro doctissimo romanorum, qui fuit mirabilis orator, poeta, historicus tempore Cæsaris, quem Plutarcus non erubuit comparare Aristoteli, de quo Tullius facit [3] altissimas laudes; tamen credo quod autor potius loquatur de primo qui fuit amicus Virgilii. Et potest intelligi de utroque, quia iste debet reponi inter alios illustres paganos. Et dicit: *se lo sai;* quia verisimiliter debes scire, ideo, *dimme se son dannati,* in inferno; et si sunt damnati dic mihi, *in qual vico,* idest, in quo circulo. — *Costoro.* Hic [4] ponit responsionem Virgilii, dicens: *rispose il duca mio,* scilicet, Virgilius illi Statio, *costoro,* nominati per te, *e Persio;* hic fuit poeta tuscus de antiqua civitate Vulterrarum, satyrus magnus, juvenis mortuus est et juveniliter scripsit, scilicet superbe nimis, adeo quod nisi Cornutus magister eius declarasset dicta eius parvo commentulo male intelligerentur; qui parvum libellum dimisit; *et io,* dicit Virgilius de se ipso, *et altri assai;* bene dicit, quia paucos poetas latinos Virgilius nominavit IV capitulo Inferni et hic: unde poterat hic nominare dignius Ennium, Lucretium, Furium, Pacuvium, Actium, Nævium, Catullum, a quibus Virgilius multa accepit, ut clare demonstrat Macrobius: *siam con quel greco,* scilicet, Homero, *che le muse lattaro,* idest nutriverunt dulci doctrina: fuit enim Homerus fons ingeniorum, ut ait Plinius; *più ch' altri mai,* quasi dicat, qui numquam habuit parem in poetria; unde vocavit eum capitulo præallegato Inferni supremum poetam, et merito; quia tantum debet Virgilius Homero, quantum Statius Virgilio.

---

[1] E. Virgilio, cum Tucca. [2] 117, contexit.
[3] S. Tullius altissimas laudes scripsit; tamen credo.
[4] E. e 117, Hic poeta ponit.

Unde Vitruvius libro de Architectura, non solum vocat Homerum divinum, sed quemdam deum eloquentiæ; ideo non plura dico de eo. Et subdit vicum, in quo morantur et quid operantur in eo, dicens: *spesse fiate ragioniam del monte,* scilicet, Parnaso, Paradiso nostro, *che sempre ha le nutrici nostre seco,* scilicet, poeticas musas, nam tractant fabrilia fabri, ut dicit Horatius; *nel primo cerchio,* scilicet limbo, *del carcere cieco,* scilicet, inferni, qui est carcer æternus damnatorum plenus cæcitate ignorantiæ et tenebrarum. — *Euripide.* Hic Virgilius quia nominaverat Homerum principem poetarum græcorum, sub cuius tutela sunt omnes poetæ, nunc nominat quosdam alios poetas græcos, dicens: *Euripide v' è nosco,* cum supradictis in eodem loco. Hic fuit, ut dicit Macrobius, clarissimus poeta tragicus, quem sæpe allegat philosophus in suis libris moralibus, qui fecit nobilem tragœdiam de Meleagro, in qua describit in quo habitu venerit quisque ducum ad capiendum aprum; et ipse tandem laceratus est a canibus non in venatione sed in aula Archelai regis Macedoniæ, *et Antifonte,* poeta græcus qui dicitur fecisse librum de interpretatione somniorum et responsorum; *Simonide,* poeta græcus, qui mortuus est præ gaudio habita victoria unius suæ tragœdiæ, de quo multa sunt apud Valerium et Plinium; *Agatone,* iste fuit poeta græcus et tragicus. Et dicit: *et altri piue greci,* scilicet, poetæ; * et bene dicit, quia multi alii fuerunt poetæ * (1) græci non minus famosi, sicut Pindarus thebanus, Sophocles, Æschilus, Alcæus, omnes tragici, Aristophanes antiquus comicus * et Philemon notissimus comicus * (2) et plures alii, a quibus omnibus Virgilius multa accepit. Et dicit: *che già di lauro ornar la fronte,*

---

(1) Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici Estense e 117.
(2) Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici Estense e 117.

idest, qui olim coronati (1) sunt fronde laurea, sicut coronabantur magni tragœdi et duces, ut dicetur primo Paradisi. — *Quivi.* Hic Virgilius nominatis quibusdam poetis græcis, nominat aliquas mulieres græcas notissimas apud Statium; et primo duas sorores reginas. Ad cuius intelligentiam est sciendum, quod Polynices, de quo dictum est supra in secunda parte capituli, minor filius Œdipi exul a Thebis pervenit ad Argos claram civitatem Greciæ: et eodem tempore Tydeus pro Meleagro fratre suo profugus ab Ætolia regione pervenit ad eamdem urbem, et ambo urgente tempestate intraverunt vestibulum regiæ domus, et deveniens (2) ad litem propter angustiam loci cœperunt alter alterum, ira stimulante, male tractare, Polynices corpore magnus, sed Tydeus maior animo et virtute: tumultu autem fervescente Adrastus rex gravis senio excitatus a somno accensis luminibus diremit crudam pugnam istorum: et videns alterum cum pelle leonis, alterum cum pelle apri, duas filias suas nobilis formæ et nubilis ætatis desponsavit ambobus, videlicet Argiam Polynici, et Deiphilem Tydeo; recordatus somnii, in quo viderat quod filias suas unam rapiebat leo, alteram aper, cum videret illos habentes animos et vultus regales, qui facti generi regis fuerunt postea fratres et socii amantissimi; de quorum mortibus apud Thebas dictum est plene in Inferno. Ad literam ergo: dicit Virgilius Statio: *qui si veggion de le genti tue,* de quibus tractasti in Thebaide, *Deifile ed Argia,* sorores; et nominat duas alias sorores infeliciores, quæ fuerunt filiæ Œdipi et Jocastæ, et sorores infelicissimorum fratrum, scilicet, Eteoclis et Polynicis, dicens: *Antigone;* non loquitur de Antigone filia Laumedontis mutata in ciconiam, *et Ismene sì trista come fue,* quia

(1) 117, ornati sunt. (2) 117, devenientes.

vidit extrema omnium tristitiarum, scilicet, cæcitatem spontaneam patris, mortem voluntariam matris [1], mutuam mortem fratrum, servitutem patriæ, et tot regum interitum cum suis exercitibus. — *Vedesi.* Hic Virgilius nominat aliam Hypsypilem, quæ fuit magnum speculum [2] fortunæ, de qua dictum est Inferni capitulo XVIII. Ista enim decepta a Jasone recessit ab insula Lemno [3], quæ postea græcis venientibus in obsidionem Thebarum, et laborantibus siti, monstravit fontem qui solus non aruerat siccitate. Dicit ergo: *Vedesi,* inter alias mulieres illustres, *quella,* scilicet, Hypsypilem filiam Thoantis regis, *che mostrò Langia,* fontem thebanum: de hoc dicam plene infra capitulo XXVI, ideo hic pertranseo, quia ibi est propria materia; et dicit: *evvi la figlia di Tiresia,* scilicet, Mantho, de qua plene dictum est Inferni capitulo XX, et hic videtur autor contradicere sibi, qui posuit istam ibi inter divinatores, nunc ponit eam inter animas piorum; potest dici breviter quod hic non respicit ad limbum, sed ad carcerem cæcum: *e Teti,* quæ fuit mater magni Achillis, de qua nimis dictum est IX capitulo huius Purgatorii, *e con le suore sue Deidamia* uxor Achillis, de qua et eius sororibus habes plene præfato capitulo; ideo nihil hic [4].

Tacevansi. Ista est quarta et ultima pars generalis istius nobilis capituli, non minus curiosa et copiosa quam aliæ, in qua poeta [5] tendit ad sextum circulum, in quo punitur gula; et primo continuans partem parti, dicit: *Tacevansi già ambidui li poeti,* idest, jam fecerant finem nobili sermoni, in quo tot pulcra et jocunda invicem retractaverant, *di nuovo attenti a riguardar intorno,* circa novam materiam, poetæ, dico, *liberi dal salir e dai pa-*

---

(1) E. matris suæ, mutuam.
(2) 117, spectaculum.
(3) E. Lemnos.
(4) E. hic de ipsis dicetur.
(5) E. poeta noster tendit.

reti, quia jam transiverant per totam scalam confabulando, quæ est excavata in monte, ita quod habet hinc inde quasi parietes, et pervenerant in viam planam, idest in cornicem. Et descripto loco describit tempus, dicens, quod jam erat quinta hora diei; unde dicit: *e già le quattro ancille del giorno,* idest, quatuor horæ quæ ancillantur servitio diei, *eran rimase addietro,* idest, jam præterierant, *e la quinta era al temo,* idest, gubernaculo solis, idest, parabatur ad servitium diei tertii, *drizzando pur in su l' ardente corno,* quasi dicat: incipiebat tunc ascendere sole sub ardenti, cum enim esset tunc æquinoctium erat prope meridiem. — *Quando.* Hic poeta ostendit quomodo de consilio Virgilii et consensu Statii intraverunt cornicem sexti circuli, dicens: *Quando 'l mio duca,* scilicet, Virgilius dixit: *io credo ch' a lo stremo,* idest, extremitati ripæ, *ci convegna volger le destre spalle,* quia ad dexteram semper itur per purgatorium, *girando il monte come già solemo;* quia per scalam semper itur recte, sed per circulum circulariter. Et dicit: *così l' usanza;* * quia taliter iveramus per omnes circulos superiores, ita debebamus didicisse viam; *fu lì nostra insegna* * [1]; licet non appareret ibi aliud signum. Et tangit aliam rationem, quare secure ibant, dicentes: *e prendemmo la via con men sospetto,* imo cum magna confidentia, *per l' assentir di quell' anima degna,* scilicet, Statii, quæ erat digna ascensione cum jam esset purgata et liberata a pœnis purgatorii; ideo verisimile erat quod recte duceretur per viam istam. Et subdit modum eundi, dicens: *elli,* duo poetæ antiqui, *givan dinanzi,* qui præcesserant eum jam per mille annos, *et io soletto diretro,* supple ibam, *et ascoltava lor sermoni,* scientificos, *ch' a poetar mi davano intelletto,* et nulli dubium, quia Dantes [2] in

[1] Le parole fra i due asterischi sono dei Codici Strozziano e 117.
[2] E. Dantes poeta noster in vita sua attente.

vita attente auscultavit et ruminavit dicta Virgilii et Statii, et multa didicit poetare ab utroque eorum; ideo non ingratus reddit eis debitum honorem. — *Ma tosto.* Nunc poeta describit generalem pœnam qua hic purgantur gulosi. Ad cuius pœnæ (1) intelligentiam est hic perspicaciter intuendum, quod autor noster facit fictionem cum magna arte utilem et delectabilem. Fingit enim quod reperit in medio viæ unam arborem excelsam habentem poma pulcra, suavia, odorifera, cuius forma erat contraria nostris arboribus. Stipes enim eius erat grossus desuper ubi solet esse apex, et per consequens rami grossiores erant superius ubi solent esse subtiliores, et erant revoluti deorsum, ita ut nemo ascendere posset. Et a latere montis fluebat aqua levis, sincera, perspicua, quæ faciebat contrarium nostrarum aquarum; quia ubi nostræ aquæ balneant terram ad pedes arboris, illa ascendebat per folia pomi; gulosi autem stant sub arbore et respicientes continuo fructum dulcem delectabilem et aquam, afficiuntur semper fame et siti. Nunc ad propositum : hic est convenientissimus modus purgandi vitium gulositatis, ut scilicet gulosus videns et sentiens cibaria splendida, delicata et suavia vina non tangat sed afficiat gulam et gustum fame et siti, et abstineat a cibis et potibus pretiosis, et utatur vilibus et grossis; quod egregie figuratur in hac arbore. Nam poma quæ sunt pulcra visui et dulcia gustui, figurant omnia genera cibariorum (2) et appetibilium : aqua suavis et clara figurat omne genus poculorum: quod arbor est eversa ita ut nullus ascendere valeat, figurat prohibitionem quæ auget concupiscentiam; ita quod quantumcumque homo videat et sentiat ista incitamenta gulæ, abstineat ab eis, nec currat avide ad ea, sicut multi viliter (3) faciunt. Gula

(1) E. Ad cuius scilicet pœnæ.
(2) E. ciborum appetibilium.
(3) E. viriliter.

enim vitium est (1) bestiale nimis, in quod faciliter labimur impulsi naturali delectatione, quam natura posuit in gustu ad substentationem vitæ. Nunc litera apparebit clara, quæ prius erat obscura. Dicit ergo poeta (2): *Ma uno arbor che trovammo in mezza strada,* mirabilis formæ, *con pomi ad odorar soavi e buoni,* ut magis alliciant et crucient, *tosto ruppe le dolci ragioni,* idest, interrupit dulcia colloquia Virgilii et Statii, quæ non minus alliciebant animum meum, quam ista poma gustum. Et declarat formam arboris per unam comparationem pulcram, dicens: *e come abete in alto si digrada,* versus cœlum, *di ramo in ramo,* per multos gradus, *così quello,* idest, illa arbor pomifera, supple, degradabatur ibi, *in giuso,* versus terram. Et assignat causam dicens: *cred' io, perchè persona su non vada,* ad colligendum et comedendum de fructu eius. Et vide quod comparatio abietis est valde propria, ratione altitudinis, rectitudinis et diversorum graduum; ita gula habet longitudinem, profunditatem et diversos ramos, idest multiplicitatem epularum. Et subdit (3) potum post cibum vetitum, dicens: *Un liquor chiaro,* scilicet, aqua pura, *cadea dall' alta roccia,* idest, ripa, *dal lato onde 'l camin nostro era chiuso,* scilicet, a parte montis et altæ costæ, *e si spandeva per le foglie,* idest, frondes ramorum, *suso,* versus cœlum, per contrarium aliarum aquarum, ita quod gulosi videntes et non valentes attingere, magis cruciabantur siti. — *Li due.* Nunc poeta docet vitare vitium gulæ fingens vocem procedere ab arbore, quæ interdicit istum cibum vetitum. Unde dicit: *Li due poeti,* Virgilius et Statius, *a l' arbor s' appressaro,* ad considerandum istud vile vitium, *et una voce gridò per entro le fronde: di questo cibo avrete caro,* idest, caritudinem, caristiam, quia copia ciborum debet

(1) E. est semper bestiale.
(2) E. poeta noster: *Ma.*
(3) E. subdit poeta potum.

castigari inopia, contra delectationem primam. Unde nota quod gula semper solicita est ad suscitandam mortuam famem et extinctam sitim, ut palatum molliat, ventrem dilatet, et faciat corpus hospitium morborum, receptaculum sordium. Et sic gula facit ea tormenta quæ natura fecerat oblectamenta; numquam sobria omnia absorbet, et jeiuna et plena semper cruciatur, quæ multa et magna in unum et parvum ventrem infulcit; et dolet quod non potest omnia uno claudere ventre; et vellet habere reliquum corpus pygmæum, dummodo stomachum haberet giganteum. Bene ergo constat cara gula ipsi guloso qui emit eam pretio vitæ. — *Poi.* Hic poeta describit aliam vocem commendantem sobrietatem in detestationem gulositatis; et primo optimo exemplo ([1]) Mariæ, quæ in nuptiis Galilææ dixit: *Vinum non habent,* non ratione ebrietatis sed gratia honoris sponsi. Dicit ergo: *poi disse:* scilicet, illa vox: *più pensava Maria onde,* idest, ex qua re, *fosser le nozze orrevoli,* idest, solemnes, *et intere;* sine aliquo defectu, ut scribitur Joannis II capitulo, *ch' a la sua bocca,* ut biberet sibi, *ch' or,* idest, quæ bucca nunc orat ad Deum pro nobis. Sciebat enim Maria inimica gulæ quod, quod intrat per os non inquinat ([2]) animam, et quod homo potest vesci cibis splendidis et vinis sobrie, et vulgaribus gulose et ebrie. Et hic nota, quod sicut scribit Macrobius de mente Gallieni ([3]), vacantes gulæ non possunt diu vivere nec esse sani, nec quicquam cœleste cogitare nedum honorabile ([4]), sicut modo Maria. — *E le romane.* Hic poeta, tacta sobrietate Mariæ, quæ fuit perfectissima mulierum, nunc adducit exemplum unius generis mulierum clarum, et

---

([1]) E. exemplo gloriosissimæ Virginis Mariæ.

([2]) E. coinquinat. ([3]) E. Galieni.

([4]) E. honorabile, cuius contrarium faciebat tunc Sanctissima Virgo Maria, quando dixit in convivio verba illa. — *E le romane.* Hic poeta, tacta sobrietate gloriosissimæ Virginis Mariæ, quæ fuit.

bene. Poterat enim dicere hic aliqua mulier: non sum Maria, quæ repleta est spiritu sancto, immo sum fœmina fragilis, quæ habeo appetitus inordinatos; ideo ecce exemplum non unius sed multarum paganarum. Nam romanæ ([1]) olim, ut est apud Valerium, non bibebant vinum ne in aliquid dedecus prolaberentur. Unde narrat ipse Valerius de Romano, qui mactavit uxorem fuste, quam reperiit bibisse vinum furtim. Nam ab ebrietate ad libidinem faciliter ([2]) fit transitus, maxime in muliere; nam quicumque vinum appetit vitiis januam aperit; tamen romani permittebant eis licenter cultum personæ. Et tamen Seneca jam tempore suo conqueritur quod mulieres non minus potant quam viri, et ([3]) viros vino provocant; et dicit quod olim non patiebantur calvitium neque podagram sicut nunc. Dicit ergo poeta quod illa eadem vox veniens ab arbore dixit: *E le romane antique furon contente d'aqua per lor bere;* utinam contentarentur hodie uno et simplici vino. — *E Daniello.* Hic poeta adducit aliud exemplum sobrietatis in juvene hebræo. Ad quod est sciendum, quod sicut habetur Danielis primo capitulo et ex Josepho, Nabuchodonosor rex magnæ Babylonis capta Jerusalem adduxit secum regem Joachim et nobiles pueros cum thesauro magno: et de mandato eius quatuor pueri, quorum principalis fuit Daniel, pulcri forma et dociles ingenio electi sunt ut vescerentur cibis regalibus et erudirentur disciplina chaldæorum. Daniel autem proposuit ([4]) in corde suo non polluere ventrem suum cibo vel vino mensæ regalis: ideo impetravit a custode suo legumina pro cibo, et aquam pro potu; et factus est pulcrior ut promiserat illi. Similiter et socii sui quibus ([5]) Deus dedit scientiam et do-

([1]) E. romanæ mulieres olim.
([2]) E. facilis est transitus, præcipue in.
([3]) E. et quod viros.
([4]) E. proposuerat.
([5]) E. quibus omnipotens Deus.

ctrinam. Danieli autem præcipue dedit sapientiam et intelligentiam omnium visionum et somniorum, ut habebis ([1]) plene Paradisi IIII capitulo. Dicit ergo bene: *e Daniello,* propheta magnus, *dispregiò cibo,* regalis mensæ; *et acquistò savere,* idest, sapientiam magnam qua vicit omnes sapientes et magos orientis. — *Lo secol.* Hic poeta adducit aliud exemplum generale gentis unius ætatis, quam dicunt fuisse regnante Saturno rege Cretensi; in qua ([2]) homines vixerunt innocenter et sobrie, sine bello, sine cibo, et potu artificialiter præparato. Dicit ergo: *Lo secol primo quanto oro fu bello;* tempore Saturni, nam illa ætas ([3]) vocata est aurea propter puritatem et perfectionem, et tale seculum fuit sine gula vel ebrietate; unde dicit: *fe savorose con fame le ghiande,* quia fames debet excitare gustum non sapores; et similiter fecit, *ogni ruscello,* idest, rivulum aquæ puræ, *nèttare,* idest, videri dulcem et sapidum more nectaris. Nectar enim ([4]), idest, mulsum, scilicet, poculum factum ex vino et aromatibus, *con sete,* quia non comedebant, non bibebant nisi famescentes et sitientes hora tarda; ideo bene dicit Seneca quod ætas aurea sub Saturno fuit contenta modico et simplici victu non longo labore quæsito, sicut glandibus et aqua. Et hic nota quod appellatione glandis omnes fructus continentur, ut dicit lex civilis. De ista ætate dicetur plenius infra capitulo XXVIII. — *Mèle.* Hic ultimo poeta adducit aliud exemplum rigidæ sobrietatis de se clarum. Nam gloriosissimus ([5]) Joannes melle et locusta legitur educatus in sylvis. Dicit ergo bene: *Mèle,* liquor dulcis fructus apum sobriarum; vel, secundum alios: *mele,* idest, mala sylvestria, *e locuste;* locustæ, secundum Chrysostomum fugaces figurant nos, qui quasi

---

([1]) E. habetur.
([2]) E. in qua ætate homines.
([3]) 117, prima ætas.
([4]) E. enim idem est quod mulsum.
([5]) E. gloriosus Joannes Baptista melle et locustis dicitur educatus.

quibusdam corporum saltibus efferebamur, voluntate vagi, operibus inutiles, verbis queruli, sede peregrini, nunc autem sumus sanctorum alimonia; *furon le vivande che nudriro il Batista nel deserto,* scilicet, Joannem, qui in septimo anno ivit ad desertum; *perch' egli è glorioso e tanto grande quanto per l' evangelio n' è aperto;* ubi dicitur: *inter natos mulierum* (1) etc. Sed quid oportet adducere exemplum Joannis qui (2) sanctificatus fuit in utero matris, cum legamus gloriosissimos (3) duces bellorum pro terrena gloria fuisse sobrietatis amicos, sicut Julium Cæsarem, Hannibalem, Pyrrhum etc.?

---

(1) 117 e E. *mulierum non surrexit maior Joanne Baptista* etc.
(2) E. qui justissimus fuit et in utero matris sanctissimus, cum.
(3) E. gloriosos.

CANTUS VIGESIMUS TERTIUS, *in quo tractat sicut invenerunt spiritus vitii gulæ qui valde erant macri, et de modo pœnæ ipsorum, sub titulo Forensis consanguinei Dantis, qui multa prædixit contra dominas Florentiæ, et de multis aliis.*

MENTRE *che gli occhi per la fronda verde.* Postquam in superiori capitulo circa finem poeta noster tractavit et determinavit de pœna et purgatione gulosorum in generali, nunc consequenter agit et tractat de eadem materia magis in speciali. Et præsens capitulum XXIII potest dividi in quatuor partes generales ad minus. In prima quarum describit formam gulosorum multum curiose. In secunda introducit unum spiritum singularem modernum notatum vitio gulæ, qui sibi declarat pœnam quæ obscure posita est in præcedenti capitulo, ibi: *Già era in ammirar.* In tertia poeta movet unam quæstionem dicto spiritui, ibi: *Et io a lui.* In quarta et ultima manifestat se et suos duces dicto spiritui, ibi: *Deh, frate.* Ad primum veniens dico quod poeta declarat formam pœnæ gulosorum; et primo præmittit suam dispositionem supra [1] arborem superius descriptam per comparationem claram, dicens: *Mentre,* idest, interim, *ch' io ficcava gli occhi,* intellectuales, *per la fronda verde,* idest, illius arboris a simili, *sì come far suole chi dietro all' uccellin sua vita perde;* et est comparatio propria: sicut enim homo interdum fixe respicit intra ramos arboris ut videat aviculam ibi latentem, et sæpe perdit tempus inutiliter, quia non potest illam capere, ita recte poeta nunc respiciebat attente per frondes illius arboris, ut videret

---

[1] E. e 117, circa arborem.

quis loquebatur ibi, sed frustra, quia non poterat illum cognoscere; ideo bene Virgilius revocavit eum dicens: *lo più che padre,* idest, Virgilius præceptor ([1]), informator animi mei magis colendus quam pater, *mi dicea: figliuole,* idest, o fili mi, *veni oggi mai,* quia non est amplius standum hic; et ecce causam utilem et necessariam, *chè 'l tempo che n' è posto,* de quo modicum restat nobis, *più utilmente compartir si vuole,* quia multa restant videnda, quæ ambulando poterimus contemplari. — *Io.* Hic poeta ostendit qualiter monitus a Virgilio recessit ab arbore et accessit ad spiritus, qui purgabantur ibi. Dicit ergo statim: *Io volsi il viso,* scilicet, mentalem, *e 'l passo,* idest, processum ad aliud pertractandum, *non men tosto,* quasi dicat: removi pariter oculum et pedem ab arbore, *appresso i savi,* scilicet, Virgilium et Statium poetas, *che parlavan sie,* idest, tam dulciter et delectabiliter, *che mi facean l' andar costo di nullo;* quasi dicat, quod nullum laborem sentiebam in eundo; et merito, quia in vita populus romanus currebat certatim ad audiendum alterutrum istorum poetarum; imo hodie videmus multos avide concurrere ad audiendum libros istorum si sit aliquis bene legens et intelligens. Et tangit quomodo appropinquavit ([2]) ad spiritus, quia audivit voces; unde dicit: *et ecco s' udie,* idest, auditum fuit, *pianger e cantar,* quia illi de purgatorio plorando cantant, et cantando plorant propter spem et pœnam; et ecce quid dicebant: *Labia mea, Domine,* idest, illud dictum propheticum quod ad omnes laudes divinas decantatur, scilicet, *Domine labia mea aperies et os meum annuntiabit laudem tuam.* Quæ oratio optime competit gulosis istis, quasi dicant: Labia et os quæ exercui multum et sæpe ad manducandum et bibendum, nunc, o Deus, aperi ad laudan-

([1]) S. e E. præceptor meus et informator.
([2]) S. e E. appropinquaverit.

dum et glorificandum nomen tuum cum tanto studio et maiori. Et dicit: *per modo tal,* idest, cum tanta affectione et efficacia, *che parturie diletto e doglia,* delectationem ex devoto cantu, dolorem ex compassione amaræ pœnæ; quia affecti extrema fame et siti, vix poterant labia movere, aut verba [1] formare. Et subdit petitionem suam, dicens cum brevi responsione Virgilii circa dictos spiritus, dicens: *comincia' io,* supple, dicere: *o dolce padre,* scilicet, Virgili, *ch' è quel ch' i' odo? et elli,* scilicet, Virgilius respondit: *Ombre,* supple sunt, *che vanno forse solvendo il nodo di lor dover,* idest, debitum peccati, pro cuius culpa sunt hic carcerati et macerati fame et siti. — *Sì come.* Hic poeta describit formam venientium animarum per unam comparationem claram, dicens: *Turba,* idest, una multitudo, *d' anime,* scilicet, gulosorum, qui sunt infiniti et multi salvantur, *tacita e divota,* idest, tacite et devote tendens ad purgationem, *mota più tosto,* idest, quæ movebatur celerius quam nos, quia non erat homo cum carne in eorum societate, sicut in nostra, *venendo diretro a noi e trapassando,* scilicet, cito ante nos, *ci ammirava così, sì come i peregrin pensosi fanno,* scilicet, admirantur, *giugnendo per cammin gente non nota,* idest, aliam gentem peregrinam non notam eis. Et hic nota quantum hæc comparatio est applicabilis proposito autoris: sicut enim peregrinantes vadunt per viam ad indulgentiam peccatorum suorum cum devotione et tacita oratione; ita nunc isti spiritus tendentes ad purgationem: et sicut invenientes alios peregrinos ignotos retrospiciunt sibi a tergo, et nihil dicunt; ita nunc isti invenientes Virgilium, Statium, et Dantem non cognitos sibi, reflectunt se, et non retardant suum iter, ne perdant tempus et nihil dicunt. Et subdit habitum dictarum [2]

---

(1) 117, verbum formare. (2) 117, istarum animarum.

animarum, dicens: *ciascuna,* illarum animarum, *era oscura e cava negli occhi,* propter famem plus tamen et minus secundum profunditatem gulæ, *pallida nella faccia,* propter carentiam sanguinis, *e tanto scema,* idest, macra, *che la pelle s' informava dall' ossa,* idest, recipiebat formam ab ossibus super quibus erat tensa sine carne. Hoc totum faciebat fames nunc ad purgandam pinguedinem, quam olim fecerat ingluvies importuna. — *Non credo.* Hic poeta manifestat extremam maciem istorum famelicorum per unam pulcerrimam (1) comparationem et propriissimam. Ad cuius cognitionem est primo sciendum, quod sicut fingit Ovidius libro octavo maioris circa finem Erisicthon de Thessalia vir sacrilegus temere spernebat deam Cererem et colentes eam, adeo quod nemus consecratum illi dicitur violasse; et uni ex famulis formidanti incidere quercum (2) dedicatam deæ in furore amputavit caput, et arborem ipsam prostravit ad terram. Irata dea altam vindictam fecit de homine (3) insano: nam immisit famem inauditam in ventrem eius; unde Erisicthon in nocte somniabat comedere, vane vorans ventum, et crescente in dies fame vendidit et comedit omnia sua; nam quod satis fuisset uni populo non sufficiebat uni homini, et quanto plura vorabat, tanto plura appetebat more ignis. Demum omnibus consumptis vendidit unicam filiam suam pluribus vicibus, et ad tantam extremitatem devenit quod cœpit comedere membra sua vorans se ipsum. Visa fabula, considera veram allegoriam quæ latet sub cortice literæ. Erisicthon namque figurative est gulosus qui inconsulte spernit Cererem deam bladi, quia scilicet, non con-

(1) E. e 117, pulcram.

(2) E. quercum deæ ipsi dedicatam, furore motus caput illi amputavit, et arborem ipsam.

(3) E. homine isto insano, nam intrusit famem.

tentus pane et vino et aliis fructibus terræ (1) quærit sapida summo artificio præparata; ideo vindicta debita justo judicio Dei parata est, quia fames intrat corpus eius; nam si bene prandet, vult melius cœnare; si multum bibit, semper plus appetit: et sic continuo magis ardet appetitus corruptus, ita quod in nocte somniando ducit labia et dentes, et velut ignis consumit illud, de quo possent vivere mille (2); quid ultra? hodie vendit campum, cras vineam, ut satisfaciat ventri importunissimo creditori. Consumpta pecunia, vendit domum, equum (3), vestem, ancillam, et absorbet et deglutit omnem substantiam suam; demum vendit filiam propriam, uxorem, sororem; quando prostituit pudicitiam alteri pro pretio ut respondeat improbæ gulæ. Postremo deficientibus omnibus vertit furorem in se ipsum, cum efficitur servus alterius, famulator, adulator, leno, et quod est horribile dictu, comedit se ipsum dum vadit ad hospitale, imo ad fossatum; et ubi comedit omnia sua pediculi comedunt eum, et vermes paulatim ipsum adhuc viventem comedunt et rodunt (4). Ergo sic maledicta gula damnosissimum vitium, irremediabile malum. Nunc ad literam. Dicit poeta: *Non credo che Erisitone si fosse fatto secco,* idest, macilentus extenuatus, *a buccia strema,* sine aliqua carnositate, *per digiunar,* idest, propter famem, *quando più n' ebbe tema,* scilicet, cum cœpit vorare se ipsum. — *Io.* Hic poeta manifestata fame maxima exemplo unius, manifestat ipsam exemplo multorum; ideo comparatio ista est propriissima ad factum. Et ad intelligentiam istius literæ est sciendum, quod sicut habetur ex Josepho et aliis multis autoribus tempore illius durissimæ (5) obsidionis, qua Titus Vespasianus premebat Je-

(1) E. terrenis.
(2) 117, mille, et in uno convivio illud quod sufficeret in mille; quid ultra.
(3) E. equos, vestes, et ancillas. (4) E. et corrodunt. (5) E. diutissimæ.

rusalem omnibus intolerabilibus incommodis, crudelissima fames et nulli alii comparanda plus quam cætera mala urgebat miseram urbem, de qua non possem brevibus verbis [1] dicere, quandoquidem homines stercora et urinas jumentorum coacti sunt capere [2]; sed quod miserabilius fuit et cum lacrymis memorandum, mulier quædam nobilis genere et divitiis nomine Maria inventa est in alia multitudine quæ confluxerat ad urbem tempore obsidionis, ut alibi dictum est supra; cuius facultates tyranni primo invaserant, deinde per momenta satellites latronum reliquias rapiebant, propter [3] quod mulier indignatione et insania accensa sæpe illos provocabat maledictis ad interficiendum se; sed cum nullus vel ira vel miseria [4] mactaret illam, nec aliqua via posset quærere victum, fame et ira, pessimis consultoribus, instigante [5], armatur contra jura naturæ. Nam assumpto infantulo quem lactabat dicere cœpit: infelicis matris infelicior fili: in bello, fame, rapina latronum cui te reservabo? Nam si vita sperari possit, jugo romanæ servitutis servamur; sed jam nunc ipsam servitutem fames prævenit, et prædones peiores fame et servitute nos premunt. Veni ergo [6], mi fili, esto matri cibus, prædonibus furor, sæculis fabula, quæ sola deficiebat miseriis judæorum. Et cum hæc dixisset, simul filium jugulavit, et medium assavit, et reliquum reservavit. Et ecce prædones incitati odore carnis, mortem minantes nisi cibum quem senserant daret. Tunc illa infuriata dixit: certe partem optimam reservavi; et continuo detexit membra infantis [7]; sed illi quamvis crudeles territi sunt nimis, nec potuerunt facere verbum, vincente naturali pietate. Illa vero

---

(1) E. sermonibus explicare, quando.
(2) E. sumere.
(3) E. e 117, propter quæ.
(4) E. e S. misericordia.
(5) E. instigantibus.
(6) E. e S. ergo nunc, mi fili.
(7) E. infantuli; at illi.

vultu crudeli ferocior latronibus, dixit: filius meus est, meus partus, meum peccatum, comedite; nam et ego prior comedi quæ genui: nolite (¹) fieri misericordiores matre, aut fœmina molliores (²). Illi trementes recesserunt, hunc solum miseræ matri relinquentes cibum. Et continuo repleta est civitas flebili rumore, et quilibet abhorrebat factum velut si ipse fecisset; et laudabant mortuos, postquam talium rerum non polluerentur auditu. Nunc ad literam: dicit poeta: *Io dicea, fra me stesso pensando: ecco la gente,* perfida judæorum, *che perdè Jerusalemme,* unde Josephus narratis infinitis calamitatibus eorum, concludit; ut autem breviter dicam, neque puto aliam civitatem unquam fuisse passam talia, neque ullam nationem post hominum memoriam ferocioris fuisse malitiæ. Et ecce quando: *Quando Maria nel figlio diè di becco,* cum bucca. Et sic nota quod sicut (³) Maria filia Joachim hebræa vidit filium (⁴) agnum immaculatum crudeliter affigi ligno crucis; ita nunc alia Maria filia Eleazari hebræa proprium filium innocentem crudelissimo affixit spito et dentes iniecit in eum. — *Parean.* Hic poeta adducit tertiam comparationem (⁵) ad manifestandam formam istorum dicens: *l' occhiaie,* idest, sedes oculorum, *parean anella senza gemme,* quod probat per aliud argumentum; quia ille, *chi legge omo nel viso degli uomini bene avria quivi conosciuto l' emme.* Hoc dicit, quia istud nomen homo est descriptum in facie eius; nam ibi sunt duo oculi sicut duæ literæ, *o,* et linea nasi cum duobus arcubus superciliorum faciunt formam huius literæ *M; H* vero non est litera sed aspirationis nota; ideo facile poterat quis legere *M* in facie (⁶) istorum fa-

(¹) E. nolite ergo fieri. (²) E. meliores.
(³) E. sicut gloriosissima Virgo Maria.
(⁴) E. filium suum unicum agnum.
(⁵) 117, comparationem pulcram.
(⁶) 117, in vultu.

melicorum. Et hic nota quod Ovidius ubi supra describens famem dicit similiter quod habebat oculos cavos, capillos hirtos, labia alba, dentes rubiginosos, cutim duram et subtilem, per quam poterant videri omnia intestina; pectus habebat pendens et ventrem affixum spinæ, digiti videbantur longi, genua inflata, calcanei magni. Et subdit poeta quod non poterat cognoscere causam talis famis, quia non poterat imaginari quod procederet ab arbore illa; unde dicit interrogative: *chi crederebbe?* quasi dicat, nullus, *che l' odor d' un pomo generasse brama,* idest, appetitum edendi, *sì governando, e quel,* scilicet, odor, *d' un' acqua,* generaret appetitum bibendi, *non sappiendo como;* ignorando causam quomodo fiat.

Già era in ammirar. Ista est secunda pars generalis in qua poeta introducit unum spiritum modernum (1) de secta gulosorum. Ad cuius cognitionem est primo sciendum, quod iste fuit quidam concivis suus, nomine Foresius, natione florentinus, genere nobilis, frater famosi militis Cursii de Donatis, amicus et affinis nostri poetæ, cum quo vixerat ad tempus familiariter. Et quia noverat eum multum laborasse vitio gulæ, licet esset aliter vir bonus, ideo introducit eum hic ita maceratum. Et primo ostendit quomodo fuerit primo cognitus ab illo, dicens (2): *per la cagion ancor non manifesta,* de odore pomorum et aquæ, *di lor magrezza e di lor trista squama,* idest, siccæ scabiei; *et ecco un' ombra,* scilicet, Foresius Donati (3) donatus conspectui suo, *volsemi gli occhi del profondo della testa,* idest, de (4) concavitate oculorum; *e guardò fiso,* volens recognoscere me, *poi gridò forte,* ex magna affectione, videns quod eram Dantes (5): *qual*

---

(1) E. spiritum modernorum gulosorum, seu describit unum spiritum modernum de secta. (2) E. dicens: *Già era in ammirar per la.*

(3) E. Donati cum spiritu suo, *volsemi.*

(4) E. de profunditate concavitatis.

(5) E. Dantes, sic dicens: *qual.*

grazia m' è questa? quasi dicat mirabilis, quod videam te hic vivum, et inaudita gratia est data tibi. — *Mai.* Hic poeta ostendit qualiter recognoverit eum, dicens: *Mai non l' avrei riconosciuto al viso,* ita erat transformatus. Et hic nota, quod poeta merito fingit quod numquam recognovisset istum ad visum: per hoc volens dicere tacite quod ingluvies ventris multum et cito transmutat formam hominis. Unde Domitianus, qui fuerat pulcer juvenis, factus deformis calvitio capitis et pinguedine ventris, scribit ad amicum quod nihil est gratius, nihil brevius pulcritudine. Et dicit: *ma ciò che l' aspetto suo m' avea conquiso,* idest, clauserat et celaverat cognitioni meæ, *mi fu palese,* scilicet, quis erat, *nella voce,* quæ non est ita de facili transmutabilis sicut facies; unde dicit: *questa favella;* mirabile est quod loquela judicat de homine etiam cum non videtur (1), *mi raccese,* idest, renovavit, *tutta mia conoscenza,* quæ erat extincta, *alla cambiata labbia,* idest (2), in facie mutata, *e ravvisai la faccia di Forese.* — *Deh!* Hic poeta ponit orationem Foresii ad se qui petit ut dicat qui sunt duo duces eius non attenta eius figura ita transformata (3). Dicit ergo: et ille Foresius, *pregava me,* Dantem, dicens deprecative: *Deh! non attendere,* idest, pro Deo non advertas, *all' asciutta scabbia,* idest, ad siccam maciem (4); *che mi scolora la pelle,* idest, facit (5) me pallidum in facie, *nè a difetto di carne ch' io abbia,* per totum corpus; quasi dicat: rogo te non dedigneris loqui mecum, licet videas me ita horribiliter transformatum. Hoc ideo dicebat Foresius quia Dantes respiciebat eum fixe, non ex contemptu sed ex condolentia, ut statim patebit. Dicit ergo: *ma dimmi 'l ver di te,* scilicet, quomodo tu ita venisti huc, quod numquam auditum fuit de alio vivente; et etiam, *di' chi son*

(1) 117, videatur. (2) E. idest, facie mutata. (3) E. transmutata.
(4) 117, scabiem. (5) E. quæ facit squalidum in facie.

quelle due anime, separatæ, *che là ti fanno scorta,* ducentes te per regionem mortuorum? et rogo te, *non rimaner che tu non mi favelle;* qui tam socialiter eras solitus (1) conferre mecum in vita. — *La.* Hic poeta ponit responsionem suam ad Foresium. Et primo ad primum quod ille tetigerat; et dicit, quod non ex indignatione sed ex compassione respiciebat eum. Dicit ergo: *Rispos' io lui,* scilicet, illi Foresio: *La faccia tua ch' io lagrimai già morta,* quia tempore mortis ploraverat super amicum amatum, et post mortem sæpe suspiraverat eum; sicut dicit Augustinus de amico suo libro Confessionum; *mi dà di pianger già non minor doglia,* quasi dicat: imo maiorem, quia non dolui tantum videre te mortuum, sicut modo videndo te ita transformatum; ideo dicit: *veggendola sì torta,* idest, tantum transmutatam ab illa. Et hic nota quod istud maledictum vitium gulæ de sui natura nimis enormiter alterat omne corpus; nam gula inducit macilentam tisim, pinguem bulsitiem, trementem paralysim, sitientem hydropisim, siccam scabiem, ferventem febrem, fœdam nauseam, torsiones viscerum, deformitates totius corporis, et immaturam infeliciter mortem. Hic autem fames qua purgatur gula inducit tantum solam macredinem (2) tantam. Et continuo petit causam tantæ extenuationis in eo antequam respondeat ad petita, dicens: *però mi di' per Dio,* rogo te, *che sì vi sfoglia,* idest, quid est illud quod ita spoliat vos carne, *non mi far dire,* id quod petis de me, et sociis, *mentr' io mi meraviglio,* de re incognita, nec habeas pro malo; *chè mal può dir chi è pien d' altra voglia,* scilicet, maiori, de qua magis curat. — *El elli.* Hic poeta ponit responsionem Foresii ad petitionem suam, quæ (3) responsio est clara

(1) E. sollicitus. (2) E. macritudinem tacitam. Et.

(3) E. quæ petitio est cum responsione clara per ea quæ dicta sunt et exposita supra de.

per ea quæ jam exposita sunt supra de mirabili potentia pomorum et aquæ. Dicit ergo: *Et elli a me,* supple, Foresius dixit: *vertù cade dell' eterno consiglio,* idest, provenit ex justo judicio Dei, ad purgandam gulam pinguem et unctam, *nell' aqua e nella pianta,* idest, arbore pomifera, *rimasa adietro,* quæ descripta est supra, *ond' io sì m' assottiglio,* idest, excarnor: et subdit, quod non solum ipse sed cæteri taliter puniuntur, dicens: *tutta esta gente,* idest, ista multitudo magna quam cernis hic mecum transire sub arbore, *che piangendo canta,* dicendo: *Domine labia mea aperies,* ut dictum est supra, *si rifà santa qui in fame e in sete,* ubi primo fuerat peccatrix, *per seguitar la gola oltre misura,* idest, plusquam expedit ad substentationem vitæ, secundum complexionem, ætatem, locum, tempus, laborem, regionem (1); nam in hoc oportet sequi medium virtutis, quoniam illud quod est minimum uni, alteri est nimium, sicut philosophus adducit exemplum de Milone gigante, qui pugno mactabat taurum, et illum coctum comedebat nec gravabatur; et tamen pes illius tauri satis fuisset mihi. Et declarat causam huius famis et sitis, dicens: *L' odor ch' esce del pomo e dello sprazzo,* idest (2), aqua, *che si distende su per sua verdura,* scilicet, in ramos arboris, *n' accende cura,* idest, ingenerat nobis appetitum, *di bere e di mangiare.* — *E non.* Hic Foresius assignata causa pœnæ istorum, assignat causam intensionis pœnæ eorum, quia continuo vadunt et redeunt ad locum arboris et aquæ. Dicit ergo: *E questo spazzo,* idest, ista deambulatio quam continuo facimus, *girando,* circa montem, *si rinfresca,* idest, renovat et reparat, *nostra pena,* scilicet, famem et sitim, *non pur una volta,* quasi dicat: imo sæpessime. Et talis recte debet esse pœna gulosi, ut sicut sæpe solebat ire

---

(1) E. et regionem; nam in his oportet. (2) E. idest, de aqua.

et redire ad coquinam, et tabernam, ita nunc sæpe substineat famem et sitim voluntarie; unde facit colorem, qui dicitur correctio, dicens: *io dico pena e devria dir sollazzo.* Et suddit solatiosam pœnam eorum per devotissimam comparationem, dicens: *chè quella voglia ci mena,* multotiens, *all' arbore,* hoc dicit, quia invenient aliam arborem in eadem via, ut patebit infra capitulo sequenti, *che menò Cristo lieto a dire Ely,* in ligno crucis existentem, *quando ne liberò con la sua vena,* idest, proprio sanguine. Et hic nota quantum comparatio est propria ([1]). Christus enim in ara crucis quantumcumque afficeretur amare ([2]) pœna corporali, tamen læte dixit: *hely hely,* pro salute nostræ redemptionis; ita animæ istorum dulciter cruciantur in odore aquæ et pomi gratia suæ salvationis. Et hoc videmus esse verum in purgatorio morali, quia homo volens purgare in se vitium gulæ sponte abstinet a cibis et vinis sapidis, quamvis videatur sibi durissimum cessare a delectabilibus ([3]) assuetis. Et ulterius nota quod pœna pœnitentialis in vita est magis voluntaria, quia est a voluntate imperante; sed pœna purgatorii est a voluntate substinente, quia voluntarie ([4]) tolerant, et cum hoc vehementer desiderant ad patriam pervenire, et ad hoc auxilium optant ab aliis.

Et io a lui. Ista est tertia pars generalis, in qua poeta noster movet unum dubium Foresio, et est dubium tale: dictum est sæpe circa principium huius libri in multis locis et capitulis quod differentes pœnitentiam ad extremum mortis stant relegati extra purgatorium per tantumdem temporis; cum ergo poeta sciret Foresium fuisse de numero talium, merito dubitat, et dubitando petit, quomodo ante tempus pervenerit ad purgatorium.

([1]) E. propria. Dominus enim et redemptor noster pretiosissimus Dominus Jesus Christus in ara. ([2]) E. amarissime.
([3]) E. a delectationibus assuetis. ([4]) 117, voluntarie laborant.

Dicit ergo: *Et io a lui:* supple, dixi, *o Forese, cinqu' anni non son volti infino a qui da quel dì,* scilicet, mortis, *nel qual mutasti mondo a miglior vita;* quasi dicat: tu mortuus es jam quasi quinque annis elapsis, scilicet in millesimo ducentesimo nonagesimo sexto; hoc præsupposito ([1]), *come se' tu venuto ancor di qua,* ad verum purgatorium, *se la possa del peccar più fu finita,* in voluptate gulæ, cui semper servisti usque ad mortem, *prima che sorvenisse l' ora del buon dolor,* scilicet, pœnitentiæ, *ch' a Dio ne rimarita,* idest, reconciliat; et est proprius modus loquendi. Anima enim meretrix, quæ recesserat a Deo adulterando cum multis procis, reconiungitur illi petendo suppliciter veniam, quasi dicat: si peccata tua prius dimiserunt te quam tu illa, quomodo non es tu cum aliis tuis concivibus, Casella, Bilaqua et talibus? Unde dicit: *io ti credea trovar là giù di sotto,* in antipurgatorio errantem circa montem, *ove tempo per tempo si ristora,* quia tanto tempore statur extra, quanto dilata est pœnitentia. Et hic nota quod poeta noster facit hanc petitionem ut veniat ad unum suum propositum, ut statim patebit. Quia enim sæpe fecerat mentionem de florentinis suis et vitiis eorum, ideo nunc captata opportunitate acuit stylum suum contra mulieres eorum. — *Et egli.* Hic poeta ponit responsionem Foresii ad se, qui breviter dicit, quod intercessio uxoris suæ citius fecit eum ascendere. Ad quod sciendum quod Foresius præfatus habuit in vita unam uxorem suam, cui nomen fuit Anella, mulier quidem sobria et pudica, quæ temperanter vixit cum isto guloso, cui habebat semper præparare delicata cibaria, in quo magis virtus eius enituit. Et sicut in vita numquam cessabat revocare eum ab errore suo, ita post mortem numquam cessavit orare pro eo; cum

([1]) S. supposito.

tamen mulier soleat faciliter oblivisci priorum affectuum, ut autor alibi jam dixit. Dicit ergo: *Et egli a me,* supple, respondit Foresius: *La Nella mia,* vetula uxor sic vocata, *sì tosto m' ha condotto a ber lo dolce assenzio de' martìri,* idest, dulcem amaritudinem pœnarum: quanto enim delectatio in cibo et potu fuit magna, tanto pœna est amara in fame et siti, et tamen dulcis videtur ratione spei; *col suo pianto dirotto,* ita quod sobria vini, facta est prodiga lacrymarum, et ita, *m' ha tratto della costa,* scilicet, inferiori montis, *ove s' aspetta,* ad tempus, ut dictum est, *co' suoi prieghi divoti;* et ideo justis, *e con sospiri,* a profundo cordis. Et dicit: *e liberato m' ha degli altri giri,* inferioribus purgatorii, scilicet, de circulo superbiæ, invidiæ [1] etc. — *Tanto.* Hic Foresius extollit singularitatem virtutis Anellæ, quæ paucas habet socias inter tot inhonestas mulieres florentinas. Et ut videas, quid autor noster sentiat sub nomine unius, debes notare, quod nihil est melius, nihil utilius muliere pudica. Multa enim sunt quæ per se nobilitant clara ingenia virorum; at mulierum propria virtus est pudicitia: ideo summe laudanda, quia bene meretur de maioribus, quorum sanguinem furtiva soboles non vitiat; bene de filiis qui non habent erubescere de matre, nec dubitare de patre; bene primo de se, quam liberat a contumelia alieni corporis. Ergo principalissime mulier debet habere curam pudicitiæ, qua amissa [2] omnis virtus ruit. Hæc pauperem commendat, divitem extollit, deformem redimit, exornat pulcram. Ergo beatus Foresius, cui contigit habere talem mulierem; de qua dicit: *La vedovella mia,* scilicet, Anella, quam annulo desponsaveram, *che tanto amai,* et bene redamavit me viventem, et defunctum, *tanto è a Dio più cara e più diletta, quanto in*

---

[1] E. invidiæ et huius. — *Tanto.*

[2] E. amissa, ruit omnis virtus illius.

ben operar è più soletta, in patria nostra, in qua mulieres nimis vane operantur. Et confirmat quod dixit de mulieribus florentinis per comparationem ad quasdam mulieres barbaras, quæ dicuntur esse in Sardinia, sine pudore, et sine habitu civili. Dicit ergo: *che la Barbagia di Sardigna;* Montanea est altissima in insula illa, in qua habitat gens silvestris sine lege, sine religione vera: quæ dicitur remansisse ibi, quando insula fuit recuperata de manibus barbarorum de Africa, quorum mulieres sunt nimis lubricæ et impudicæ, permittentibus viris. Nam pro calore et prava consuetudine vadunt indutæ panno lineo albo, excollatæ ita, ut ostendant pectus et ubera; et recte more florentinarum, talis, inquam, Barbagia, *è assai più pudica ne le femmine sue,* quasi dicat: minus impudica, *che la Barbagia,* scilicet, Florentia, quam Barbagiam alteram vocat, *dov' io la lasciai. — O dolce.* Hic Foresius ostendit quod ad vanam voluptatem (¹) mulierum florentinarum jam parata est debita disciplina, quam prænuntiat eis, dicens Danti: *O dolce frate, che vuoi tu ch' io dica?* de mulieribus nostris, *tempo futuro,* in brevi, *m' è già nel cospetto,* idest, est mihi jam præsens, quia jam videor videre, *cui non serà quest' ora molto antica,* quasi dicat: non multum longe ab hodierna die et præsenti hora, *nel qual fie interdetto in pergamo,* idest, in quo tempore vetabitur publice in pulpito, *alle sfacciate donne fiorentine,* quæ sine fronte, sine pudore non timent verecundiam, *l' andar mostrando il petto con le poppe,* idest, mamillis quæ sunt occultabilia, nec debent ostendi nisi legitimo viro. Et ostendit quod sic expedit (²) eis propter nimiam impudentiam earum. Unde dicit interrogative: *quai barbare, quai saracine fur mai?* quasi dicat: numquam vel nusquam, *cui biso-*

(¹) E. voluntatem. (²) 117, expediat eis.

gnasse discipline o spiritali, idest, vel spirituales, sicut excommunicatio; vel habitus bonus, qualem dedit beatus Gregorius mulieribus romanis, sub quo honeste latent; *o altre,* scilicet, vel disciplinæ temporales, sicut statutum civitatis, vel pœna officialis, quæ vetat inhonestam et enormem decisionem pannorum circa collum; sicut aliquando factum est Florentiæ propter istas barbagienses. Et hic nota, quod poeta noster meritissime facit invectivam [1] contra istas. Nam nulli artifices in mundo habent tam varia organa et diversa instrumenta et subtilia argumenta pro exercitio suæ artis, sicut mulieres florentinæ pro cultu suæ personæ. Non enim contentæ naturali pulcritudine, semper conantur addere, et contra omnes defectus incredibili arte sagaciter se armant. Nam parvitatem adiuvant cum planula alta; carnem nigram dealbant; faciem pallidam faciunt rubicundam; capillos faciunt flavos; dentes eburneos; mamillas breves et duras: et ut breviter dicam, omnia membra artificiose componunt. Quid mulierum tuscarum mores referam, de quibus Gerius de Aretio satyram fecit ad imitationem Apuleii? Non solum autem mulieres tuscæ, sed ubique terrarum intemperantes factæ sunt, sicut Seneca ostendit de mulieribus romanis. Feminæ autem florentinæ vel Florentiæ comedunt et bibunt, antequam vadant ad nuptias vel ad ecclesiam.—*Ma se.* Hic ultimo Foresius prænuntiat mala eventura in brevi super Florentiam, quæ mulieres florentinæ habebunt deplorare; unde dicit: *Ma se le svergognate,* bene dicit, quia verecundia est frænum mulierum, et silentium est ornamentum earum, quæ duo raro inveniuntur in mulieribus florentinis, *fosser certe,* sicut ego sum, *di quel che 'l ciel veloce loro ammanna,* idest, cito præparat et

[1] 117, invectivam mordacissimam.

prædestinat eis, sicut cædes virorum et filiorum, bonorum direptiones, et incendia domorum; quæ omnia in brevi imminebant illi urbi, *già per urlar,* quia sunt uxores luporum, *avrian le bocche aperte;* vociferantes in cœlum. Et ecce quare: *che se l' antiveder qui non m' inganna,* idest, si prævidere futura non est hic falsum, quod non credo, *prima fien triste, che le guance impeli colui,* scilicet, infans, *che mo' si consola con nanna,* idest, qui vagit in cunabulo, et quietatur ad cantum mulieris, quæ dicunt *nanna,* aliæ *ninna.* Et dicit: *impeli le guance,* idest, induat lanuginem, quasi dicat: antequam ille, qui modo est puer, fiat barbatus ([1]). Et hic nota, lector, quod audivi aliquos temere dicentes, quod istud prognosticum est vituperium poetæ, quia jam transiverant tot tempora, quod non evenerunt ea, quæ præsagire videtur in tam brevi spatio. Ad quod respondeo, quod autor loquitur hic de præteritis et jam factis, non de futuris modo fiendis. Sed videtur prophetare, quia respicit ad tempus suæ visionis, quæ fuit in MCCC, sicut jam totiens dictum est. Magna etenim mala secuta sunt post istud tempus, sicut intestina discordia, civile bellum et expulsio partium, quæ fuerunt secundo et tertio anno sequenti; et anno quarto venerunt de novo ad arma Albi et Nigri. Et flagrante furore belli, accensus est ignis, sive casualis, vel artificialis, ut multi dixerunt, opera cuiusdam presbyteri Nerii de Abbatibus, qui ipsum primum immisit in domum suam: et breviter cremata est melior pars civitatis, plusquam duo millia domus ([2]) cum damno inæstimabili. Nec interim cessatum est ab armis, sed continuo factæ sunt magnæ prædæ. Et anno quintodecimo receperunt illam terribilem stragem apud Montem Catinum ab Uguccione de Fagiola.

([1]) 117, barbutus. ([2]) E. domuum.

Deh, frate. Ista est quarta et ultima pars ([1]), in qua poeta manifestat Foresio quomodo venerit huc vivus, et qui sunt duo duces sui: et primo inducit Foresium instantem, ut non differat ulterius respondere ad petitionem suam. Dicit ergo Foresius deprecative: *Deh frate?* quasi dicat: rogo te, carissime frater, *or fa' che più non mi ti celi;* postquam respondi tibi plene et amicabiliter ad utrumque quæsitum tuum tam publicum quam privatum. Et ad captandam plenius benevolentiam, dicit: *vedi che non pur io,* qui novi te in vita et recognovi te statim paulo ante, *ma tutta questa gente,* idest, turba maxima gulosorum, *rimira là dove il sol veli,* scilicet, cum umbra corporis tui, quod non faciunt umbræ mortuorum. Et subdit quomodo respondit primo Foresio occulte, ita quod facit insinuationem captando benevolentiam; et sententialiter vult dicere, quod Foresius non est tantum mutatus in corpore, postquam mortuus est, quantum ipse mutatus est animo. Dicit ergo: *perch' io a lui,* supple, dixi: *se ti riduci a mente,* idest, revocas ad ([2]) mentem et memoriam, *qual fusti meco,* in patria nostra, inter illas sirenas, *e qual io teco fui,* convivendo tecum; *il memorar presente,* idest, præsens recordatio, *ancor fia grave,* idest, erit molestum nobis, quia memoria præteritorum inter nos non fiet sine dolore et pudore; quasi dicat, tacite: si tu recordaris modo eorum quæ dicebamus et faciebamus vane vacando lasciviis, amoribus, et aliis rebus vanis, sequentes delectabilia non honesta; certe talis memoria erit amara tibi, qui hic purgaris ut pervenias ad beatam vitam, et mihi qui quæro virtutem et gloriam magnis laboribus et vigiliis, et sum factus novus homo maturus, gravis et bene moratus. — *Di quella.* Hic poeta respondet aperte qualiter vivus venerit

---

([1]) E. pars huius capituli, in qua. ([2]) 117, ad memoriam.

illuc, dicens: *Costui che mi va innanzi,* scilicet, Virgilius, *mi volse di quella vita,* vana et vitiosa, *l' altr' ieri,* forte sex diebus ante, *quando la suora di colui,* scilicet, luna soror solis, qui fuerunt gemelli nati ex uno patre Jove, quos simul peperat Latona, ut dictum est, in insula Delo, *vi si mostrò tonda,* quartadecima martii sole (1) in ariete; quasi dicat: in bono et felici puncto, ita quod semper de bono in melius; ideo dicit: *il sol mostrai: costui,* scilicet, Virgilius valentissimus præveniente divina gratia, *menato m' ha,* sanum et salvum, *per la profonda notte da veri morti,* idest, profundam noctem (2) inferni, ubi sunt vere mortui sine spe, non sicut illi qui sunt in purgatorio, *con questa vera carne,* ideo facit umbram, de qua miramini, *che 'l seconda,* idest, sequitur eum secunde et prospere. — *Indi.* Hic poeta ostenso quomodo descendit ad infernum ducente (3) Virgilio, ostendit quomodo ascendit purgatorium cum eodem. Unde dicit: *Indi,* idest, ex illo inferno, ubi numquam lucet sol, *m' han tratto su li suoi conforti,* ad purgatorium per quod numquam itur nisi lucente sole, *salendo,* idest, ascendendo, ubi in inferno semper tenditur deorsum, *e rigirando la montagna,* idest, circulariter eundo, *che drizza voi,* versus Deum, *che 'l mondo fece torti;* quia abusi estis rebus mundanis. Et subdit spem promissam sibi de futuro dicens: et ille Virgilius, *dice di farmi tanto sua compagna ch' io sarò là dove fia Beatrice,* scilicet, in cacumine montis. Et dicit: *quivi convien che senza lui rimagna,* quia non habet alas ad altiorem volatum. Et declarat utrumque ducem, dicens: *Virgilio è questi,* qui sicut pastor bonus cum virga sua me direxit hucusque, et diriget usque ad summum, *che così mi dice,* et faciet ut dicit; *et additàlo,* idest, digito ostendi eum; *e quest' altra è quel-*

(1) 117, sole intrante in ariete. (2) 117, vallem.
(3) E. duce Virgilio.

l'ombra, scilicet, anima Statii, *per cui,* idest, cuius causa, *ogni pendice,* omnis pars montis pendentis, *scosse dianzi,* idest, mota est paulo ante, ut patuit supra in fine XX capituli, *del vostro regno,* scilicet, purgatorii, *che da se la sgombra,* idest, liberat, et mittit ipsam tamquam purgatam ad regnum Dei. Et hic nota, lector, quod ex multis dictis supra potest coniecturari, quare poeta noster finxerit quod totus mons [1] tremit quando aliqua anima liberatur a pœna. Per hoc enim videtur tacite dicere quod talis omnino excluditur a terrenis, et nihil terrenum de cætero sapiet, factus quasi quædam imago deitatis [2].

---

(1) E. mundus. (2) E. deitatis vel divinitatis.

CANTUS VIGESIMUS QUARTUS, *ubi tractat de eisdem, et sicut Foresius multos illorum nominavit Danti et præcipue Bonagiuntam Orbicciani de Luca, qui dixit Danti aliqua futura de civitate Lucæ, et de aliis multis; et in fine invenerunt arborem in via de qua exivit vox quædam.*

Nè il dir l' andar, nè l' andar lui più lento. Postquam in præcedenti capitulo poeta noster tractavit et determinavit de purgatione gulæ quæ punitur in sexto circulo, nunc consequenter in isto capitulo XXIIII agit et tractat de eadem materia, quæ est multum copiosa, in multis aliis spiritibus modernis; vel tractat de alia specie gulosorum qui fuerunt amatores vini. Et præsens capitulum (1) non potest dividi in paucioribus quam quinque partibus. In prima quarum introducit dictum spiritum Foresii a quo inquirit de quadam sorore eius et quibusdam gulosis. In secunda introducit alium spiritum de nominatis per Foresium qui commendat ipsum autorem a singulari eloquentia, et nominat quosdam præcipuos inventores in lingua materna (2), ibi: *Ma, come fa.* In tertia poeta revertitur ad conferendum cum Foresio, qui prædicit sibi aliqua futura, ibi: *E come l' uom.* In quarta describit aliam arborem, et docet quomodo refrænatur vitium gulæ, ibi: *E quando.* In quinta et ultima inducit angelum qui purgat ipsum a vitio gulæ, ibi: *Poi, rallargati.* Ad primum dico quod poeta inducit adhuc Foresium qui nominat (3) sibi quosdam alios spiritus; sed primo pro continuatione ostendit bonam dispositionem utriusque. Solent enim ambulantes simul interdum remorari in via

(1) 117, capitulum dividitur in quinque partibus. In prima quarum.
(2) E. moderna.
(3) S. nominavit sibi.

propter colloquium; et e converso colloquentes simul sæpe solent dimittere vel tardare colloquium propter accelerare iter; ad propositum vero poeta vult dicere quod hic utrumque ([1]) faciebant, et bene. Dicit ergo: *Nè il dir*, idest, mutua collatio amborum ([2]), *facea più lento l' andar*, nostrum, *nè l' andar facea più lento lui*, idest, ipsum loqui, *ma ragionando andavam forte*, a simili, *sì come nave pinta da buon vento*. Et est propria similitudo: navis enim istorum levis impellebatur a bono spiritu, et tendebat ad bonum portum cum bona confidentia, quia habebat duos peritos patronos, scilicet, Virgilium et Statium, qui bene sciebant vitare scopulos et tenere rectum iter. Et subdit dispositionem illarum animarum, dicens: *e l' ombre che parean cose rimorte*, in fame et siti, *per le fosse degli occhi*, ut dictum est in capitulo præcedenti, *traean ammirazion di me*, illæ, dico, *accorte di mio vivere:* per umbram corporis poterant isti mirari, quod Dantes erat vivus, nec erat macer sicut ipsi, licet esset macer per naturam et studium; nec erat ebriosus sicut isti fuerant, imo valde sobrius. — *Et io*. Hic poeta ostendit quomodo processerit in sermone inchoato; quia enim in fine præcedentis capituli loquendo cum Foresio dixerat quod anima Statii recedebat a regno purgatorii; ideo nunc reflectit se ad illud dictum et dicit: *Et io continuando il mio sermone, dissi*, Foresio: *ella*, scilicet, umbra Statii, *sen va su*, versus cœlum, *forse più tarda*, scilicet, propter me et Virgilium, in quorum societate vult esse usque ad summum montis, *che non farebbe per l' altrui cagione*, quia gratia alterius non retardasset si non occurrisset nobis in via, imo jam evolasset in cœlum: et sic vide quod verus amicus postponit ad tempus proprium commodum pro amico, ut dicit philosophus

---

([1]) 117, utrumque simul faciebant. ([2]) 117, verborum.

IX Ethicorum; quasi dicat tacite: me oportet expediri citius a te, ne retardemus Statium qui tendit ad cœlum; ideo dic mihi, rogo, ubi est soror tua? Et facit petitionem suam, dicens: *ma dimme,* postquam dixi tibi de meis, *se tu sai, dov' è Piccarda,* soror tua; et iterum petit: *dimme s' io veggio persona da notar,* dignam fama, *tra questa gente,* gulosorum, *che sì mi riguarda,* cum tanta admiratione. — *La mia.* Hic poeta ponit responsionem Foresii primo ad primam petitionem suam commendans sororem suam merita laude, dicens: *La mia sorella,* scilicet, Picarda, *che tra bella e buona non so qual fosse più,* et est magna laus mulieris, quia rara est concordia formæ atque pudicitiæ, *trionfa lieta nell' alto olimpo,* idest, in cœlo empyreo, *già di sua corona,* quia pugnavit fortiter in mundo contra carnem, ubi est continua pugna, sed rara victoria; ideo nunc fruitur vera gloria. Et sic vide quod Dantes tribus fratribus dat tria regna, scilicet, Picardæ paradisum, Foresio purgatorium, Accursio infernum, ut patebit paulo infra. Et subdit responsionem Foresii ad secundam petitionem, dicens: *sì disse in pria, e poi,* supple, dixit: *qui non si vieta di nominar ciascun,* quia licenter possum hic nominare unumquemque, et nullus habebit pro malo, quia est ita transformatus pœna, quod non est cognoscibilis. Unde dicit: *da ch' è sì munta nostra sembianza,* idest, ex quo est ita exhausta et macrefacta apparentia sive figura nostra, *via per la dieta,* idest, longam famem. Et continuo Foresius nominat unum suum vicinum lucanum natione, dicens: *questi, e mostrò col dito,* ut cognosceretur, *è Bonagiunta,* * et quia multi alii poterant sic vocari, ideo ad tollendam equivocationem repetit; *Bonagiunta* * (1) *da Lucca;* nec describit eum aliter, quia plenius dicet de

(1) Le parole fra i due asterischi son supplite dal Codice 117.

eo paulo infra: posuit tamen eum primum ante omnes, quia melius noverat eum, et quia fuit maximus magister gulositatum. — *E quella.* Hic Foresius nominat alium spiritum, qui fuit altissimus gurges gulæ. Iste fuit papa Martinus gallicus; ideo fuit multum favens Carolo I contra Siciliam, et misit francos contra Forlivium: vir bonus et prudens nimis, tamen splendide vivens. Nam cum haberet curiam in Italia in civitate Viterbii, faciebat suffocari anguillas optimas (¹) illius lacus in vino optimo vernaccino, et illas sapidissimas avidissime comedebat. Nec minus bene bibebat cum illis, quia anguilla vult natare in vino in ventre. Dicit ergo Foresius, describens istum spiritum a dignitate, a patria, a gulositate: *e quella faccia di là da lui,* scilicet, post Bonagiuntam, *più che l' altre trapunta,* idest, magis macra, quia gravius deliquit, quia varia arte laxabat ventrem, cui utilior erat fames, et utilissima sobrietas, dum in fœdo et misero sacculo tot pretiosa confundebat: *ebbe la santa chiesa in le sue braccia;* plus tamen habuit curam anguillarum quam animarum, *dal Torso fu,* scilicet, Turonis; civitas est Franciæ; *e purga per digiuno l' anguille di Bolsena,* lacus est ecclesiæ inter Perusium et Viterbum; *e la Vernaccia.* Istud vinum plus cæteris nutrit et impinguat; et nascitur in montibus altissimis Januæ, de quo non fit mentio apud autores, quia illa loca non erant olim culta. Et hic nota, quod utilius erat isti magno sacerdoti si bibisset de illo vino, in quo erant anguillæ necatæ; quia qui bibit de tali vino, semper fastidit vinum, ut dicit Magnus Albertus; et ego experientiam vidi in uno magno episcopo. Et subdit poeta: *molti altri mi mostrò,* idest, nominavit mihi ille Foresius, *ad uno ad uno, e del nomar parean tutti contenti,* pro-

(¹) S. magnas.

pter causam assignatam; *sì ch' io però non vidi un atto bruno,* alicuius turbationis. — *Vidi per fame.* Hic poeta nominat alium spiritum modernum de genere gulosorum. Iste fuit quidam nobilis miles de clara familia Ubaldinorum, de qua fuerunt multi valentes viri; et ipse fuit liberalis et civilis, frater cardinalis Octaviani magnifici, qui semel duxit papam cum tota curia in montes Florentiæ ad domum et castellum istius Ubaldini, et ibi stetit pluribus mensibus. Modo poeta posuit cardinalem in inferno, tamquam epicureum, et istum posuit in purgatorio pro guloso. Dicit ergo: *Vidi Ubaldin,* nomen est proprium et cognomen, quia fuit de Ubaldinis, et dicit, *dalla Pila;* nomen est loci, a quo unum membrum istius domus: Ubaldini (1) fuerunt florentini, quibus datæ sunt Alpes Florentiæ sub gubernatione et defensione, sed ipsi sciverunt continuare possessionem per longa tempora: et diebus istis sunt destructi per commune Florentiæ; *a vôto usar li denti,* idest, in vanum, *per la fame;* et bene dat isti hunc actum, quia fuit prodigi (2) ingenii ad omnia irritamenta gulæ. Ipse enim de more suo quotidie inquirebat ab expensore suo quid ordinasset pro prandio vel cœna; et illo respondente (3) hoc et illud, respondebat: facias etiam sic; nec umquam ille poterat tam varia ordinare, quin iste semper adderet aliquid. — *E Bonifazio.* Hic nominat alium magnum gulosum gallicum, qui poterat stare cum papa Martino gallico; quem bene ponit hic, quia gallici sunt (4) amici gulæ et vini, et quia prælati maxime laborant morbo gulæ: iste autem fuit archiepiscopus Ravennæ; de cuius gula autor audiverat multa, dum staret Ravennæ. Dicit ergo: *Vidi Bonifazio:* non dicas, sicut multi dixerunt, quod hic Bonifacius fue-

(1) 117 e E. Ubaldini enim fuerunt antiquitus florentini.
(2) 117, prodigus et sagacis ingenii. (3) 117, dicente.
(4) E. sunt omnes amici gulæ.

rit filius Ubaldini prædicti: et describit eum ab insignio singulari magnæ dignitatis suæ, dicens: *che pasturò col rocco molte genti;* quia archiepiscopus ravennas est magnus pastor, qui habet sub se multos episcopos suffraganeos ab Arimino usque Parmam: et dicit, *col rocco;* nam cum cæteri pastores habeant virgam pastoralem retortam, iste habet totam virgam rectam et in summitate rotundam ad modum calculi, sive rocchi. — *Vidi messer.* Hic ultimo poeta nominat alium (1) virum potentem; et transit de Ravenna Forlivium, ubi sunt meliores potatores et meliora vina. Iste fuit nobilis miles de Arighoglosiis (2) de Forlivio, pater dominæ Lætæ, quæ fuit mater domini Bernardini de Polenta, qui fuit Dionysius (3) ravennatum. Fuit iste vir curialis et placidus multum. Unde cum semel adiuraret pincernam suum, ut sibi diceret, quid diceretur de eo; et illo respondente trepide: *Domine, dicitur, quod numquam facitis nisi bibere;* dixit ridenter: *Et quare numquam dicunt, quod semper sitio?* Dicit ergo describens eum a nomine proprio: *Vidi messer Marchese.* Cum autor nominet tam multos milites in toto poemate suo, numquam facit istum honorem (4) *domini,* nisi duobus, scilicet domino Guidoni de Fano, et isti domino Marchesio, quia fuit tam valens in bibacitate. Et ecce quomodo: *ch' ebbe spazio già di bere a Forlì,* quia dives et potens in patria sua, ubi sunt vina magna et fumosa, *con men secchezza,* quam modo, quia tunc habebat copiam vini, et præveniebat sitim; nunc vero in tanta siti non potest (5) habere unam guttam aquæ. Et dicit: *e sì fu tal,* scilicet, bibitor, *che non si sentì sazio,* scilicet, unquam. Et hic nota quod, sicut eleganter dicit Plinius, hæc necessitas

(1) E. alium vini potentem.
(2) E. de Argugliosis.
(3) E. qui fuit dominus ravennatum.
(4) E. honorem *messere,* idest dominum.
(5) E. non potest bibere.

sequitur hoc vitium, ut bibendi consuetudo augeat aviditatem, quanto plus biberint tanto magis sitiunt: soli animalium non sitientes bibimus; et qui vinum non habent naturale faciunt sibi artificiale: et sic in nulla parte mundi cessat ebrietas, et quod peius est irritamenta excogitantur causa bibendi; plene infundunt ut statim vomant; iterum hauriunt, et iterum atque tertio tamquam ad perdenda vina geniti; et tamquam effundi illa non possint nisi per corpus humanum. Sed (1) qui fructus? Vinum mentem mutat, furorem gignit, cadit in cœnum, secreta revelat; hinc pallor et genæ pendulæ, ulcera oculorum, tremulæ manus effundentes plena vasa; quæ fit pœna præsens, furiales somni et inquietudo nocturna: sequenti die flatus fœdus ex ore, et fere omnium rerum oblivio.

Ma, come fa. Ista est secunda pars generalis, in qua poeta inducit primum spiritum nominatum superius per Foresium. Et primo ostendit quomodo elegerit de numero multorum, et requisierit eum, ut loqueretur clare secum. Iste autem fuit Bonagiunta de Urbisanis, vir honorabilis, de civitate lucana, luculentus orator in lingua materna, et facilis inventor rhythmorum, sed facilior vinorum, qui noverat autorem in vita, et aliquando scripserat sibi. Ideo autor fingit eum ita familiariter loqui secum de ipso et de aliis inventoribus modernis. Dicit ergo: *fe' io a quel da Lucca,* scilicet, Bonagiuntæ, *che più parea di me aver certezza,* vel secundum aliam literam, *di me voler contezza,* a simili, *come fa chi guarda,* multitudinem hominum, *e poi fa prezza più d' un che d' altro,* per signa quæ videt in illo. Et ecce quomodo: *ei mormorava,* de Dante intelligas, ut patebit paulo post, *e non so che Gentucca sentiva io,* idest, gens obscura; nam turbæ animarum erant secum, ut patebit infra,

---

(1) S. Sed quid fructus.

ita quod *gentucca,* sive genticula, dicit hic diminutionem in qualitate, non in quantitate vel numero. Et dicit: *là ov' ei sentia la piaga della giustizia, che sì li pilucca;* quasi dicat, ibi prope arborem, ubi sentiebat pœnam, quæ juste macerat eos. Vel dic, *ibi,* idest in gustu a gutture sursum, ubi sentiebat cruciatum famis et sitis. Et ponit petitionem suam ad Bonagiuntam, dicens: *o anima, diss' io, che par sì vaga,* idest, avida, *di parlar meco, fa' sì ch' io t' intenda,* quia murmurabat intra dentes, ita quod non poterat intelligi, ideo dicit: *e appaga,* idest quieta te et me, *col tuo parlar claro.* — *Femmina è nata.* Hic poeta ponit responsionem Bonagiuntæ ad petitionem sui, qui loquitur de materia, de qua primo murmurabat. Bonagiunta enim in illo suo murmure dicebat de Dante in tertia persona: iste, qui aliquando temere locutus fuit de civitate lucana, cito veniet ad videndum eam, et amorabitur ibi. Dicit ergo: *cominciò ei,* supple, dicere ille Bonagiunta: *Femmina è nata e non porta ancor benda,* quia est innupta puella. Ista vocata est Pargoletta, de qua autor facit mentionem infra capitulo XXXI; cuius amore captus est, dum tempore exilii sui venisset Lucam; ideo dicit: *che ti farà piacere la mia città,* scilicet, Lucam; et dicit: *come ch' uom la riprenda.* Hoc dicit, quia Dantes ita arguit civitatem lucanam de barataria, ubi dixit de Antianis sanctæ Zitæ. Et quia locutus fuerat obscure, subdit: *tu te n' andrai con questo antivedere,* idest, cum isto prognostico, in quo tacite prædixit sibi exilium suum. Et dicit: *se nel mio mormorar prendesti errore,* credens quod dicerem de alia materia, *dichiareranti ancor le cose vere,* quasi dicat: cito videbis effectum, et recordaberis verborum meorum, quæ videntur modo clausa. — *Ma di'.* Hic Bonagiunta, quia fecerat mentionem de amore futuro autoris, nunc facit mentionem de amore præterito eius. Sciebat enim,

quod Dantes fuerat mirabiliter amoratus, et fecerat nobiles cantiones de amore; ideo loquitur de eo tamquam de quodam tertio, dicens: ego quidem dixi tibi de quo murmurabam: *Ma di'*, idest, sed tu dic mihi, *s' io veggio qui colui*, scilicet, Dantem: erant enim ibi tres poetæ sine pœna, sed solus Dantes vivus, quem iste bene cognoscebat: unde dicit: *che fuore trasse*, idest, in publicum, *le nuove rime cominciando*, unam cantionem, quæ incipit: *Donne ch' avete intelletto d' amore Io vo' con voi della mia Donna dire* etc. Et subdit poeta suam responsionem, etsi Bonagiunta fuerat locutus caute, quasi dicens tacite: es tu ille Dantes, qui tam egregie locutus fuisti de materia amoris? Ipse respondet caute et honeste, dicens, quod scripsit, secundum quod amor dictavit sibi. Dicit ergo: *et io a lui*, supple respondi: *io mi son un che, quando Amore spira*, idest, inspirat mihi; et non intelligas de amore divinæ gratiæ, sicut quidam falso exposuerunt, immo de amore lascivo; *noto*, scilicet, in mente, *e vo significando*, extra per versus amoris, *a quel modo che detta dentro*, scilicet, secundum quod ipse amor inflammat me; sicut olim Apollo dicebatur intrare pectora poetarum, et dictare materiam describendam. Et hic nota, quod olim fuit solummodo dictamen literale tam in prosa quam in metro: postea forte a ducentis annis citra inventum est dictamen vulgare, et fuit a principio inventum pro materia amoris; sed hic poeta ipsum mirabiliter traxit ([1]) ad materiam honestissimam, qualis est in suo poemate. — *O frate*. Hic poeta ostendit, quomodo Bonagiunta extollit eum, et dat sibi palmam super omnes contemporaneos inventores. Unde dicit: *diss' egli;* ille Bonagiunta, *issa vegg' io*, idest, nunc video et cognosco, *il nodo*, idest, impedimentum,

---

([1]) 117, traduxit.

e 'l novo chiodo, idest, retinaculum, *che ritenne 'l Notaio:* iste vocatus est Jacobus de Alentino, et per excellentiam propter perfectionem artis dictus est Notarius: *e Guittone;* iste vocatus est frater Guittonus de Aretio pulcerrimus inventor in lingua materna, non tam ratione stili, quam gravium sententiarum, quibus usus fuit in nudis verbis, cuius librum ego vidi, *e me,* scilicet, Bonagiuntam, *di qua dal dolce stil nuovo ch' io odo,* idest, circa stilum vestrum dulcem, quasi dicat: nullus nostrum potuit attingere altum et delectabilem modum Dantis. Et subdit Bonagiunta, se declarans: *io veggio ben come le vostre penne,* in scribendo, *sen vanno strette,* non vagantes, *di retro al dittator,* idest, amorem, sicut jam dixisti, quod (¹) soles facere secundum quod amor dictat tibi; quasi dicat: bene ostendis quod sis calidus amore quando scribis cum ardenti ingenio, sicut solet dici vulgariter, quod male cantat de amore qui non sentit. Ideo bene cantarunt Virgilius, Ovidius et alii poetæ antiqui, et Sappho poetissa; et ut melius sit exemplum, novissimus poeta Petrarcha non tam egregie scripsisset in isto stilo nisi amor incendisset eum; et dicit: *che delle nostre certo non avvénne,* ut scilicet nostræ pennæ sectarentur dictatorem, quasi dicat: stilus noster videtur frigidus. Et hic nota, lector; quod quasi omnes hic falluntur per errorem, dicentes, quod per dictatorem debet intelligi Tullius summus dictator et orator; sed nihil ad propositum, quia de tali dictamine non loquitur hic iste, nec fuit (²) nominandus hic inter istos potatores, sed melius filius eius Cicero, de quo dicit Plinius quod voluit auferre gloriam bibendi Marco Antonio interfectori patris sui, qui ante eum avidissime apprehendit palmam bibendi, facto volumine de sua ebrietate. Et ultimo Bonagiunta arguit quasi ex in-

(¹) E. scilicet quod soles facere sicut et secundum.
(²) E. nec fuit hic inter istos.

dignatione cæcum judicium quorumdam, qui ignoranter contendunt de hoc. Unde dicit: *e qual,* idest, quicumque, *si mette più oltre a guardar,* de hoc, *non vede più,* idest, non cognoscit plus, *dall' uno stilo,* scilicet, a tuo moderno *all' altro,* scilicet, nostro antiquo; et dicit: *e quasi contentato si tacette,* scilicet, quod tam pulcre detexerat veritatem. Et hic nota quantum poeta noster hanc materiam bassam exaltaverit et velaverit verbis non apertis. — *Come.* Hic poeta finita tali materia, recessum describit illarum animarum per unam comparationem satis claram, dicens: *Tutta la gente che lì era,* scilicet, gulosorum, quæ erat turba satis magna, *volgendo il viso,* quem prius tenebat fixum in me, *raffrettò suo passo,* festinaverunt tantum, quantum retardaverant ad videndum Dantem vivum, dum loquebatur cum Foresio et Bonagiunta: illa dico gens, *leggera per magrezza e per volere,* quia libenter currebant ad purgationem, *così come gli augei,* scilicet, grues, *che vernan lungo 'l Nilo,* idest, hyemant in Ægypto per quam labitur Nilus, *alcuna volta di se fanno schiera,* cum magno ordine, *poi volan più in fretta e vanno in filo.* Et nota quod comparatio est valde propria de animabus levibus ad aves volantes: sicut enim grues cum magno ordine solicitæ de salute sua faciunt de se rectam lineam, quando transeunt de Thracia regione frigida in Ægyptum regionem calidam; ita recte animæ istæ avidæ suæ purgationis faciunt de se longam et ordinatam aciem, quando volant per circulum frigidum, ubi sunt poma frigida, et aqua frigida, temperantia cibaria, et vina calida, versus circulum calidum, ubi est ignis purgans luxuriosos: deinde volant [1] versus circulum avarorum, quorum regio est frigidissima, sicut grues similiter revertuntur ad regionem frigidam.

---

[1] E. revolant.

E come l' uom. Ista est tertia pars generalis in qua poeta revertitur ad loquendum cum Foresio, qui prædicit sibi aliqua futura in patria eorum. Et primo describit dispositionem Foresii per comparationem contrariam præcedenti; quia sicut illi festinaverunt recessum, qui erant recentes, ita Foresius tardavit incessum, qui erat fatigatus. Sicut ergo videmus quod in turba itinerantium festine, aliquando unus fessus permittit alios præcedere et ipse remanet solus ad recreandum spiritum, et sequitur plane confabulando cum alio viatore qui non est de turba illa; ita recte nunc facit Foresius remanens cum Dante, ita quod comparatio est propriissima. Dicit ergo: *e Forese si lasciò trapassar la santa greggia,* gulosorum, qui efficiuntur sancti per pœnitentiam veram; *come l' uom ch' è lasso di trottar lascia andar la compagna,* quam postea reinveniet (1), *finchè si sfoghi l' affollar del casso,* idest, ut resumat spiritum fatigatum. Erat autem Foresius lassus quia affectus fame et siti magna fecerat longum sermonem cum autore, ita quod vix poterat respirare. Et dicit: *e dietro meco sen veniva,* plano passu, *dicendo: quando fia ch' io ti riveggia? — Non.* Hic poeta ponit responsionem (2) ad petitionem Foresii, ostendens dispositionem animi sui propter indispositionem patriæ. Unde dicit: *rispos' io lui,* scilicet, Foresio: *Non so quant' io mi viva;* bene dicit, quia nemo tam divos habuit faventes (3) crastinum ut possit sibi polliceri: *ma il tornar mio,* scilicet huc post mortem, *non fia tantosto,* idest, non erit ita festinum *ch' io non sia prima col voler alla riva,* idest, ad terminum et finem vitæ. Et loquitur autor ad modum boni viri, cui tardum videtur mori, quando videt desolationem patriæ futuram in brevi. Ita dicebat recte Cato cum videret parari bella civilia

(1) 117, reinvenit. (2) 117, responsionem suam ad.
(3) E. faventes ut crastinum sibi possit polliceri.

Romæ; unde dicit: *però che 'l loco,* scilicet, Florentia; *u' fui a viver posto,* idest, a parentibus, vel fortuna, *più si spolpa,* idest, spoliatur, excarnificatur, *di ben,* idest, bonis viris et bonis operibus, *di giorno in giorno,* idest, in dies: quasi dicat: vos, qui solebatis esse pingues non ita paulatim demacramini (1), sicut Florentia plena de die in diem videtur spolianda civibus; unde dicit: *e a trista ruina par disposto.* Hoc dicit, quia in illo millesimo concepta erat civilis discordia cito parturienda, per quam ipse erat expellendus non rediturus. — *Or va.* Hic poeta ostendit et ponit consolationem Foresii super desolationem (2) patriæ, dicens, quod cito veniet judicium Dei super illum, qui erit causa et principalis autor istius turbationis. Et ad intelligentiam huius literæ, quæ multis videtur obscura, est sciendum, quod Cursius de Donatis miles probatissimus animo, manu et lingua, qui princeps partis nigræ, reductus in Florentiam per Carolum sine terra deposuerat partem albam, cum esset in magno flore et potentatu (3), factus est suspectus regentibus populum, vel quia videbatur esse dominus, non socius; vel quia videbatur (4) non digne tractari, cum fuisset recuperator partis nigræ; sed præcipue odiosus populo, quia factus fuerat socer Ugucionis de Fagiola domini Pisarum potentissimi hostis florentinorum. Quare concitato tumultu populi timentis animosam audaciam eius, in furore fuit citatus, bannitus, et condemnatus in parva hora; et sub vexillo justitiæ, cum potestate, capitaneo, et aliis magistratibus itum est ad eum, tamquam reum maiestatis: qui præsentiens impetum iratæ multitudinis, præmuniverat se cum suis in burgo sancti Petri, et potenter resistit usque in vesperam: tandem destitutus sperato auxilio soceri, deseruit domos, quæ continuo sunt

(1) E. demaceramini.
(2) E. desolatione patriæ.
(3) 117, potentia.
(4) 117, videbatur sibi non digne.

eversæ. Et fugiens [1] solus, cum non posset flectere precibus vel promissis milites catalanos persequentes eum, timens fieri ludibrium hostium, cum esset podagricus, permisit sponte se cadere ab equo, vel casu cecidit, ut aliqui volunt. Et cum equus traheret eum retento pede in stapite, percussus est lethaliter in gutture ab uno milite: quem moribundum quidam monachi portaverunt ad abbatiam sancti Salvi [2], ubi sepultus est sine honore funeris. Nunc ad literam dicit poeta: *diss' ei,* scilicet, ille Foresius: *Or va', chè vegg' io quel che più v' ha colpa,* scilicet fratrem meum, *tratto a coda d' una bestia,* scilicet, ab equo, deinde a dæmone, *inver la valle,* primo Arnalem, deinde infernalem. Et dicit: *ove mai non si scolpa,* quia in valle Arni numquam liberabitur * ab infamia, in valle inferni numquam liberabitur * [3] a pœna. Et tangit mortem eius, dicens: *la bestia va più ratto ad ogni passo crescendo sempre,* in cursu forti, *finch' ella il percuote,* calcitrando eum pedibus, vel collidendo eum per saxa, per terram, *e lascia il corpo vilmente disfatto;* ita concussum et cruentatum, quasi dicat tacite: juste sicut hostis patriæ mortuus est tractus ad caudam equi; unde melius fuisset sibi splendide vivere in pace in terra sua, sicut frater suus Foresius. Et subdit quod cito erit hæc justa vindicta, dicens: *non hanno molto a volger quelle ruote,* scilicet, speræ cœlestes; unde interserit autor: *e drizzò gli occhi al ciel,* quasi dicat: non transibunt multi anni; nam [4] octavo anno post hoc tempus fuit, *che ti fia chiaro,* idest, erit tibi manifestum, *ciò che 'l mio dir più dichiarar non puote,* quia prædico tibi confuse illud, quod cito videbis. Et sic vide qualiter Cursius cordatus, corpore pulcer, potentiæ avidus infeliciter

---

(1) 117, surgens. (2) E. Silvii.
(3) Le parole fra i due asterischi son supplite dal Codice Estense.
(4) S. nam ex octavo anno.

exterminatus est a suis nigris, quorum fuerat exaltator. — *Tu.* Hic ultimo poeta ponit licentiam et recessum illius Foresii. Unde dicit, quod Foresius conclusit: *Tu ti rimani omai,* cum istis tuis, *chè 'l tempo è caro in questo regno,* scilicet, purgatorii; quia cum in omnibus rebus (¹) sit carum, potissime in actu pœnitendi; unde dicit: *sì, ch' io perdo troppo venendo teco sì a paro a paro,* plano passu, quia habeo celeriter currere cum aliis sub arbores ad purgationem gulæ; et tu cum carne non posses venire simul mecum. Et subdit formam recessus eius per pulcram comparationem et claram, dicens: et ille Foresius; *si partì tal da noi,* sed, *con maggior valchi,* idest, passibus maioribus quam fiat galopando; *qual esce alcuna volta di galoppo,* qui est medius inter cursum et troctum, *lo cavalier di schiera che cavalchi,* contra hostes, *e va per farsi onor del primo intoppo,* idest, de primo occurrente sibi. Et est comparatio propria: sicut enim miles animosus libenter et prompte recedens a suis accedit ad debellandum aliquem hostem; ita nunc Foresius recedens ab istis libenter et animose cucurrit (²) ad expugnandum vitium gulæ, quo nullum habuit unquam peiorem inimicum. Et dicit: *et io rimasi in via con essi due,* scilicet, Virgilio et Statio, *che fur del mondo sì gran marescalchi.* Et optime appellat istos (³) duos magnos poetas; quoniam Virgilius egregie descripsit naturas equorum, bella virorum; et Statius bella græcorum, et uterque novit mores hominum, fortunas regnorum, situs locorum etc.

E quando. Ista est quarta pars generalis in qua poeta describit aliam arborem sub qua cruciantur gulosi. Et primo ostendit qualiter sibi respicienti Foresium recedentem apparuit arbor similis primæ. Unde continuans se ad præcedentia, dicit: *E quando innanzi a noi sì intrato*

(¹) 117, rebus tempus sit. (²) 117, concurrit. (³) 117, illos duos.

fue, ille Foresius, *che gli occhi miei si fero a lui seguaci,* post recessum suum, *come la mente,* scilicet mea fecit se sequacem, *a le parole sue,* quæ dixerat vaticinando de morte Cursii; quia sicut cum oculis respiciebam ipsum recedentem, ita cum mente respiciebam ad vaticinium eius; *parvermi rami d'un altro pomo,* idest, arboris pomiferæ, *gravidi,* idest, onusti, pleni multis pomis, *e vivaci,* idest, virentes propter aquam recentem, quæ continuo irrigat eos. Et dicit: *e non molto lontani,* idest, longe a me, *per esser pur allora volto in laci,* idest, *in là,* quasi dicat: rami arboris erant mihi satis propinqui, sed non perpenderam citius, quia veniebam conferendo cum Foresio; deinde respiciebam post eum recedentem: quo disparente, apparùit mihi nova arbor. Et hic nota quod ista arbor secunda est similiter eversa sicut prima, et in omnibus simillima: et poeta punit istos intra duas arbores: sed ista secunda videtur magis cruciare quam prima, forte quia prima punit in quanto, secunda in quali; vel quia prima punit epulones, secunda potatores qui magis peccant, ideo durius cruciantur, ut statim patet (1). — *Vidi.* Hic poeta describit pœnam novorum gulosorum per pulcerrimam comparationem et manifestam, dicens: *Vidi genti sott' esso,* idest, sub ista novella arbore, *alzar le mani,* ad recipienda poma si forte caderent, *e gridar non so che,* rogantes pro Deo remedium appetitui magno, *verso le fronde,* ubi erant poma recentia, quæ refrigerassent parum guttura (2) eorum sicca, a simili: *quasi bramosi fantolini e vani, che pregano,* aliquem habentem pomum et ostendentem, *e 'l pregato non risponde,* quia non porrigit sibi manum; *ma per far bene esser lor voglia acuta,* idest, ut magis accendat appetitum eorum, *tiene alto lor disio,* scilicet,

(1) S. patebit. (2) E. gulam eorum siccam.

pomum desideratum, *e nol nasconde.* Et hic nota quantum comparatio est propriissima: tales namque gulosi sunt similes infantulis, qui sequuntur semper passionem, et appetunt quicquid vident de novo, et sæpe volunt comedere et bibere. Et si negatur (¹) eis quod appetunt (²) statim cruciantur, imo videntur suffocari et mori more prægnantium mulierum; ideo hic tales molles justissime purgantur, quia vident coram oculis pendentia poma, nec valent attingere illa, ex quo magis crescit pœna. Et tangit recessum eorum dicens: *poi si partì,* illa gens, *sì come ricreduta,* idest, sedata, quasi dicat, fatigata quod plus non poterat, quia nihil lucrabatur. — *E noi.* Hic poeta tangit accessum suum ad arborem post recessum illarum animarum, et admonitionem factam sibi ab arbore, dicens: *e noi venimmo al grande albero,* sub cuius umbra manent infinita millia gulosorum; *adesso,* idest, statim, ad arborem, dico: *che tanti prieghi e lagrime rifiuta,* quia non exaudit illos rogantes cum tanta aviditate, ut jam dictum est. Et subdit vocem venientem ab arbore, quæ dicebat: *trapassate oltre senza farvi presso,* scilicet, prope arborem magnam: et vide qualiter vox ista consonat cum voce primæ arboris; illa enim dixit: de hoc cito habebitis caristiam; ista vero dicit: non appropinquetis (³) ad pomum, pestiferum enim est gustantibus; ideo tangit continuo originem eius, dicens: *legno è più su,* in summitate montis, ut patebit suo loco, *che fu morso da Eva,* quæ degustavit de pomo vetito arboris scientiæ boni et mali, *e questa pianta si levò da esso,* scilicet, ligno. Bene dicit, quia (⁴) in primo nata est gula, quasi dicat tacite: vitetis, miseri, vitium gulæ, quod fuit principium damnationis humani generis, licet gustatio pomi proprie non fuerit causa, ut dicit ipse Adam,

(¹) S. e E. denegatur.
(²) 117, petunt.
(³) E. non appropinquate.
(⁴) E. quia ibi primo.

Paradisi capitulo XXVI. Et dicit: *sì tra le frasche non so chi diceva,* quasi dicat: audiebam vocem, sed [1] non dicentem. Simile dixit de voce primæ arboris, quod [2] respiciebat in vanum quis esset autor vocis, sed paruerunt sancto edicto. Unde dicit: *perchè Virgilio, Stazio et io ristretti,* ad fugiendam amplissimi ventris voraginem, *oltre andavam dal lato che si leva,* idest, ascendit, quasi dicat, juxta ripam altam montis, quia adhærebant virtuti.—*Ricordivi.* Hic poeta ponit secundam vocem quæ docet refrænare gulam, memorans damnosos effectus eius; et primo per exemplum Centaurorum. Ad cuius intelligentiam est sciendum brevissime quod Theseus clarissimus dux Athenarum, quasi alter Hercules in virtute fortitudinis, dum præsens esset nuptiis Pirithoi amicissimi socii sui, et Centauri calefacti cibo et vino sponsam superbe rapere conarentur, magno labore, sed maximo honore feliciter superavit: hanc pugnam jocosam [3] diffuse scribit Ovidius in maiori. Isti quidem Centauri pro parte homines, pro parte equi sunt stipendiarii, recte similes equis suis moribus et vita; nullum enim animal est humilius, nullum superbius domino suo: equus enim tanta fortitudine et velocitate vigens pro vili cibo vult fieri alterius, domari, ligari, ferro frænari, calciari, armatum equitem ferre, stabulo carcerari; et tamen non sicut servus, sed [4] dominus, hostis et inobediens domino suo: unde de equo dici potest illud quod quæsitum est de Julio Cæsare, scilicet, an fuerit expediens ventos flare, et Cæsarem nasci. Ad propositum ergo ebrietas Centauros fortissimos tradidit Theseo faciliter superandos. Dicit ergo poeta: et illa vox dicebat: *Ricordivi,* o amici gulæ, amatores vini, *de' maledetti,* Centauris, *formati nei nuvoli;* hoc dicit quia Centauri fin-

(1) 117, sed non videbam dicentem.
(2) E. scilicet quod respiciebat.
(3) E. jocose describit Ovidius.
(4) E. sed sicut dominus.

guntur geniti in aere, in nube, ad indicandum velocem discursum eorum, et facilem dissolutionem, quia de hora in horam disperduntur; ideo vane inflantur; *che satolli,* idest, qui saturi, satii vino et cibo, *combattero Teseo*, idest, impugnaverunt (¹), *coi doppi petti,* idest, cum pectore humano et equino. Et hic nota quod in convivio Centaurorum a Baccho concurritur ad Martem, ut misceant vinum cum sanguine, quod noluerant lymphare aqua; ideo bene male captam cum sanguine revomuere victoriam. — *E degli.* Hic ultimo poeta adducto exemplo immoderate potantium vinum, qui pugnaverunt cum morte, adducit exemplum immoderate bibentium aquam, qui turpiter exclusi sunt a pugna (²) et victoria gloriosa. Et ad intelligendam literam est prius memorandum, quod, sicut potest haberi ex libro Judicum et Josepho libro Antiquitatum, cum hebræi urgerentur fame et bello madianitarum, qui diu irato Deo oppresserant eos, conversi ad Dominum cum precibus et lacrymis misericordiam petiverunt. Tunc angelus Domini apparuit Gedeoni juveni mandans ut liberaret filios Israel. Et cum Gedeon congregasset triginta millia judæorum, quæ turba pauca videbatur respectu madianitarum, qui tamquam locustæ cooperuerant terram, Dominus mandavit Gedeoni ut remitteret timidos (³), et reversi sunt viginti millia virorum. Iterum Dominus volens sibi victoriam non viribus hominum imputari, mandavit Gedeoni ut duceret eos ad aquam in medio ardore solis; et qui biberent cum manu duceret (⁴) secum; qui autem genibus flexis lamberent more canum, remitteret domum. Quo facto, inventi sunt trecenti tantum manu bibentes, cum quibus Gedeon transiens Jordanem prima vigilia noctis invasit exercitum inimicorum singulis portantibus singulas tubas, lagenas

(¹) E. pugnaverunt. (²) E. pugna cum victoria. (³) 117, timidiores.
(⁴) E. duceret illos secum. — 117, adduceret secum.

et lampadas ardentes. Et signo dato reperierunt ([1]) omnes pulsare tubas et lagenas concutere, retentis lampadibus cum sinistris. Quo monstro madianitæ dormientes perterriti, et confuse se invicem necantes conversi sunt in fugam; quos Gedeon persequens trucidavit ad satietatem, et plena victoria potitus est, captis ducibus et occisis quasi centum viginti millibus hostium et arabum qui venerant in auxilium eorum: et quievit Israel quadraginta annis, quibus Gedeon tenuit principatum. Nunc ad literam dicebat illa vox: *E degli ebrei,* supple, recordamini, *ch' al ber si mostrar molli,* quia bibendo flexerunt genua, *per che non gli ebbe Gedeon compagni,* illos molles. Qui Gedeon fuit ([2]) omni virtute summus, ut dicit Josephus, *quando discese i colli,* idest, castra vel montes, *invêr Madian,* idest, contra madianitas. Et hic nota bene quod Gedeon judex hebræorum ex numero viginti millium subditorum reperit tantum tercentos sobrios. Et merito Gedeon ponitur in figura principis; interpretatur enim Gedeon circuens inutile; et officium principis est circuire inutilia, et ea delere vel revocare ad utilitatem; et quod ([3]) iniquum est excludere a finibus suis, ut sic victoriam obtineat de hostibus; et legi subjicere quos a jugo servitutis liberavit: et breviter princeps debet esse omni virtute summus, qualis fuit Gedeon. Et concludit poeta in ista materia gulæ, dicens: nos tres, *sì accostati a l' un de' duo vivagni,* scilicet, dextero lateri montis, *passammo, udendo colpe della gola,* quæ prædicabantur a vocibus arboris; culpæ, dico, *seguite già da miseri guadagni,* quot sunt committentes furta et lenocinia ([4]) propter gulam, imo mutantes amicitiam more canis ([5]) cui mutas nomen pro uno frusto panis.

([1]) E. cœperunt omnes. ([2]) E. fuit animi virtute.
([3]) 117, quod iniquum invenit excludere.
([4]) E. latrocinia. ([5]) E. canis qui mutat nomen.

Poi, rallargati. Quinta et ultima particula capituli, in qua poeta noster ostendit qualiter purgatus fuerit vitio gulæ ab angelo. Et primo describit novam dispositionem ipsorum trium, scilicet, magnam et longam meditationem. Unde dicit: *Ben mille passi e più ci portammo oltre poi,* quasi dicat: ivimus plusquam unum milliare postquam audivimus illas voces, *rallargati,* quia ubi ibamus primo stricti ad ripam altam montis, redivimus ad mediam viam dimittentes arborem post terga nostra; nos dico, *contemplando ciascun senza parola.* Et hic nota, lector, quod autor non sine causa et sine magno ministerio fingit quod iverint tantum abstracti sine locutione, cum essent tres eloquentissimi poetæ, nisi quod præparabant ingenia ad materiam sequentis capituli investigandam, quæ profundissima est, ita quod ad ipsam elucidandam laboraverunt simul tres, scilicet Virgilius naturalis, Statius moralis, et Dantes divinus: nam pauca capitula invenies in toto poemate quæ habeant plus difficultatis. Et subdit novam vocem auditam super nova consideratione eorum, dicens: *subita voce,* quæ non procedebat ab arbore sicut præcedentes, sed ab angelo, *disse: che andate pensando sì voi tre soli?* quasi (1) tacite tangit eorum, velut si diceret: ista materia non fuit plene nota philosophis et poetis; ideo dicit: *ond' io mi scossi,* idest, motus et turbatus sum, tum quia vox fuit subita, tum quia non visa est humana, a simili, *come fan bestie spaventate e poltre,* idest, pullæ, quasi dicat: eram juvenis et novus, ubi socii mei erant antiqui et magis experti: ideo comparatio est satis propria de se ad pullum. — *Drizzai.* Hic poeta describit ipsum angelum loquentem et dirigentem eos; unde dicit: *Drizzai la testa,* idest, visum intellectualem, *per veder chi fossi,* scilicet, autor

---

(1) 117, quasi tacite tangit eos. — E. quod tacite tangit eos.

illius vocis, sicut fecerat ad utramque arborem, sed non frustra, quia ibi nihil vidit, hic vero rem nobilem; unde dicit: *e giammai non si videro in fornace,* ignis ardentis, *vetri e metalli sì lucenti e rossi, com' io vidi un;* hic erat angelus lucentissimus, ardentissimus ratione summæ puritatis et perfectissimæ caritatis, *che dicea: s' a voi piace montar in su,* erant enim in fine sexti circuli, *qui si convien dar volta;* ostendebat angelus scalam quæ ducit ad septimum circulum; ideo dicit: *quinci si va chi vuol andar per pace,* idest, qui quærit facere pacem cum Deo, quem offendit, habet transire per viam istam. Et subdit excellentiam ardoris et splendoris angeli, dicens: *l' aspetto suo m' avea la vista tolta,* sicut aspectus solis facere solet intuenti ipsum; ideo recurrit ad refugium suum; unde dicit: *perch' io mi volsi indietro a' miei dottori,* scilicet, ad Virgilium et Statium, quasi dicens: audite quid dicit iste mirabilis: vadamus ergo, *come uom che va secondo ch'egli ascolta,* idest, sicut audit a duce suo qui regit eum, vel ab angelo qui dirigit eum ad omnem circulum. — *E quale.* Hic ultimo poeta describit purgationem factam (1) ab angelo a (2) vitio gulæ, qui leviter abrasit ab eo sextum peccatum per unam nobilem comparationem venti levis, qui transiens per aerem purum et solum virens spirat suaviter in facies hominum. Dicit ergo: *e mi senti' un tal vento,* productum ex motu angeli volantis, *dar per mezza la fronte,* et delere leviter unum P in illa ventilatione, *quale l' aura di maggio,* idest, ventus mitis, *annunciatrice degli albori,* scilicet, clarorum; *muovesi et olezza,* idest, in odorem spirat: *aura,* dico, *tutta impregnata dall' erba e dai fiori,* per quos transit. Et dicit: *e ben senti' muover la piuma,* idest, pennam alarum angeli; cuius suavitatem tangit per aliam

(1) 117, sibi factam. (2) E. de vitio gulæ.

comparationem nobilissimam dicens: *che fe sentir l'orezza,* idest, umbram, *d'ambrosia.* Est autem ambrosia herba qua dicuntur pasci equi solares [1] a poetis. Et nota quod, sicut dicit Plinius, Ambrosia denominata est Artemisia ab uxore Manseoli [2] regis, fructicosa ad modum absynthii, cum foliis maioribus et pinguioribus, quæ nascitur in Cappadocia; unde dicit, quod ambrosia coronantur cappadoces: de hac dicit Dyascorides, quod habet multas virgas longas palmis tribus, et folia in initio minuta similia rutæ; et virgæ sunt plenæ semine quasi acinis, odorem vini habet, quæ non florescit, radix eius subtilis et longa duobus palmis, latine appellatur millefolium, et est calida et sicca sicut ambra. Et dicta est ambrosia, quasi aurosia: aurosis enim græce dicitur cibus vel esca; ideo equi solis finguntur pasci ea. Quis nunc non videat quantum similitudo sit propria; quia angelus nunc ventilando propinat cœlestem escam autori, qua pasceretur aliter quam isti gulosi odore pomi et aquæ, quo ita cruciantur amare. Et subdit poeta claudens capitulum: *e senti' dire,* illum angelum, *beati,* supple sunt illi, *cui alluma,* idest, quos illuminat, *tanto di grazia,* et vere beati, quia pauci, *che l'amor del gusto,* idest, appetitus edendi et bibendi, *non fuma,* idest, non emittit, *troppo disir,* idest, immoderatum desiderium, *nel petto lor,* cui vicinum est guttur, *esuriendo,* idest, desiderando edere, *sempre quanto è giusto.* Tantas enim escas sumere debemus quibus non oneretur corpus, nec libertas animæ prægravetur, ut ait Hieronymus, qui optime in se hoc probavit: sed et plus fugienda est ebrietas quam esca; nam natura dedit ad potum saluberrimum liquorem aquæ, quo cætera animalia utuntur, ut dicit Plinius. Et Loth, qui evaserat liber, ex ebrietate corruit in incestum.

(1) 117, solis a poetis. (2) E. Mauseoli.

CANTUS VIGESIMUS QUINTUS, *in quo Virgilius rogavit Statium declaraturum Danti quæstionem qualiter possunt demacrari spiritus, ubi non expediunt nutrimenta; et de modo figuræ spirituum, et aliquantulum de sequenti.*

Ora era onde 'l salir non volea storpio. Postquam in superiori capitulo poeta noster terminavit tractatum gulæ, quæ punitur in sexto circulo, nunc in præsenti capitulo XXV pertractat unam arduam quæstionem, quæ nascitur circa dictam materiam, et intrat tractatum luxuriæ quæ punitur in septimo circulo. Et istud capitulum potest dividi in quatuor partes generales. In prima quarum poeta proponit (1) altam quæstionem Virgilio, cui Virgilius respondet in generali. In secunda Statius precibus Virgilii volens solvere quæstionem, quomodo anima separata patiatur, incipit a longe, et pertractat generationem fœtus, ibi: *Se la veduta.* In tertia idem Statius describit productionem animæ in ipsum fœtum, et illius separationem a corpore, et separatæ passionem, ibi: *Ma come d' animal.* In quarta et ultima intrat materiam luxuriæ, et describit pœnam eius in generali, ibi: *E già venuto.* Ad primum dico, quod poeta movet difficilem quæstionem Virgilio, scilicet, quomodo anima separata potest pati pœnam. Et primo præmittit horam temporis, et sententialiter in effectu non vult aliud dicere, nisi quod non erat hora perdendi tempus, quia jam transiverant duæ partes diei in suo hemisperio, sicut duæ partes noctis transiverant in nostro; ideo accelerabant (2) iter. Dicit ergo: *Ora era,* tam tarda, *onde 'l salir,* idest, ascen-

---

(1) E. ponit alteram quæstionem. (2) E. accelerabat.

sus, *non volea storpio,* idest, impedimentum, imo potius festinantiam, quia erat inter meridiem et vesperas; unde dicit: *chè il sole,* qui tunc erat in ariete, *avea lasciato il cerchio di merigge,* idest, circulum meridianum, *al tauro,* qui sequitur arietem, *e la notte,* supple, reliquerat ipsum circulum, *allo scorpio,* quod est signum oppositum tauro, ita quod quota hora diei erat ibi, tota hora noctis erat hic. Unde subdit processum eorum per unam comparationem propriam et claram, dicens: *per che noi intrammo per la callaia,* idest, scalam cavatam septimi circuli, *uno innanzi altro,* primo Virgilius, secundo Statius, tertio Dantes: nec poterant transire omnes simul propter angustiam loci; unde dicit: *prendendo la scala,* ultimam, *che dispaia,* idest, diseparat (1), *il salitor,* idest, ascensorem, quia non permittit ipsum ire parem cum socio, *per artezza,* idest, per (2) arctitudinem et stricturam: et non dicas, *per ertezza,* idest, altitudinem, sicut communiter habent textus; nam altitudo scalæ non impediret paritatem, etiam si pertingeret usque ad cœlum vel Deum: et hoc fecimus, *così come fa l'uom che non s'affigge,* idest, non firmat se, *ma vassi alla via sua, checchè gli appaia,* quasi dicat, continuat iter suum, quicquid occurrat sibi; *se stimolo di bisogno il trafigge,* idest, si urgens necessitas pungit eum, sicut nos modo qui habebamus multa et magna videre in tam brevi spatio temporis.—*E quale.* Hic poeta describit suam dispositionem circa quæstionem, quæ afficiebat animum eius, per unam comparationem manifestam; ideo ordina (3) tantum literam ne perdas tempus, et dicas: *Io era tal, con voglia accesa e spenta,* idest, acuta et extincta, *di dimandar,* et sic dicit duo contraria diverso respectu; et ecce quomodo: *venendo infino all'atto,* quasi dicat, trahendo verba usque ad sum-

(1) S. separat. (2) 117, propter. (3) E. ordina literam.

mitatem linguæ, *che fa colui ch' a dicer s' argomenta,* idest, præparat se ad dicendum; a simili, *quale il cicognin che leva l' ala per voglia di volare, e non s' attenta d' abbandonar lo nido, e giù la cala.* Et hic nota quantum comparatio est propria per omnes partes suas; nam Virgilius et Statius alti poetæ tragici possunt assimilari ciconiis facientibus nidum in altis tectis; et Dantes poeta minor (1) recte assimilatur filio ciconiæ. Modo sicut filius ciconiæ desiderat levare alam ante tempus, sed sentiens se impotentem ad (2) volatum deponit eam; ita Dantes, qui venerat ultra milliare tacitus, desiderabat movere linguam avide ad altam quæstionem; sed dubitans ante tempus volare, reprimebat desiderium suum expectans licentiam seniorum (3). Et subdit licentiam datam sibi a Virgilio, et suam petitionem, dicens: *lo dolce padre mio,* scilicet, Virgilius, *non lasciò,* supple dicere, *per l' andar che fosse ratto,* * per illam viam arctam, *ma disse: scocca l' arco del dir che fino al ferro hai tratto* * (4), quasi dicat: audacter solve linguam et emitte verbum, quod jam traxisti usque ad dentes. Et est propria metaphora: verbum enim leve volat ut sagitta irrevocabiliter, et penetrat usque ad intima cordis: et ponit effectum, dicens: *allor sicuramente aprii la bocca,* quam sola timiditas tenebat clausam, *e cominciai,* supple, dicere: *come si può far magro,* aliquis, *là dove,* scilicet, in animabus, *l' uopo di nudrir,* idest, opus nutriendi, scilicet, comedere et bibere, *non tocca?* idest, non habet locum. Et hic nota quod ista quæstio, quam autor noster tam curiose pertractat, hic erat omnino necessaria, quia quicquid dictum est per totum in inferno et purgatorio de tam diversis pœnis animarum videbatur vanum, cum non appareat per viam naturæ quod anima separata a corpore possit

(1) 117, junior. (2) 117, ad volandum. (3) E. superiorum.
(4) Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici Estense e 117.

affici fame, siti, vel alia passione. — *Se.* Nunc poeta ponit responsionem Virgilii ad propositam quæstionem, qui solvit illam in generali per duo argumenta exemplorum, arguens a minori et a simili; quorum primum est de passione et consumptione Meleagri, quæ facta est tam mirabiliter et occulte. Et ad intelligentiam huius literæ satis obscuræ oportet succincte colligere fabulam Meleagri, de qua Euripides nobilis poeta fecit tragœdiam, et Ovidius latinus describit eam valde diffuse more suo VIII Maioris, cuius summa hæc est: Tempore quo Althæa regina Calidoniæ uxor regis Œnei et mater fortissimi Tydei, de quo totiens facta est mentio, peperit alium filium nomine Meleagrum; subito fata adfuerunt et immiserunt in ignem lignum, sive ramum arboris, et dixerunt quod quamdiu duraret torris puer natus servaretur in vita; quem mater statim abstractum ex igne extinxit aqua, et extinctum cum magna diligentia conservavit. Cum autem Meleager factus esset adultus accidit quod aper terribilis invasit agros calidoniorum, qui magnus ut taurus armatus setis ut sagittis, et dentibus fulmineis vastabat omnia. Quapropter Meleager ordinavit nobilem venationem ad perdendum illum; ad quam cucurrerunt certatim fere omnes juvenes animosi Græciæ gratia honoris et gloriæ, sicut strenuus Theseus et (1) Pirithous singulare par amicorum, similiter Castor et Pollux, clarissimum (2) par fratrum; et Jason inclytus postea argonautarum juventute, fortis Telamon, et senior cunctis Nestor, et duo fratres ipsius Althææ Speusippus et Thoxias, et Peleus pater fortis Achillis venit et Atalanta celeberrima virgo forma et habitu venatricis; cuius amore (3) visæ subito captus est nobilis Meleager. Sed incœpta venatione cum altissimo clamore virorum et

(1) E. et gloriosus Pirithous singulare par.
(2) 117, carissimum par. (3) 117, amore in se subito.

latratu canum, quisque pro se intendebat ad mortem apri; sed in medio ardore pugnæ Atalanta cum sagitta leviter tetigit auriculam apri; quo non tantum lætata est ipsa, quantum amans Meleager, ex quo magis accensus est furor virorum. Tandem magnanimus Meleager quem audacissimum faciebat amor, percussit hasta (1) aprum in tergo, et plaudentibus sociis caput amputatum donavit amatæ. Et continuo facto murmure ex æmulatione fratres Althææ rapuerunt donum virgini. Meleager ira frendens, plus quam aper paulo ante, interfecit utrumque. Althæa autem audita morte fratrum interfectorum a filio, in furore abiecto amore filiali fatalem torrem immisit in ignem, et continuo Meleager deficiente torre deficere cœpit cito in modicum cinerem resolutus. Nunc videndum est quid latet (2) sub ista mirabili fictione. Althæa siquidem est (3) omnis mater, quæ parit filium, cui nascenti statim sidera præfigunt (4) tempus vivendi, ut volunt astrologi; imo Salomon dicit: *Posuisti terminum quem non transgredientur* (5); intelligas, secundum cursum naturæ; nam per accidens potest aliter evenire, ut dicit propheta (6): *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos;* quasi dicat: non vivent medietatem temporis, quo deberent vivere secundum naturam; sicut accidit hic de facto in Meleagro, qui juvenis fudit sanguinem avunculorum suorum, ideo intempestive mortuus est. Torris autem madefactus aqua figurat calorem naturalem et humorem radicalem, qui quamdiu durat viget vita; quoniam vita humana, ut dicit Avicenna, est sicut lucerna quæ deficit, vel cum ignis consumit oleum, vel cum oleum nimium extinguit ignem. Venatio illa famosa fuit res historica magis quam ficta. Nunc ad literam: di-

(1) E. cum hasta.
(2) E. lateat.
(3) 117, figuraliter est omnis mater.
(4) E. præfigurant.
(5) S. *transgrediantur*.
(6) E. propheta David: *Viri*.

cit poeta: Ille Virgilius, *disse: questo,* scilicet, dubium, *non fora a te sì agro,* idest, non esset tibi tam difficile vel mirabile, *se t'ammentassi,* idest, reduceres tibi ad mentem, *come Meleagro si consumò,* paullatim deficiens, *al consumar di un tizzo.* Et hic nota, lector, quod multi sæpe petiverunt (1) a me: quid facit ad propositum istud exemplum Meleagri? Ad quod dico quod comparatio non posset magis facere ad propositum: sicut enim Meleager ad consumptionem unius titionis paullatim deficiebat, ita hic umbra ad odorem pomi et aquæ per ramos illius decurrentis paullatim macrescit. Et sicut Meleager consumptus est a causa extrinseca, scilicet ab influentia astrorum, ita umbra hic consumitur a causa extrinseca, scilicet a voluntate divina. Alii tamen dicunt, quod mors Meleagri facta est per artem magicam; et tunc multum faceret ad propositum; nam tunc arguit a minori, sicut recte Augustinus facit in libro de Civitate Dei, ubi dicit, quod si nigromantici possunt alligare umbram corpori aereo, quanto magis potentia divina potest alligare animam igni corporali! — *E se.* Hic Virgilius adducit secundum exemplum naturale ad suum propositum, quod est de imagine, quæ movetur in speculo ad motum corporis oppositi; unde dicit: *E ciò che par duro,* ad cognoscendum, *ti parrebbe vizzo,* idest, videretur tibi molle et facile, *se pensassi come vostra image,* idest, humana imago, *guizza,* idest, commovetur, *dentro allo specchio al vostro guizzo,* idest, motum. Et hic nota quod hæc comparatio multum videtur facere ad factum; quia sicut imago incorporea movetur in speculo corporeo, ita anima incorporalis cruciatur in aere corporali; et sicut imago venit (2) ab extra, ita passio venit ab extra in animam. Sed quia opus est maiori discussione, ideo Virgilius com-

(1) 117, petiverant a me quid faciat.
(2) 117, venit in speculum ab extra.

mittit quæstionem plenius solvendam Statio. Unde dicit: *ma ecco qui Stazio, perchè dentro t'adage,* idest, accommodes te et contenteris, *a tuo voler,* quia video te avidum audiendi profundius de ista materia, quam per exempla artificialia vel naturalia; ideo dicit: *et io lui chiamo e priego, che sia or sanator delle tue piage,* idest, qui removeat ista dubia de mente tua, quæ fuerunt et sunt magna vulnera animarum multorum, sicut cito patebit infra. Sed hic merito oritur dubitatio, quare Virgilius committat hanc quæstionem solvendam Statio. Ad quod dico quod Virgilius secutus Platonem posuit quod animæ essent creatæ ab æterno, et a stellis laberentur in corpora humana, et postea in morte reverterentur ad sidera sua. Et quamvis talis opinio esset minus mala quam opinio Averrois et multorum, tamen erronea est apud christianos; ideo bene inducit Statium poeta christianum, qui secundum philosophiam et fidem pertractat istam materiam: similiter poeta describit infra ecclesiam Dei militantem, et alia multa quæ non erant nota ipsi Virgilio. Ideo non valet quod dicunt quidam quod Virgilius committit hic vices suas Statio, quia fuit magnus physicus et medicus; nam non dubito quod Virgilius fuit maior physicus et medicus Statio: nam maxime (1) dedit operam medicinæ.

Se la veduta. Ista est secunda pars generalis, in qua poeta inducit Statium; qui motus precibus Virgilii intendit solvere specialiter dictam quæstionem. Et incipiens a longe primo pertractat generationem fœtus, et antequam incipiat excusat se quod præsumat hoc coram Virgilio maiori magistro se. Dicit ergo poeta: *Rispose Stazio,* illi Virgilio cum magna reverentia, *non poter farti niego,* idest, me non posse facere negationem tibi domino et

(1) E. maximam.

magistro meo, *discolpi me,* idest, excuset et removeat me a culpa temeritatis, *se gli dispiego,* idest, si explico et aperio sibi, *la veduta eterna,* idest, veritatem æternam huius quæstionis, *là dove tu sie,* idest, in præsentia tua; quasi dicat Statius Virgilio: hoc unum solum excusabit præsumptionem meam, quod ego non possum denegare aliquid tibi, cum omne tuum precamen sit mihi arctissimum præceptum. Et subdit exordium Statii ad se, qui promittit sibi declarationem quæstionis. Unde dicit: *poi cominciò,* supple, dicere mihi ille Statius ut redderet me attentum: *o figlio,* qui habes hic duos patres, Virgilium et me, *se la mente tua guarda e riceve,* intellectualiter, *le mie parole ti fieno lume al come che tu die;* quasi dicat: ipsa verba mea declarabunt te de quæstione qua nunc petebas (1) Virgilium, cum dicebas: quomodo potest fieri quis macer etc. — *Sangue.* Hic Statius (2) incipit a generatione fœtus. Ad cuius intelligentiam secundum persuasionem Statii est tota mente attendendum, quod sicut tradunt omnes excellentes physici, stomachus hominis tamquam generalis coquus cibum ingestum decoquit et digerit mediante calore cordis ex una parte, et epatis ex alia (3), quia ex se et sui calore non posset: et partem quidem grossam mittit (4) ad intestina; reliquam partem subtilem ad epar; quod calidum trahit (5) illam partem ad se, et facit aliam digestionem in se, et superfluum mittit ad vescicam, scilicet, urinam, quæ est colamentum humorum, et partem puriorem retinet; et ex illa quod purissimum est transmittit ad cor tamquam ad regem totius machinæ corporalis, residuum mittit ad cætera membra per venas ex quo nutriuntur; et cibatis

(1) 117, quam nunc petebas a Virgilio, cum dicebas.

(2) E. Hic Statius a generatione fœtus pertractat et incipit responsionem et persuasionem suam. Ad cuius.

(3) E. ex altera. (4) E. transmittit.

(5) 117, attrahit illam ad se.

membris remanet aliquid quod vocatur sperma, idest, semen; et tale sperma tempore coitus in homine decurrit infra ad vasa seminaria, scilicet testiculos, et ibi ex rubeo efficitur album et effunditur in matricem (1) mulieris, et ibi commiscetur cum sanguine eius et agit in illam: et sicut ex coagulo et lacte fit caseus, ita ex spermate et menstruo fit fœtus etc. Nunc ad literam dicit Statius: *Sangue perfetto,* scilicet, sperma, qui est decoctus (2) et depuratus, *che mai non si beve dalle vene assetate,* idest, sitibundis, vel habentibus sitim; quasi dicat, quod non transit in alimentum, sed propter generationem (3). Est enim superfluitas utilis, unde dicit: *e si rimane,* a simili, *quasi alimento che leve di mensa,* idest, tollis et removes. Et hic nota quod similitudo est propriissima: sicut enim ex cibo apposito regi vel domino illud quod remanet et levatur de mensa est ita bonum, sicut illud quod comestum est, quia est de eadem substantia, ita est de sanguine dato cordi; quia (4) illud quod restat facta cibatione et distributione est ita bonum sicut illud quod transit in alimentum. Ille, inquam, sanguis, *prende nel cuore,* idest, acquirit in corde, *virtute informativa;* nam cor non solum habet rationem principii respectu epatis et cerebri, sed etiam respectu omnium membrorum, cui subservit spiritus, qui exit cum spermate maris, in quo est virtus informativa; ideo dicit: *a tutte membra umane,* scilicet, formanda, quia in corde capit potentiam formandi omnia membra, *come quello,* scilicet, sanguis, *che vane,* idest, vadit, et discurrit, *per le vene a farsi quelle,* idest, ut fiant illa membra. Unde apparet, quod sperma potentialiter est homo, idest aptum natum fieri homo, sicut ovum in potentia est gallina. Sperma igitur radicaliter est in corde, sed formaliter

(1) E. in matrice. (2) 117, bene coctus.
(3) E. generationem servatur; quasi dicat: est. (4) E. et quia.

est in testiculis; unde genitalia trahunt quod superfluit membris, sicut ventosa sanguinem. Sic [1] patet quomodo hic sanguis est perfectus. — *Ancor.* Hic Statius posita virtute potentiali spermatis, ponit eius operationem ad generationem fœtus, dicens: *Ancor digesto,* talis sanguis factus sperma, *scende ov' è più bello tacer che dire* [2]; pro honestate relinquit intelligendum lectori, quod descendit ad testiculos; *et quindi,* idest, ab istis testiculis, *poscia geme,* idest, distillat, *in natural vasello,* scilicet, in matricem mulieris, quæ est apta nata ad recipiendum tale semen. Est enim sicut urinale vel bursa, quæ strictissime clauditur recepta tali moneta; *sovra altrui sangue,* idest, super sanguinem mulieris qui dicitur menstruus, idest, lunaris, quia fluit secundum lunationes nimis diverse in diversis mulieribus. Et hic nota, quod quædam pars purior istius sanguinis concurrit ad generationem, alia enim pars est immundissima, quæ fœdat et inficit omnia munda, ut testatur Plinius VII naturalis historiæ et alibi sæpe, cuius effectus detestabiles honestius est tacere quam dicere; sicut hic facit hic honestissimus poeta. Et subdit coniunctionem istorum duorum sanguinum, dicens: *l' uno e l' altro,* idest, uterque sanguis viri et mulieris, *s' accoglie ivi,* idest, coniunguntur [3] in illa matrice; *l' uno,* scilicet, menstruus, *disposto a patire,* idest, substinere, *l' altro,* scilicet, sperma viri dispositum, *a fare,* idest, agere in ipsum, ita quod pater dat formam filio, mater vero materiam. Sperma autem mulieris non est necessarium ad generationem. Et dicit: *per lo perfetto loco onde si preme;* quia decidit a corde; alii tamen dicunt a cerebro. Et tangit Statius formationem et animationem fœtus, dicens: *e, giunto lui,* idest, ipse sanguis spermaticus coniunctus cum sanguine

---

(1) E. et sic. (2) E. *dire,* per hoc honeste relinquit.
(3) E. coniungitur in illa matrice.

menstruo, *comincia ad operare coagulando prima;* unde dictum est: *Tres in lacte dies, tres sunt in sanguine terni, Bis seni carnem, ter seni membra figurant:* — *e poi avviva,* idest, vivificat, *ciò che fe' constare,* idest, remanere, *per sua matera,* scilicet, sanguinem menstruum, quod fecit consistere ibi pro sua materia, in quam imprimit suam formam: et bene dicit; nam communiter non fluit sanguis hic a muliere post impraegnationem; unde habent istud commune signum conceptionis: et non vult aliud dicere nisi quod generatur anima vegetativa in fœtu qualis est in arboribus. — *Anima.* Hic Statius tangit generationem animæ sensitivæ in fœtu, post generationem animæ vegetativæ, quarum utraque educitur de potentia materiæ, et non datur ab extra, sicut [1] rationalis de qua dicetur postea. Et continuans partem parti, dicit: *La virtute attiva,* quæ est ex parte agentis, *fatta anima qual d' una pianta,* idest, qualis est anima vegetativa arborum: plantæ enim habent partem animæ potius quam animam. Unde earum anima est imperfecta, quia educitur de materia per virtutem formantem; et est vegetativum in sensitivo, sicut potentia in suo actu; et sensitiva in homine coniuncta rationi, est multo maioris virtutis quam in aliis animalibus. Intellectum vero animæ rationalis educit intellectus primus [2] de luce sua et non de aliquo materialium principiorum. Ideo bene dicit: *in tanto differente,* ab anima plantæ, *che questa,* scilicet, anima quæ est in fœtu, *è in via,* idest, in fieri, quia nondum habet perfectionem suam, *e quella,* scilicet, vegetativa, *è già a riva,* idest, est jam facta, nec expectat aliam perfectionem; *tanto ovra poi,* in illam materiam, *che già si muove e sente,* idest, quod fit anima sensitiva, qualis est in brutis. Quod declarat per com-

---

(1) 117, sicut ratio naturalis. (2) E. primum.

parationem propriam, dicens, quod talis est tunc anima in homine, qualis est in animali imperfecto; sicut in conchylio, quod nullam habet formam membrorum, sed habet aliquid loco cordis et cerebri, et non movetur motu processivo de loco ad locum, sed tantum motu dilatationis et constrictionis quando sentit aliquid conferens vel nocens; unde habet solum sensum tactus. Dicit ergo: *come fungo marino,* sicut ostrea (¹); et est conveniens comparatio valde: et postea intendit ad formationem membrorum; unde dicit: *et indi imprende,* idest, et deinde incipit, *ad organar le posse,* idest ad faciendum organa potentiis corporalibus, sicut oculum visui, aurem auditui, *ond' è semente,* idest, quarum potentiarum ipsa est semen. Et concludit Statius in hac parte dicens Danti: *o figliuolo, or si spiega, or si distende,* idest, nunc explicatur, nunc declaratur: quasi dicat, ex prædictis nunc faciliter patet, *la virtù,* scilicet, dicta virtus informativa, *ch' è dal cuor del generante,* scilicet, masculi, *dove,* idest, in quo corde, *natura,* scilicet, naturata, *intende,* sicut jam dictum est supra, *a tutte membra,* scilicet, procreanda. Et hic nota quod virtus generativa principalis (²) est in corde, ut dicit Averrois, in secundo sui Colligeth: sed huic virtuti principali deserviunt testes; concurrit autem sperma feminæ in generatione, non tamen semper, nec de necessitate, sed ad juvamentum. Est enim sperma feminæ humiditas quædam aquosa et superfluitas similis urinæ discurrens per delectationem sicut saliva ex ore. Pater ergo solus dat formam filio.

Ma, come d' animal. Ista est tertia pars generalis in qua Statius describit productionem animæ rationalis. Et primo volens manifestare originem eius tangit arduitatem istius passus, ut reddat poetam acutum et præcau-

---

(¹) 117, hostica. (²) E. principaliter.

tum circa errorem comentationis [1]. Ad cuius erroris cognitionem oportet præscire, quod Averrois dixit intellectualem naturam esse separatam ab anima, et irradiare super animam hominis, sicut irradiat lux solis super perspicuum; et ex illa irradiatione dicebat formas intelligibiles [2] fluere in animam, sicut ex lumine solis fluunt visibilia in perspicuum. Et hoc modo dicebat multiplicari intellectum sicut multiplicatur lumen solis secundum illuminata, quibus immittitur; et sicut illuminatis subtractis non remanet nisi unicum lumen solis, ita pereuntibus hominibus dicebat unum intellectum perpetuum incorruptibilem [3] ex hominibus relinqui. Hunc errorem pessimum multipliciter improbat Albertus magnus in suo libro de anima [4]. Tunc enim sequeretur quod una numero esset anima vegetabilis in omnibus, et una numero sensibilis; et per consequens una numero esset digestio, et unum augumentum [5], et unus visus, et una memoria; quod nimis est absurdum et irrisione dignum. Videmus etiam quod virtus, sapientia et felicitas tunc veniunt ad statum perfectionis cum virtus organica incipit debilitari in vergentibus in senium. Aristoteles vero probavit formam intellectualem esse separatam, cuius felicitas sit contemplatio, firmam, puram, admirabilem habens delectationem; cui consensit tota schola peripatheticorum. Solus Alexander degenerans transit ad Epicurum, docens illud quod est divinum in tota natura generabilium esse corporale. Dixit enim intellectum esse ex elementis, et sic interire simul cum corpore. Anima igitur essentialiter est imago et similitudo primæ causæ et lucis intellectuum cœlestium, quæ est quoddam sigillum intelligentiarum separatarum, cum quibus habet

---

(1) 117, comentatoris. (2) E. intellectuales. (3) E. et incorruptibilem.
(4) 117, anima, et in libello de natura et origine animæ. Tunc.
(5) E. organum.

eamdem operationem; et esse eius est idem bonum et optimum, quod est causæ primæ et intellectuum divinorum. His præmissis evidentialiter, nunc ad literam; dicit Statius continuative: *Ma, tu non vedi ancor,* ex omnibus dictis, *come d' animal divegna fante,* idest, fiat rationalis, quia nullius animalis proprium est fari, nisi hominis: nullum etiam animal proprie dicitur famulari, nisi homo. Quomodo autem fiat hoc (1) est difficile videre; unde dicit: *questo è tal punto,* idest, tam fortis, *che più savio di te,* idest, maiorem philosophum quam tu sis, scilicet, Averroim; unde licet multi et magni philosophi enormiter erraverint circa positionem animæ, tamen poeta noster non curavit facere hic mentionem nisi de Averroi, qui multos secum traxit in errorem; *fe già errante;* cum tamen hic sapiens gloriatus sit quod ipse (2) satisfecit omnibus dubiis, eo quod visus est salvare omnia quæ dicit Aristoteles de intellectu possibili. Et tangit ipsum errorem, quia noluit quod intellectus esset pars animæ, cum tamen sit; unde dicit: *sì che fe' disgiunto,* idest, divisum, *dall' anima,* scilicet, hominis, *il possibil intelletto.* Ad huius intelligentiam nota, quod intellectus possibilis est aptus natus recipere omnia intelligibilia, sicut materia prima quæ (3) se habet in potentia ad omnem formam; unde se habet ad intelligibilia, sicut tabula rasa ad picturam; et est locus specierum intelligibilium, ad quem intelligibilia moventur lumine intellectus agentis, sicut colores lumine solis moventur in perspicuum; unde intellectus agens est perfectio intellectus possibilis, et intellectus agens illuminat possibilem, sicut lumen diaphanum, et est forma possibilis. Et sic vide quod est duplex intellectus, scilicet, possibilis et agens; et isti duo sunt unum sicut compositum; sed

(1) E. hoc difficile videtur, unde. (2) 117, ipse solus.
(3) E. quæ in se habet potentiam ad omnem formam. Unde sic se habet ad.

operationibus sunt diversi: et in his duobus anima est perfecta substantia permanens semper incorrupta, et hic intellectus possibilis et lumine agentis efficitur speculativus. Et dicit: *per sua dottrina,* quæ in hoc non fuit vera, sicut nec in quibusdam aliis; ideo hoc nomen videtur conveniens; Averrois enim, idest, sine vero: unde aliquando altissima ingenia clarissimorum virorum posuerunt maximos errores, sicut Origenes in divinis. Et assignat Statius causam quæ traxit Averroim in istum errorem, dicens: *perchè da lui,* idest, ab ipso intellectu, *non vide organo assunto:* videmus enim quod visus non videt sine oculo, et auditus non audit sine aure; sed intellectus non est virtus organica, sed sine corporis (1) instrumento omnia universaliter operatur, et de omnibus ratiocinatur, et voluntas libera est convertendi se ad quid voluerit; ideo visum est Averroi quod intelligere (2) esset omnino divisum ab anima; sed certe licet intellectus non communicet cum corpore, communicat tamen cum eo quod communicat corpori.—*Apri.* Nunc Statius, damnato errore Averrois de anima rationali, ponit veram sententiam catholicorum, scilicet, quod anima datur a datore primo; ideo primo invitat (3) poetam ad veram doctrinam intelligendam et tenendam, dicens: *Apri il petto,* idest, cor tuum, *alla verità che viene,* ad te post errorem tactum, *e sappi che, sì tosto come al feto,* qui est in utero matris, *l' articolar,* idest, junctura, *del cerebro è perfetto;* quasi dicat: quam cito corpus est organatum in muliere: cerebrum enim est organum virtutis animalis, sicut cor virtutis vitalis et epar virtutis naturalis. Et hic nota quod, sicut scribitur XVI de animalibus, cor est quod primo formatur et primo vivit, et ultimo moritur. Licet

(1) 117. aliquo corporis instrumento omnia universalia operatur.
(2) E. intellectus esset omnino divisus ab.
(3) E. invocat.

autem epar et cerebrum principientur a corde, oportet formationi cordis esse annexam formationem epatis et cerebri, quæ sunt tria membra principalia; testes autem [1] faciunt ad supplendam indigentiam speciei; *lo motor primo,* scilicet, Deus, *si volge lieto a lui,* super illum fœtum sic perfectum, *sopra tant' arte di natura;* vere ibi est mirabilis opera naturæ; nam vis formativa animalis quæ format et efficit animal est in semine per illum modum quo artifex est in artificiato [2], quod facit per artem: et vere omne artificium hominis est nihil si consideretur opus naturæ in generatione embrionis; sed opus Dei est mirabilius; unde dicit: *e spira spirito,* non intelligas physice prout spiritus est vapor sanguinis temperati, quia tunc est instrumentum animæ; sed hic accipit spiritum pro ipsa anima, sicut accipitur fere in toto opere isto, et communiter ubique: et dicit signanter, *nuovo,* propter Platonem, qui dixit quod anima erat ab æterno; sed ut dicit Augustinus [3]: *Deus creat continuo animas, quia creando infundit, infundendo creat;* et dicit: *di vertù repleto,* idest, potentia magna. — *Che ciò.* Hic Statius tangit magnam potentiam novi spiritus, quia assumit officium utriusque animæ præexistentis; unde dicit: *che,* idest, qui spiritus, *tira ciò che truova attivo,* scilicet, in fœtu, *quivi in sua sustanzia,* quoniam hæc anima rationalis licet sit una substantia hominis, tamen habet diversas potentias, quia colligit in se omnes formas præcedentes se ordine naturæ; unde hæc anima rationalis quæ est forma hominis facit hominem esse hominem totum, et sola ultima forma dat esse speciei. Ideo dicit: *e fassi un' alma sola,* ex multis, contra Platonem qui dixit in uno corpore esse plures animas specie differentes, sicut intellectivam in cerebro, vitalem in corde, con-

---

(1) E. autem, idest testiculi, faciunt. (2) 117, artificio.
(3) E. beatus Augustinus.

cupiscibilem in epate, irascibilem in felle, generativam in testiculis: sed secundum Augustinum una et eadem anima rationalis est quæ vivit, sentit, et intelligit; unde dicit: *che vive,* quantum ad vegetativam. Anima dicitur vivere causaliter quia est causa vitæ, et vivens in se ipsa sicut lux dicitur luminosa et causa luminis; *e sente,* quoad sensitivam, *e sè in sè rigira,* quantum ad intellectivam, quia intellectus intelligit * se, sicut intelligit * (1) alia; unde in eius operatione ipse est principium et finis, vel hoc dicit quia motus rationis procedit a creatore in creaturam; deinde a creatura in creatorem circulariter. Et manifestat virtutem istius animæ per unam nobilem comparationem et claram, dicens: *e guarda il calor del sol che si fa vino, giunto all' umor che dalla vite cola,* idest, qui tali modo facit vinum tam mirabiliter et potenter; nam ex vilissimo humore facit nobilissimum liquorem. Et sic vide quantum comparatio sit pulcerrima et propria: sicut enim sol calore suo facit vinum, cuius effectus sunt optimi et pessimi, unde natura vini a quibusdam assimilata est potentiæ Deorum; ita sol æternus bonitate sua facit animam rationalem, cuius operationes sunt optimæ et pessimæ. Unde natura animæ est quasi divina, quia est quasi resultatio lucis æternæ, imo est quasi omnia ut inquit Themistius. Et dicit: *perchè meno ammiri la parola;* quia vere sermo est de re mirabili. — *E quando.* Hic Statius posita productione animæ rationalis ponit illius separationem a corpore poetice dicens: *E quando Lachesis non ha più di lino,* quod est dicere, deinde quando vita hominis est finita: tria enim fata ponuntur a poetis, de quibus clare dixi supra capitulo XXI. Calcidius vero commentator super Tymeum Platonis, dicit: fatum dicimus ex providentia fore, non providentia ex

(1) Le parole fra i due asterischi son del Codice Estense.

fato. Clotho ergo dicitur portare colum cum lino propter tortuosam revolutionem qua proveniunt ea quæ diversæ naturæ motus importat. Lachesis dicitur quasi sortita officium [1], ut omnia opera et effectus suscipiat: ideo bene inducit filum in fusum: Atropos abrumpit filum post quod non est dare regressum. Adveniente igitur Atropo illa alma, *solvesi dalla carne,* cum qua primo erat ligata, *et in virtute,* idest, in potentia sua, *ne porta seco l'umano,* scilicet, vegetativam et sensitivam, *e 'l divino,* idest, rationalem animam, quæ est quid divinum et a Deo datum. — *L' altre.* Hic Statius ostendit quid anima separata retineat secum, et quid non. Et ad intelligendam literam est primo notandum, quod potentiarum animæ quædam sunt propriæ passiones sine corpore, sicut intellectus, voluntas, et ratio; alia accidentia sunt communia sibi et corpori: et istorum accidentium aliqua passio est quæ incipit ab anima et expletur per corpus, sicut visus et auditus, et omnis sensus et vegetatio: alia incipit a corpore et redundat ad animam, ut somnus et vigilia, quæ incipit ab evaporatione cibi, et efficitur ligamentum, vel solutio virtutum animæ; et omnes tales passiones communes evanescunt cum fit separatio animæ a corpore; primæ vero quæ sunt propriæ fiunt liberiores solutæ [2] ergastulo amarissimæ servitutis. Dicit ergo Statius: et illa anima recedens a corpore portat secum, *memoria,* et loquitur Statius hic sane tamquam poeta christianus, non tamquam philosophus paganus; nam de memoria non videtur verum, quia est virtus organica consistens in posteriori cellula cerebri; sed secundum fidem bene dicit; *intelligenzia,* idest, intellectum et rationem, *e volontate,* quæ est semper libera, *molto più acute,* idest, intensiores et vehementiores, *che prima,* propter impedi-

---

[1] 117, effectum. [2] E. soluto.

mentum corporis, *in atto,* idest, actualiter. Sicut enim non debilitatur vel deficit nauta nave destructa vel confracta, scissa vel inveterata [1], ita anima exuta corpore habet vires suas, licet non utatur organice, non tamen remanet otiosa, imo retinet vires intellectivas fortius et perfectius. Et dicit: *l' altre potenzie tutte quante mute;* supple, remanentibus, sicut visu, auditu, somno, vigilia etc.—*Senza.* Hic Statius ostendit quo tendat anima sic separata; et vult dicere uno verbo quod talis anima subito vadit ad infernum vel purgatorium. Unde dicit: et illa anima, *senza ristarsi,* idest, sine mora, *cade per se stessa,* impellente divina justitia, *mirabilmente,* quia invisibilis est, *all' una delle rive,* scilicet, vel Acherontis fluminis, ubi Charon nauta transportat animas in infernum; vel faucis Tiberinæ, ubi angelus transportat animas ad purgatorium, uterque in navi: anima enim obstinata statim festinat ad damnationem, pœnitens vero sponte festinat ad purgationem, ut purgata perveniat ad cœlum. Unde secundum Avicennam, et Algagelem imitatorem eius, anima humana post mortem convertitur ad lumen intelligentiæ agentis. Isaac vero dicit, animas justitiam colentes esse in orbe supremo in psalmodia, cantu et jocunditate; quæ autem fuerint deditæ obscenis actibus deprimuntur sub orbem tenebrosum in tristitia, et in igne magno perpetuis incendiis concremantur. Et dicit: *quivi,* scilicet, in altera dictarum riparum, *conosce prima le sue strade,* idest, quam viam tenere debeat, vel ad gloriam vel ad miseriam. Et subdit quomodo anima disponitur ibi ad pœnam, dicens: *tosto che luogo lì la circonscrive,* idest, relegat ipsam animam vel in inferno vel in purgatorio, *la vertù formativa,* quæ format et distinguit suam speciem, *raggia intorno,* et loquitur

---

[1] E. vel arctata, ita.

materialiter sicut fit hic in corpore, ut facilius intelligatur. Unde dicit: *così e quanto nelle membra vive,* idest, taliter et tantum, qualiter et quantum radiabat primo in corpore dans formam toti et singulis partibus eius. — *E come.* Hic Statius manifestat novam dispositionem quam acquirit anima ibi per nobilissimam comparationem. Ad cuius intellectionem (1) bonum est præscire quod omnes tam philosophi quam poetæ in hoc convenire videntur, quod iris est speculum solis in aquosa nube. Iris enim est arcus rotundus, vel quasi, non excedens semicirculum, et frequenter portio minor semicirculo; nam quanto sol est altior, tanto circulus est minor; et quanto sol fuerit inferior, tanto arcus est maior. Unde non inconvenienter Euripides poeta dixit, iridem esse sagiptas Apollinis affixas in superficie cameræ Junonis, quæ est vis divina in aere. Dicit ergo: *E come l' aire quando è ben piorno,* idest, plenus, prægnans, vel ebrius nubibus, intellige quoad partem, quia arcus non apparet nisi in aere, alicubi sereno, alicubi turbido; *diventa adorno,* idest, adornatus, insignitus, *di diversi colori;* bene dicit, nam colores iridis in veritate non sunt aliud nisi radii solis humore vaporis vel nubis diversimode tincti; *per l' altrui raggio che 'n se si riflette;* bene dicit, quia causa efficiens iridis et colorum est radius solis rediens repercussus et reflexus ad vaporem multiplici refractione: et sic vide, quam egregie poeta noster tetigit diffinitionem iridis. Et nota quantum comparatio sit propria: sicut enim sol incorruptibilis potentia sua (2) mirabiliter imprimit diversos colores in corpus aeris nubilosi, ita et anima immortalis virtute sua mirabiliter imprimit diversa organa diversarum potentiarum in corpus aeris sibi vicinum radiis suis. Dicit ergo: *così l' aer vicin quivi si mette,*

---

(1) E. intellectum. (2) 117, sua mirabili imprimit.

quasi materia, *in quella forma,* scilicet, corporis humani, *che,* idest, quam formam, *suggella in lui,* idest, repræsentat in ipso aere, *virtualmente l' alma che ristette,* idest, anima quæ remansit ibi, quæ habet potentiam imprimendi talem formam. — *E somigliante.* Hic Statius per aliam subtilem comparationem ostendit virtutem talis animæ sic habituatæ; et breviter dicit, quod anima deinceps portat semper secum formam noviter acquisitam, sicut ignis flammam. Et est propria comparatio de anima incorporea ad ignem, qui est corpus subtile, spirituale; unde aliqui opinati sunt animam esse ignem. Dicit ergo: *E forma novella,* quam induit sibi anima ex illo aere, *segue allo spirito suo,* idest, animam, *somigliante poi alla fiammella;* est enim flamma fumus accensus in aere, *che segue il foco là 'vunque si muta,* de loco ad locum. Et subdit novum nomen quod acquirit anima, dicens: *però che quindi,* scilicet, ab illa forma, *ha poscia sua paruta,* idest, apparentiam personæ, sicut dicitur VI capitulo Inferni, quasi dicat, quia efficitur visibilis; *è chiamata ombra;* quæ a principio fuit quædam umbra divinæ lucis nunc capit umbram corporis separata a corpore. Ideo quidam volunt quod passiones corporum non remanent in anima post resolutionem corporis, sed potius similes illis, * sicut in artifice carente materia et instrumentis manent habitus et formæ similes illis * (1), quæ per instrumenta exercentur et in materiam traducuntur. Cum enim anima naturaliter sit perfectio corporis, remanent in ea et in potentiis eius habitus et passiones inclinantes ad motus corporis, sicut remanent in nauta imaginationes navis postquam a navi separatur. Et dicit: *e quindi,* scilicet, sub illa forma aerea illa anima, *organa poi,* idest, organizat postea, *ciascun sentire,* idest,

---

(1) Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici Estense e 117.

sensum suum (1), *infino alla veduta.* — *Quindi.* Hic ultimo Statius post longum discursum concludit principale propositum, scilicet, quod anima tali modo patitur diversimode, velut si esset in corpore constituta. Unde dicit: *Quindi,* scilicet, ab illa forma, *parliamo,* per vocem quæ formatur in novis organis exprimendo conceptum mentis, *e quindi ridiam noi,* ostendentes in facie lætitiam; et similiter, *quindi facciam le lagrime e i sospiri,* secundum diversa genera pœnarum, *che per lo monte aver sentiti puoi;* tu, qui vivus (2) de circulo in circulum omnia vidisti usque ad ultimum, cui appropinquamus. Et ut generaliter dicam: *l' ombra si figura,* in corpore aereo, *secondo che ci affigono i desiri,* idest, diversa desideria, *e gli altri affetti,* sicut dolor, gaudium, timor, spes, fames, sitis etc. Et facit finem, dicens: *e questa è la cagion di che tu miri;* quasi dicat: ista est ratio quare anima separata potest pati, de qua re tu paulo ante mirabaris et petebas a Virgilio.

E già venuto. Ista est quarta et ultima pars generalis, in qua poeta noster agit et tractat de ultimo vitio, scilicet (3), luxuria, quæ purgatur in septimo et ultimo circulo purgatorii. Et primo quidem ostendit suam dispositionem et attentionem ad novam materiam sequentem investigandam; unde continuans partem parti, dicit: *E già s' era venuto per noi,* scilicet (4), per tres poetas, Statio sic conferente in via, *all' ultima tortura,* idest, ad introitum ultimi circuli ad summitatem scalæ. Venerant enim hucusque per scalam septimam (5) altam, in qua fecerant altam disputationem; quæ scala est recta sicut et cæteræ; et nunc intraturi ipsum circulum incipiebant torquere et flectere viam; ideo talem deflexionem appellat

(1) 117, suum post longum discursum, *infino alla veduta.*
(2) E. vivis.
(3) E. scilicet, de luxuria.
(4) E. scilicet, nos tres.
(5) E. septimam, in qua.

torturam. Ideo dicit: *e volti alla man destra,* ad quam semper itur per purgatorium, *et eravamo attenti ad altra cura,* scilicet, ad purgationem libidinis. Et sic vide quod poeta servat optimum ordinem; nam gula parit luxuriam tamquam filia matrem foventem se, et continuo cum deficit refoventem. Ideo bene post gulam sequitur luxuria, et in utraque est brevis delectatio, sed longa passio; et cum sint omnia vitia graviora, nullum est vilius gula et luxuria. — *Quivi.* Hic poeta describit pœnam purgatoriam luxuriosorum in generali. Et ad intelligendam clare formam istius pœnæ debes imaginari, quod poeta fingit quod luxuriosi puniuntur in via quæ circumdat montem, quam totiens vocavit cornicem. Sicut [1] enim patet ex sæpe dictis via ista habet ab una parte ripam exteriorem, unde homo potest ruere; ex alia parte habet montem sive ripam interiorem montis: modo a latere montis spirat flamma ignis ardentis, et ventus quidam in oppositum reflectit flammam contra montem, ita quod viam facit transire volentibus, unde via parva et arcta remanet ex latere aperto. Ad literam ergo dicit poeta: *Quivi,* scilicet, in isto circulo septimo, *la ripa,* scilicet, interior, *balestra,* idest emittit, *fiamma in fuor,* intra quam includuntur spiritus, *e la cornice spira fiato in suso,* idest, emittit ventum violentum contra flammam, *che,* idest, qui ventus, *la riflette,* idest, retorquet ipsam flammam, *e sequestra,* idest, dividit et separat, *via da lei,* scilicet, ab ipsa flamma, ita quod viam dimittit pro transitu; ideo subdit: *ond' ir ne convenia dal lato schiuso,* scilicet, extrinseco, ubi nulla est clausura muri, sæpis, vel saxi, *a uno a uno,* et non duo vel tres simul; ita quod iste callis habebat solum tantum latitudinis, quod vix poterat ire homo solus; ideo mul-

---

[1] S. e E. Sicut autem patet.

tum dubitabat. Unde dicit: *et io,* qui solus eram ibi vivus cum corpore et poteram lædi, *temea il fuoco quinci,* a latere dextero, *e quindi,* scilicet a latere sinistro, *temea cader giuso,* ab extra. Et hic nota quod poeta dat optimam purgationem luxuriosis, quos fingit puniri in igne; quoniam volens purgare in se vitium luxuriæ debet revocare ad mentem ardorem istius voracis ignis, et ardere totus rubore pudoris, et considerare incendia istius ignis. Libido enim ardens simul cremat animam et corpus; nam cor veneno extinctum ignis dicitur non posse cremare; sed istud ardens venenum sic cor inflammat et urit, quod cito consumit. Venus face sua cremavit Troiam, quæ omnia animalia incendit et incitat (¹); non ætati parcit, non sexui (²) imperiosa Venus, nisi homini quem curarum mordet aculeus. Ideo bene poeta noster sponte subiit maximam curam huius operis per quod vitavit et istud et cætera vitia. — *Lo duca.* Hic poeta ponit salutare consilium Virgilii ad se in ista via, dicens: *Lo duca mio,* scilicet Virgilius qui præcedebat me, Statio medio, *dicea: per questo loco si vuol tenere agli occhi il freno stretto.* Et hic nota quod vere hic sunt frænandi oculi ne pes labatur in incendium. Hic enim ignis blande se offert incautis, et sua vi penetrat ad medullas cum fecerit sanguinem ebullire inflammatis venis; et iterato visu nova contrahuntur incendia, quæ raro extinguuntur sine inundatione lacrymarum, et post tolerantiam multorum laborum deducit hominem ad mortem, et interdum ad laqueum vel gladium proprium. Et assignat causam Virgilius sui dicti, dicens: *perocch' errar potrebbesi per poco,* quasi dicat, faciliter posset falli: si enim homo adhæreat igni, aduritur, et si adhæret extremitati apertæ cadit in peius præcipitium. Et bene consulit Virgilius hic

---

(¹) S. vitiat. (²) E. sensui.

Danti, quia uterque aliquando fuerat expertus ardorem huius ignis, quem non poterit hic finaliter evadere, quia oportebit intrare istum ignem et transire, ut patebit in sequenti capitulo. — *Summæ.* Hic poeta ponit orationem quam cantant (1) luxuriosi in purgationem suam; et dicit, quod cantant (2) unum hymnum qui directe facit contra luxuriam. Unde dicit: *udi' allora cantando nel seno,* idest, in capacitate illius ignis, *del grande ardore,* idest, ad refrigerium magni ardoris luxuriæ (3): *Summæ Deus clementiæ,* hunc quidem hymnum; et dicit: *che mi fee caler non meno che di volgere;* quam de respiciendo ad viam ipsam. Quasi dicat: ego volveram primo cum tota cura oculos ad pedes ad dictum Virgilii; sed nunc revolvi eos ad ignem ad cantum illorum spirituum non minori cura. Et tunc perpendit de spiritibus quos prius non viderat; unde dicit: *e vidi spirti,* scilicet, luxuriosorum, *andando per la fiamma,* idest, euntes per ignem et cantantes hymnum prædictum: et tangit formam suæ inspectionis, dicens: *perch' io guardava loro,* cum admiratione, quia ibant cantando per ignem, *et ai mei passi,* quia ex hoc non eram oblitus præceptorum Virgilii, *compartendo la vista a quando a quando,* idest, vicissim, nunc convertendo visum ad ignem ne urerer, nunc ad terram ne ruerem deorsum. Et subdit poeta aliam orationem quam cantabant dicti spiritus similiter contra vitium luxuriæ, dicens continuative: et illi spiritus, *appresso il fine che a quello inno fassi,* quasi dicat, finito illo hymno prædicto, *gridavan alto: Virum non cognosco;* verbum (4) beatæ Virginis, signum summæ pudicitiæ quæ fecit eam dignam Deo: si enim nuptiæ replent terram, virginitas replet cœlum: ideo mulier impudica deberet

(1) E. cantabant. (2) E. cantabant.
(3) E. luxuriæ taliter: *Summæ Deus.*
(4) E. verbum gloriosissimæ Virginis Mariæ, signum.

ardere rubore (1), audito verbo Mariæ. Alii tamen aliter exponunt istam literam, et dicunt quod illi spiritus cantabant alte: *non cognosco virum,* idest, istum hominem vivum, scilicet Dantem qui incedit intactus ab igne; sed prior expositio sanior est. Et dicit: *indi,* idest, deinde, *ricominciavan l' inno,* scilicet, *summæ Deus clementiæ; bassi,* idest bassa voce, ita quod cantabant primo hymnum basse, deinde responsum (2) Mariæ ad angelum alte. — *Finitolo.* Hic poeta ponit aliud dictum illorum spirituum in vituperationem luxuriæ quæ separat mulierem a consortio aliarum pudicarum. Ad declarationem huius literæ est brevissime sciendum, quod sicut scribit Ovidius II Maioris, Jupiter per fraudem et vim stupravit Calistonem virginem de Arcadia solitam ire in venationem cum aliis virginibus Dianæ; quæ, perdita virginitate, non audebat appropinquare Dianæ, non levare oculos, non loqui. Cum autem semel Dea fessa venatione et cæteræ virgines in viridi nemore nudatæ lavarentur ad fontem ad refrigerandum calorem, Calisto cognita est esse corrupta in utero inflato. Ex quo Diana indignata turpiter expulit illam ne vitiaret purum fontem, et macularet chorum sacrarum virginum: quæ postea dicitur mutata in ursam ira Junonis (3), quæ uxor Jovis persequebatur pellicem mariti. Sed brevius videamus quid lateat sub cortice fabulæ: Jupiter figurative est magnus adulter, sicut fuit de rei veritate, qui vi et fraude deflorat virginem, et fallit illam puram (4), simplicem et fragilem. Diana vero quæ dicitur dea castitatis est luna, quæ influentia sua facit virgines, sicut clare patebit III capitulo Paradisi; quæ fingitur cum suis virginibus ire in

(1) E. pudore, audito verbo beatissimæ Virginis Mariæ.
(2) E. responsum pretiosissimæ Virginis Mariæ.
(3) E. Junonis uxoris Jovis, quæ persequebatur.
(4) E. puram virginem et fragilem.

venationem ad persecutionem ferarum, idest, ad mortificationem concupiscentiarum, quæ lacerant animam et carnem crudelius omni fera. Sed infelix fœmina non potest tegere fallum suum; ideo bene exclamat Ovidius ibi: *Heu quam difficile est crimen non prodere vultu!* Diana vero, idest, domina casta, repellit eam a se et a societate honestarum mulierum, et illa non audet apparere in conspectu earum; et maxime Juno uxor adulteri persequitur eam; et illa sæpe efficitur ursa, quæ si domesticatur ([1]) permittit se tangi, palpari et equitari ab hominibus parvis et magnis, et impinguatur verberibus, sicut dicitur de ursa. Ad literam ergo, dicit poeta: *Finitolo,* idest, finito illo hymno basse, *gridavano anco,* idest, iterum clamabant illi spiritus alte: *Diana si tenne al bosco,* quia solitudo est maxime amica pudicitiæ, ut pulcre ostendit Seneca in persona Hippolyti pudicissimi juvenis, *e caccionne Elice,* quæ alio nomine dicta est Calisto; et assignat causam honestam, dicens: *che,* idest, quæ Helyce, *avea sentito il tosco di Venere,* idest, gustaverat venenum libidinis, quod est dulce venenum inebrians cor hominis. — *Indi.* Hic ultimo poeta ponit aliam cantilenam in commendationem virorum castorum. Et continuans hanc partem præcedenti, dicit: *Indi tornavano al cantar,* idest, deinde illi spiritus facto clamore revertebantur ad cantum, sicut alternantes voces, nunc cantando basse, nunc clamando alte. Et videtur quod hucusque viri fecerunt ([2]) mentionem vel commendationem mulierum castarum; ideo nunc introducit mulieres facientes commendationem virorum castorum; unde dicit: *indi,* idest, deinde, *donne,* idest, uxores, quæ fuerant adulteræ, *gridavano i mariti che fur casti,* servantes fidem uxoribus; ideo dicit: *come vertute e matrimonio imponne.*

([1]) E. ursa, quasi domestica videtur, permittit. ([2]) S. fecerunt.

Et hic nota quod matrimonium non solum est ordinatum in veteri et novo testamento et per leges civiles et canonicas, sed etiam apud gentiles bene viventes, sicut olim apud græcos et romanos: imo et Aristoteles in Politicis probat [1] quod naturaliter homo est animal coniugale contentus una. Et concludit poeta dicens et claudens capitulum: *e questo modo,* clamandi, *credo che lor basti,* scilicet mulieribus, *per tutto 'l tempo che 'l fuoco gli abbrucia,* ad purgationem: et ecce causam, *con tal cura convien e con tai pasti;* quasi dicat: talis medicina convenit cum talibus morbis, scilicet, ut ignis compescatur igne, *che si ricucia la piaga da sezzo;* hoc est dicere ultimum peccatum, scilicet peccatum luxuriæ. Et est conveniens metaphora: sicut enim medicus suit plagam magnam, et aliquando urit illam igne ne putrescat, ita æternus medicus peccatum luxuriæ hic purgat per ignem ne pariat saniem.

---

[1] E. ponit et probat, scilicet quod.

CANTUS VIGESIMUS SEXTUS, *ubi tractat de spiritibus luxuriosis et de modo status et pœnæ eorum, sub titulo domini Guidonis Guinicelli de Bononia, qui multa receptavit cum eo, ac etiam de aliis multis.*

MENTRE *che sì per l' orlo uno innanzi altro.* Postquam in superiori capitulo poeta noster tractavit (1) in parte finali de purgatione luxuriantium luxuria naturali, nunc consequenter in præsenti capitulo XXVI agit et tractat de purgatione luxuriantium luxuria innaturali. Et istud capitulum sufficit dividere in tres partes generales: in quarum prima poeta describit duas sectas luxuriosorum, de prima quarum introducit unum spiritum modernum ad loquendum et petendum de se. In secunda poeta respondens petitioni sibi factæ, manifestat se, et sibi manifestari facit gentem utriusque aciei, ibi: *Io, che due volte.* In tertia et ultima commendat illum spiritum ab arte inveniendi vulgariter et materne; et gratia illius nominat incidenter aliquot alios inventores tam gallicos quam italicos, ibi: *Poichè di riguardar.* Ad primum veniens (2), poeta descripturus utramque aciem, primo pro perfectione sui operis facit descriptionem temporis; et videtur dicere uno verbo, quod ipsis sic ambulantibus per illam viam dubiam sol tendebat ad occasum. Ordina sic literam: *Il sole feriami in su l' omero destro;* erat enim prope occasum tertiæ diei, ita quod faciebat umbram magnam, *che,* idest qui sol, *già raggiando tutto l' occidente,* quia bassus erat, *mutava aspetto di cilestro,* idest, colorem quem prius habebat cœlum, *in bianco,* quia tunc

(1) 117, tractavit et determinavit in parte.
(2) 117, veniens dico quod poeta.

incipit occidens aliquantulum albere: et hoc faciebat sol, *mentre che sì ce n' andavam per l' orlo,* idest, extremitatem viæ, *uno innanzi altro,* scilicet, Virgilius primo, deinde Statius, tertio Dantes, soliciti circa viam; * unde dicit: *il buon maestro,* scilicet, Virgilius, qui bene ducebat eum per tam periculosam viam * (1), *diceva spesso,* reflectens se versus me; *guarda,* scilicet, quomodo venias, et cave tibi ab igne. Et dicit: *giovi ch' io ti scaltro;* quasi dicat: valeat tibi quod ego feci jam te præcautum et scaltritum circa istud iter. Et hic nota, lector, quod Virgilius necessario repetit hic (2) bonum documentum suum, quia Dantes non poterat faciliter, neque cito retrahi ab isto igne; nam luxuriosi habent excusationes suas semper paratas. Dicunt enim quod viri fortissimi, sapientissimi et sanctissimi istud vitium vitare non potuerunt, quia luxuria ludus est juventutis, peccatum non malitiæ sed naturæ; ideo ætatem refrænare non possunt; sed sapiens Virgilius dicit: considera vilitatem, obscenitatem, brevitatem, finem istius vitii (3). Luxuria enim plus cæteris vitiis fœdat corpus, infamat et breviat vitam, et si ad senectutem luxuriosus, quod perrarum est, veniat, male expensam tarde conqueritur juventutem, cum amplius resumi non potest. — *Et io.* Hic poeta describit primam aciem luxuriantium contra naturam; et primo ostendit quomodo illi perpenderint de eo, quod (4) erat cum corpore vivens; unde dicit: *et io facea la fiamma parer più dolente,* idest, magis tristem, quia faciebam ipsam magis obscuram, *con l' ombra,* scilicet corporis mei, de quo cœperunt admirari animæ. Unde dicit: *e vid' io molte ombre,* idest, animas mortuorum, *andando,* per ignem, *por mente pur a tanto indizio,* idest, solum

(1) Le parole fra i due asterischi son supplite dal Codice 117.
(2) E. hoc bonum. (3) E. vitii: fœdat corpus.
(4) 117 e E. quia erat.

ad istud signum quod indicabat ipsum esse vivum. Et subdit: *questa fu la cagion che diede inizio loro a parlar di me,* scilicet, quod essem vere vivus. Unde dicit: *e cominciarsi a dire,* inter se, *colui* (1) *non par corpo fittizio,* scilicet, aereum quale nos habemus, sed verum. Et dicit, quod aliqui facti avidi novitate rei accesserunt versus eum; unde dicit: *poi certi,* scilicet, spiritus de turba hermaphroditarum, ut patebit postea, *si ferono verso me,* ad extremitatem ignis, *quanto potean farsi,* scilicet, usque ad confinia, *sempre con riguardo di non uscir,* scilicet, extra ignem, *dove non fossero arsi,* scilicet, in viam (2) ubi erant poetæ sine pœna: sicut enim sponte peccaverant, ita sponte puniuntur in igne. — *O tu.* Hic poeta ponit pulcram orationem unius de numero prædictorum, qui primo captat multipliciter benevolentiam, dicens: *O tu che vai dopo agli altri,* scilicet, post Virgilium et Statium, *non per esser più tardo,* quasi dicat, non ideo quod sis novus poeta et illi antiqui, quia tempus magnum non facit meliora carmina, sicut facit meliora vina; quasi dicat: bene posses ire par cum prædictis, licet sis modernus, sed ideo sequeris illos, ut facias eis honorem, quia fecerunt primo tibi. Unde dicit: *ma forse reverente,* idest, vel forte ut sis reverens prædictis, a quibus multa didicisti; *rispondi a me che 'n sete e in foco ardo;* quasi dicat: bene vides quod male loqui possum, quia multo durius crucior siti sub igne cum istis luxuriosis, quam gulosi sub aqua. Et confirmat dictum suum per propriam comparationem, dicens: *la tua risposta è uopo,* idest, est necessaria, *non solo a me,* ad refrigerandum ardorem et sitim, *chè tutti questi,* scilicet, socii mei, *n' hanno maggior sete,* idest, aviditatem bibendi verba tua, *che indo,* idest, quam aliquis habitator Indiæ, quæ est in extremo

---

(1) 117, *colui,* scilicet, ille tertius: *non par.* (2) E. in via.

orientis sub ortu solis; *o etiopo,* idest, quam aliquis habitator Æthiopiæ, quæ est in extremo meridiei et multo calidior quam India; *d' acqua fredda.* Licet enim habeant magna flumina, non tamen aquam frigidam: et bene dicit, quia nulla intemperantia solis ita afficit siti æthiopes, sicut iste excessus caloris ignis istos: nulli etiam æthiopes ita affectant bibere aquam frigidam, sicut isti spiritus nigri affectant (1) nunc audire hominem quem videbant viventem ibi, quod numquam fuerat visum vel auditum de alio. — *Dinne.* Hic poeta ponit specialem petitionem illius spiritus, qui dicit sibi: *Dinne,* idest, dic nobis ergo: *com' è che fai di te parete al sole,* quasi dicat: quomodo facis umbram quæ impedit solem venire ad nos quantum tua umbra capit; *come se tu non fossi entrato ancora dentro dalla rete di morte,* quasi dicat, velut si non esses adhuc mortuus. Et videtur conveniens metaphora: mors enim piscatur in magno mari mortalium, et omnia genera animantium capit. Et dicit poeta: *sì mi parlava un d' essi,* qui fuerat vir affabilis in mundo: iste quidem fuit miles bononiensis de clarissima familia principum vocatus Guido Guinicellus. Guinicelli enim fuerunt unum membrum de principibus pulsis de Bononia seditione civili, quia imperiales erant. Fuit ipse Guido vir prudens, eloquens, inveniens egregie pulcra dicta materna; sicut autem erat ardentis ingenii et linguæ, ita ardentis luxuriæ, quales multi inveniuntur sæpe. O quot viri virtuosi cætera bona hac labe deformaverunt! Ideo bene fingit poeta quod ipse captus persuasione eius subito respondisset si non intervenisset impedimentum. Unde dicit: *et io mi fora già manifestato s' io non fossi atteso,* idest, non fuissem factus attentus, *ad altra novità che parve allora.* Sicut enim Guido erat

(1) 117, affectabant.

avidus audiendi rem novam, ita Dantes videndi rem novam. — *Chè.* Nunc poeta describit aliam sectam novam luxuriosorum de genere sodomitarum occurrentium istis, et eorum actus et voces; unde dicit: *chè gente,* scilicet, secta ([1]) sodomitica, *venia per lo mezzo del camino acceso,* scilicet, ab igne, *col viso incontro a questa,* idest, cum facie obviam primæ sectæ, *la qual mi fece a rimirar sospeso,* quia cœpi expectare cum admiratione quid factura esset, sicut illa prima gens expectabat cum admiratione audire me. Et subdit quid viderit ex utraque parte, dicens: *lì veggio d' ogni parte,* tam primæ quam secundæ gentis, *ciascuna ombra,* quæ recte respondebat alteri umbræ recta linea, *farsi presta, e baciarsi una con una,* in ([2]) improperium nefariæ coniunctionis, quam in seculo peregerunt, sicut poeta glossabit se infra; et dicit: *contente a breve festa senza ristar,* quia quam citius poterant ex nimia confusione ruboris videbantur mille anni quod fugerent abominantes semet, et quasi dicentes: qui ([3]) diabolus osculum tale invenit, aut quam delectationem potest habere vir de viro, aut homo de bestia in actu libidinis? — *Così.* Hic poeta specificat mutuos actus istarum animarum per comparationem claram et propriam formicarum. Ad quam bene adaptandam ([4]) nota, quod formicæ in colligendo cibum omnes ambulant directe ad lineam unam, quæ ducit ad nidum, et observant unum locum in quem conferunt thesauros ciborum suorum, et multum instant operi; ita istæ animæ ambulant recte ad unam lineam ([5]) in quærendo suam salutem, et attendunt locum ubi thesaurizent in cœlo. Et sicut formicæ præsentientes frigus, pluviam et ventos tempestatum, colligunt se ad casas, ita animæ istæ prævenientes

([1]) E. secta sodomitarum.
([2]) E. in improperium nefandæ.
([3]) E. quis diabolus.
([4]) E. bene aptandam.
([5]) E. lineam inquirendo suam.

imminentem mortem et damnationem reducunt se ad patriam; et sicut formicæ simul omnes mares et fœminæ laborant ad purgationem, ut jam patuit in fine præcedentis capituli, et ita universæ simul egrediuntur per turmas suas more formicarum, et simul habitant boni naturalis gratia, qui [1] prius fecerant contra naturam; et ut non plura dicam, sicut formicæ nigræ occurrunt sibi invicem sub magno calore solis, ita animæ istæ denigratæ obviant sibi sub magno calore ignis. Ad literam ergo dicit poeta: *così l' una formica s' ammusa con l' altra,* contingentes se invicem cum ore, *per entro loro schiera bruna,* et ecce quare; *forse a spiare lor via,* quam debeant tenere ex naturali ingenio, *e lor fortuna,* scilicet, ubi debeant quærere grana sibi ad victum. — *Tosto.* Hic poeta ponit voces dictarum animarum, quibus rememorant turpitudinem suam, dicens: *Tosto che parton,* illi spiritus, *l' accoglienza amica,* idest, receptionem amicabilem, quam supra vocavit breve festum, similiter vituperando amicitiam et gratulationem damnabilem, ubi habuerunt momentaneam delectationem sed longum dolorem; *ciascuna s' affatica sopraggridar,* quanto altius possunt, *prima che 'l primo passo lì trascorra,* idest, transeat ibi, vel transportet eas, quasi dicat, statim immediate post actum prorumpunt in vocem [2] vertentes sibi culum, sicut et diabolus dicitur facere. Et subdit clamorem utriusque sectæ, dicens: *la nuova gente,* quæ supervenerat postea, supple, clamat [3], *Sodoma e Gomorra.* In hoc propalant quo vitio sint [4] polluti, quasi dicant: provocavimus iram Dei super nos sicut olim sodomitæ. Quinque enim fuerunt civitates olim in finibus Arabiæ crematæ igne cœlesti ob talem culpam, scilicet Sodoma, Gomorra, Adama, Seboyn, et Segor. Unde Josephus de

(1) E. quæ prius.
(2) 117, in voces vertentes sibi collum.
(3) E. clamabat.
(4) 117, fuerint.

bello judaico: Pentapolis olim tam fructibus quam substantia civitatum fortunata, nunc tota exusta fulminibus arsisse memoratur. Adhuc in ea licet videre reliquias (1) ignis et terrarum imagines et renascentes in cineribus fructus, qui colore quidem sunt virentium similes, carpentium vero manibus in fumum dissolvuntur et cineres. Idem dicit Augustinus. Et quod non minus mirandum videtur dicit Hieronymus, quod nocte qua natus est Christus sodomitæ extincti sunt, ne (2) Christus cum venit in lucem inveniret naturam humanam tam pollutam. Et dicit: *e l' altra,* scilicet, gens prima clamabat detegens suum flagitium, scilicet, bestialitatis, extendens suam libidinem ad utrumque sexum; *Pasife,* uxor (3) Minois urgente flamma luxuriæ, *entrò nella vacca,* scilicet, artificiatam, *perchè 'l torello,* scilicet, parvus taurus juvenis, scilicet, vitulus, *corra a sua lussuria,* quod videtur verum fuisse. Unde Valerius scribit quod taurus apud Syracusas compulsus est ad amorem et concubitum æneæ vaccæ nimiæ similitudinis incitamento. — *Poi.* Hic ultimo poeta ponit recessum illarum animarum per comparationem propriam et claram, ita enim recedebant recta linea versus diversas partes sicut venerant. Unde dicit: *Poi l' una gente,* quæ secundario advenerant (4), *sen va,* idest, recedit, *l' altra,* scilicet, prima, *sen viene,* ut reinveniant nos et audiant me loquentem, *come grue che volasser parte alle montagne Rife.* Hoc est dicere versus septentrionem; montes enim riphei sunt in partibus aquilonis sub nostro polo; *parte invêr l' arene,* scilicet, meridiem; *queste,* scilicet, quæ volant versus arenas, *schife del gielo,* idest, vitantes frigus septentrionis, *quelle,* scilicet, quæ volant versus montes ripheos, *schife del*

(1) 117, aliquas ignis et terrarum imagines.
(2) E. ne Dominus noster Jesus Christus.
(3) E. uxor regis Minois. (4) E. advenerat.

caldo, idest, vitantes calorem meridiei. Et hic nota quod poeta bene assimilat luxuriosos gruibus, quia grus habet carnem calidam, nigram et fœtidam, et volat gregatim sicut et isti, et in linea, et cum clamore magno; et faciunt contrarium volatum, non tamen ex frigore et calore sicut grues, quia utraque acies hic cruciatur in igne; et dicit: *e tornan lagrimando ai primi canti,* quia resumunt deinde (¹) hymnum illum basse, scilicet, *Summæ Deus* etc., *et al gridar,* scilicet, alte: *virum non cognosco; che più lor si convene.* Bene dicit, quia honestius est cantare et clamare nomen clementis Dei et (²) Mariæ Virginis, quam Sodomam Pasiphem. Et concludit poeta quod illi de prima acie redierunt ad extremitatem ignis expectantes responsionem eius; unde dicit: *et essi medesimi che m' avean pregato,* in persona Guidonis Guinicelli, *raccostarsi a me come davanti,* non exeuntes ideo ignem; illi dico, *attenti ad ascoltar nei lor sembianti;* quia in apparentia videbantur velle audire quomodo faciebat (³) umbram.

Io che, due volte. Ista est secunda pars generalis, in qua poeta respondens petitioni sibi factæ manifestat se et sibi manifestari facit utramque gentem. Unde continuans partem parti, dicit: *Io che avea visto lor grato,* quia gratum habebant quod responderem sibi, *due volte,* scilicet, semel supra quando dixit (⁴) Guido quod plus indigebant (⁵) responsione sua quam æthiopes aqua frigida; et nunc iterum cum videret omnes nutu petentes, quamvis tacentes; *incominciai;* supple dicere, captando benevolentiam: *O anime sicure d'aver stato di pace,* scilicet, æternæ, ubi nunc estis in continua pugna sine requie intra ignem, *quando che sia,* quia temporalis et

(¹) 117, demum.
(²) E. gloriosissimæ Virginis Mariæ, quam Sodomam et Pasiphem.
(³) 117, faciebam umbram. (⁴) E. dixit sibi Guido. (⁵) S. e 117, indigebat.

finitura est vestra pœna quamvis longà, *le membra mie non son rimase acerbe,* scilicet, in juventute, *nè mature,* scilicet, in senectute: erat enim mediocris ætatis, scilicet triginta quinque annorum, *di là,* scilicet, in mundo viventium, quasi dicat non sum mortuus; unde dicit: *ma son qui meco,* scilicet, viventia, *col sangue suo e con le sue giunture.* Et quia in petitione dictum fuerat sibi quod non ibat post alios propter tarditatem quod cedebat sibi ad gloriam, ideo ipse qui non quærit nunc laudem, sed purgationem suorum peccatorum respondet humiliter confitens suam negligentiam et ignorantiam; unde dicit: *quinci su vo,* per montem istum, *per non essèr più cieco,* quia nimis diu fui et nimis tardavi pœnitentiam; sed gratia Dei succurrit mihi. Unde dicit: *donna è di sopra,* scilicet, Beatrix, ut totiens dictum est, *che n' acquista grazia;* ideo misit Virgilium ad me, *perchè 'l mortale,* scilicet, corpus, *reco per questo mondo,* idest, porto per purgatorium. — *Ma.* Hic poeta dulciter adiurat prædictos ut manifestent se et alios recedentes in contrariam partem. Unde dicit: *Ma se la vostra maggior voglia divegna tosto sazia,* quæ nunc est ita avida, *sì che 'l ciel v' alberghi,* non cœlum mobile sed semper quietum, *ch' è pien d' amor,* scilicet, cœlum empyreum quod totum est lux et amor, *più ampio si spazia,* quia continet omnes cœlos intra se; *ditemi chi voi siete,* qui estis in ista turba, *e chi è quella turba che sì ne va diretro ai vostri terghi?* Et dicit: *acciò ch' ancor ne verghi carte,* idest, lineem; quasi dicat, ut scribam de vobis et dem vobis famam, si in mundo remansit infamia libidinis. — *Non.* Hic poeta describit effectum suæ responsionis, et dicit cum comparatione clara quod illi spiritus audito de suo vivere præ stupore obmutuerunt; sed paulo post deposito stupore Guido Guinicellus cœpit respondere ad quæsitum suum. Unde dicit: *Lo montanaro,*

idest, rusticus alpestris, *si turba stupido,* novitate rei, *e ammuta,* idest, obmutescit, *rimirando,* quia stupor interdum reddit hominem elinguem, *quando rozzo,* idest, rudis et novus, *s' inurba,* idest, intrat urbem; *non altramente,* idest similiter, *che ciascun' ombra fece in sua parula,* idest, apparentia sine voce. Et hic nota quod licet comparatio ista videatur grossa (1), est tamen valde propria: licet enim possit intelligi de quolibet montano primo veniente ad urbem, tamen specialiter poeta intelligit de montano habitante (2) in alpibus Florentiæ, qui prima vice qua venit Florentiam videns excelsa palatia, homines civiles, mirabiles sirenes, non satiatur visu, et videns tot numquam visa obstupescit: hunc actum viderat poeta aliquando in ipsa patria sua. Sicut ergo montani mirantur videntes primo Florentiam florentem, ita nunc isti mirantur videntes primo civem florentinum florentissimum adhuc viventem. Et subdit orationem Guidonis ad se dicens: *ma poi che furon scarche,* idest, exoneratæ, *di stupore,* qui fuit valde brevis, unde dicit: *lo qual negli alti cuor tosto si attuta;* quia viri magnanimi non mirantur aliquandiu, licet nova vel magna videantur; hoc autem dicit specialiter pro domino Guidone, qui fuit vir bene cordatus. Unde dicit: *colei che pria ne chiese,* scilicet, anima Guidonis Guinicelli, *ricominciò,* supple, dicere mihi, quia dixeram quod ex superna gratia ibam per purgatorium in vita, *beato te,* idest, o te felicem, *che imbarche,* idest, colligis et reponis in barcam tui ingenii, *esperienza delle nostre marche,* idest, de nostris regionibus montanis; *per viver meglio.* Nec dubito quod poeta melius vixit, et melius mortuus est per compilationem huius operis. — *La gente.* Hic Guido respondet de utraque secta; et primo de secunda quæ recedebat: et

(1) E. grossa taliter comparando, est tamen valde propria.
(2) E. inhabitante in alpibus florentinis.

sententialiter dicit quod tale genus hominum peccavit per sodomiam, quod vitium infame fuit olim obiectum Cæsari clarissimo principi. Ad cuius rei intelligentiam est sciendum quod, sicut scribit Svetonius primo de duodecim Cæsaribus, Cæsar multum arsit igne libidinis; et primo quidem tempore adolescentiæ suæ cum militaret in Asia sub Termo prætore, missus ab eo ad Nicomedem regem Bithyniæ, turpitudinem passus est: erat enim formosus et floridus nimis, ex quo maxima infamia fuit, et multa obbrobria dicta sunt in eum: unus enim vocabat eum pellicem reginam, alius stabulum Nicomedis, alius bithynicam reginam. Cum autem quidam fatuus mente in maxima turba hominum appellasset Pompeium regem, salutavit Cæsarem reginam. Sed in amorem mulierum fuit nimis pronus, quarum multas illustres cognovit, et aliquot reginas præcipue Cleopatram, cum qua inter tot pericula dormiebat, et cui donavit regnum Ægypti in præmium suarum libidinum. Cognovit et uxorem Pompei, et matrem Crassi (1) et filiam eius; sed bene recepit vicem in (2) uxore sua Pompeia quam Clodius fex senatorum cognovit in templo in habitu mulieris. Cum autem Cæsar post omnia bella finita ageret suos triumphos qui fuerunt quinque in primo gallico qui fuit gloriosior cæteris, milites sequentes currum triumphalem de consuetudine cantantes carmina iculariter clamabant: Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem etc., et alii clamabant: urbani servate uxores, mœchum calvum adducimus etc. Ad literam ergo dicit Guido: *La gente che non vien con noi,* scilicet, quæ clamabat Sodoma, *offese,* scilicet, Deum et naturam, *di ciò,* scilicet, eo peccato, *perchè Cesare trionfando,* scilicet, de Gallia, *già*

---

(1) 117, Cassii.
(2) S. in uxorem suam Pompeiam. — 117, certe bene recepit vicem in uxorem suam Pompeiam.

s' intese chiamar regina, quia more mulieris passus est stuprum, *contra se,* scilicet, a militibus suis. Et assignat causam quare isti recedentes sic clamabant dicens: *però si parton gridando Sodoma rimproverando a se,* idest, improperantes sibi ipsis, *com' hai udito, et aiutan l' arsura vergognando;* quasi dicat, quod ardor verecundiæ auget eis ardorem ignis, unde erubescentia est eis magna (1) pars pœnæ. — *Nostro.* Hic Guido manifestat sectam primam in qua ipse erat, et videtur dicere quod peccaverunt contra naturam agendo et patiendo. Hoc autem dicit sub honesto velamine verborum, sicut jam fecit de prædictis: et sententialiter videtur dicere quod peccaverunt gravius quam illi de alia secta, quia illi offenderunt naturam uno modo, vel agendo tantum, vel patiendo tantum; isti vero utroque modo. Dicit ergo: *Nostro peccato fu ermafrodito.* Ad quod nota quod hermaphrodita vocatur a poetis ille qui habet utrumque sexum, scilicet, masculinum et fœmininum; sed si magis incalescit in masculino censetur masculus; si in fœminino fœmina; unde si quis utatur utroque jubetur cremari (2) per leges. Modo hermaphrodita appellatur hic transumptive ille qui agit et patitur indebite, et talem vocat bestialem; unde dicit: *ma perchè non servammo umana legge,* quæ vult quod masculi agant et gignant, et mulieres patiantur, concipiant, et pariant, *seguendo come bestia l' appetito,* sine ratione humana, *per noi si legge in obbrobrio di noi quando partiamci,* scilicet, ab aliis alterius sectæ, *il nome di colei,* scilicet, Pasiphaes, ut patuit supra, *che s' imbestiò,* faciens se vaccam, * *nelle imbestiate schegge;* quæ sunt stellæ lignorum, quia intravit vaccam * (3) ligneam. Et Plinius dicit quod Semiramis adamavit equum usque ad coitum: et forte sub nomine Pasiphaes poeta

(1) E. maxima. (2) E. comburi.

(3) Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici Estense e 117.

dat intelligi omnes bestialiter coeuntes vel active vel passive, sicut qui abutuntur uxore, * quia peius est abuti uxore * (1), quam meretrice, ut dicit Augustinus; vel cognoscit consanguineam, quod natura abhorret. Unde narrat idem Plinius quod equus cum ignare cognovisset matrem præcipitavit se ab alto; et audivi de alio equo qui in simili casu dentibus se castravit. — *Or sai.* Hic Guido prædictus concludit excusans se si non nominat alios et nominat se; unde dicit: *Or sai nostri atti,* scilicet, quare sic occurrimus (2), et cum osculo clamamus; *e di che fummo rei,* scilicet, cuius sceleris; *se forse vuoi sapere a nome,* idest, per nomina propria, *chi semo tempo non è da dire,* quia erat hora tarda diei, et alia erant dicenda, *e non saprei;* et (3) si tempus adesset, quia magna est hic multitudo talium, quorum paucos novi, ut patebit in ultima parte sequenti. Et subdit: *farotti ben di me volere scemo,* idest, diminutum, quia velles forte audire de pluribus, et ego de me dicam, et ecce: *son Guido Guinicelli,* nobilis genere, scientia et eloquentia, *e già mi purgo,* in isto igne a rubigine nigra, *per ben dolermi prima ch' allo stremo,* quasi dicat: quia juste pœnitui ante mortem; ideo non sum relegatus in pede montis inter tardos. — *Quali.* Hic poeta ostendit qualiter cognito Guidone exhilaratus est nimis, et voluit ruere in eum per unam comparationem nobilissimam. Ad cuius intelligentiam claram non pigeat memorare curiosam historiam, quam seriose scribit Statius V Maioris, quam cursim attingam. Hypsypile igitur clara pietate parentis et natorum gemina prole, sed felix ingratitudine Jasonis et indigno exilio cum liberasset patrem suum Thoantem regem lemniorum ab impio excidio, quod crudeles mulieres fecerant unanimiter in viros, duos filios gemellos

(1) Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici Estense e 117.
(2) E. currimus. (3) 117 e E. etiam si tempus.

conceptos ex Jasone transmisit alendos ad patrem Thoantem ad insulam Chium, quem se occidisse simulaverat constructo rogo: postea cum manifestato pio furto suo Hypsypile fugeret in navicula a furore fœminarum, capta a piratis data est Lycurgo regi Nemæo, cuius infantulus Archemorus commissus est curæ ipsius mulieris. Eo tempore Adrastus rex argivorum cum septem regibus duxit [1] exercitum contra Thebas; et cum nimia siccitate deficientibus aquis ubique omnes laborarent mortifera siti, Hypsypile precibus Adrasti, relicto in pratis parvulo inter flores, ivit ad monstrandum Langiam fontem, qui solus inter fontes non aruerat; cuius aqua gratissima omnes opportune recreati sunt et facti animosi, velut si cum aqua bibissent ignem belli. Sed dum Hypsypile narraret præteritos labores suos placido seni, narrationem interrupit casus infelix: nam serpens inter herbas ludentem Archemorum mactaverat verbere caudæ. Quo audito infelix Hypsypile non verba non lacrymas invenit primo, sed oscula tantum; tandem vox fatigata dolore, totam sylvam replevit clamore miserabili, vocans puerum dulcem imaginem filiorum, solamen patriæ et rerum suarum, et suæ servitutis honorem. Lycurgus vero ira et furore accensus mittebat ad illam interficiendam; sed Tydeus, Capaneus et alii duces græcorum protexerunt eam: interim milites cucurrerant ad terram cum ferro et igne; sed sapiens senex Adrastus subito intrans frementem turbam, ostendens Hypsypilem salvam quam secum portaverat, revocavit eos ab excidio. Sed volente fato ex tanto dolore et timore lætitia nata est et inopinata spes. Nam duo filii Hypsypiles qui quærendo matrem venerant Nemæam noviter, et audito rumore de morte filii, statim iverant cum Lycurgo in eius favo-

---

[1] 117 e E. ducebat.

rem, recognoverunt Hypsypilem audientes nominari Lemnon patriam, et Thoantem avum, et per media arma ruentes ambo matrem vicissim amplexibus et osculis fatigabant. Illa vero primo (1) stabat in saxum, quia nihil credere poterat; sed tandem recognoscens per omnia signa ipsos similes Jasoni esse filios suos præ gaudio cœpit flere. Nunc ad literam; dicit poeta: *Tal mi fec' io,* scilicet, gratulabundum, *quali si fer duoi figli,* scilicet, Œneus et Thoas, *a riveder la madre,* scilicet, Hypsypilem, *nella tristizia di Licurgo;* propter mortem filii sui Archemori. Et nota bene quantum hæc nobilis comparatio bene facit ad propositum. Sicut enim filii Hypsypiles repleti gaudio magno videntes matrem vivere et evasisse a tanto periculo, quam non prius cognoscebant(2), ruerunt in oscula et amplexus eius, ita nunc poeta videns Guidonem, quem vocat patrem suum evasisse a periculo inferni, quem credebat damnatum, repletus gaudio volebat ruere in amplexus et oscula, nisi ignis vetuisset. Unde restringens comparationem, dicit: *ma non a tanto insurgo,* quantum illi, quia non fuit osculatus vel amplexus eum timore ignis; vel vult dicere: non tamen credas quod non fuerit maior lætitia et festivitas filiis videre matrem. Et assignat causam tantæ gratulationis, dicens: talem me feci, *quando i' udi' nomar se stesso il padre mio,* scilicet, Guidonem quem vocat patrem suum ratione ætatis, virtutis et scientiæ; *e degli altri miei migliori,* loquitur humiliter, *che,* idest, qui maiores mei, *usaro rime d'amor dolci e leggiadre,* quasi dicat poeta: non mirum si lætatus sum de salute Guidonis, qui fuit quasi quidam pater mei et aliorum dicitorum meliorum me. Et sic multum honorat istum Guidonem hic, cum alibi supra dixerit quod expulit de nido utrumque Guidonem. Et concludit,

(1) E. e 117, prius stabat ut saxum. (2) E. recognoscebant.

dicens: *e andai pensoso lunga fiata,* idest, diu, *senza udire e dire,* idest, sine verbo, *rimirando lui,* quod (1) fuerit fœdatus tam turpi vitio et postea salvatus, et tamen nolui tangere ipsum; unde dicit: *nè più in là m' appressai per lo fuoco,* timens (2) inuriri infamia. Simile fecit Brunetto Latino, quia sapiens debet abhorrere tale vitium, etiam in patre et præceptore.

Poichè di riguardar. Ista est tertia et ultima pars, in qua poeta commendat præfatum Guidonem a nobilitate dicendi, et gratia huius incidenter nominat aliquot egregios inventores tam gallicos quam italicos. Dicit ergo continuans partem parti: *Poichè di riguardar pasciuto fui,* idest, satur, quia satis primo locutus fueram secum, deinde satis respexeram cum admiratione, *tutto m' offersi pronto al suo servigio,* in dando sibi famam, *con l' affermar,* idest, juramento, *che fa creder altrui,* quia in sacramento homo invocat Deum in suum testem. Et subdit responsionem Guidonis, qui dicit in effectu quod non oportet ipsum amplius laborare in hoc, quia jam dedit sibi perpetuam famam. Dicit ergo: *et elli a me,* scilicet, Guido respondit: *tu lasci in me tal vestigio,* idest, signum amoris, *e tanto chiaro,* idest, gloriosum ubi dedisti mihi gloriam linguæ, licet prætuleris aliquos posteriores, *che Lete,* idest, oblivio, *nol può torre,* idest, auferre omnino, *nè far bigio,* idest, obscurum, quia memoria semper erit de me donec liber tuus erit in fama: et dicit: *per quel ch' i' odo;* audiverat enim Guido (3) ab aliquo spiritu qualiter Dantes fecerat commendationem de eo; ideo petit Guido a poeta de causa affectionis quam videtur habere ad eum, dicens: *ma se le tue parole or ver giuraro,* quasi dicat: si verum est quod sis ita prom-

(1) E. qui fuit fœdatus tali vitio.
(2) E. timens irretiri infamia. — 117, timens inuri infamia.
(3) E. iste Guido.

ptus ad servitium meum sicut modo jurasti; *dimmi che è cagion perchè dimostri d' avermi caro nel dire,* idest, loquendo familiariter mecum, velut si alias fuisses mecum, *e nel guardar,* velut si velles cognoscere me, quem tamen numquam vidisti. Et subdit poeta responsionem suam ad eum, dicens: *e io a lui,* supple, respondi Guidoni: *li dolci ditti vostri,* scripta in cartis, *che faran cari ancora i loro inchiostri,* idest, literas, quia scilicet erunt in pretio et laudabuntur, *quanto durerà l' uso moderno,* idest, quamdiu durabit dicere in rhythmo quo delectantur moderni. — *O frate.* Hic poeta inducit dictum Guidonem laudatum ab eo, ad commendandum quemdam spiritum modernum, quem præfert sibi et aliis in arte inveniendi. Ad cuius cognitionem volo te scire, quod iste magnus inventor fuit quidam provincialis tempore Raymundi Berengerii boni comitis provinciæ, nomine Arnaldus, cognomine vero Daniel, vir quidem curialis, prudens et sagax, qui invenit multa et pulcra dicta vulgaria; a quo Petrarcha fatebatur sponte se accepisse modum et stilum cantilenæ de quatuor rhythmis, et non a Dante. Hic, dum senuisset in paupertate, fecit cantilenam pulcerrimam, quam misit per nuntium suum ad regem Franciæ, Angliæ, et ad alios principes occidentis, rogans, ut quemadmodum ipse cum persona juverat eos delectatione, ita ipsi cum fortuna sua juvarent eum utilitate. Cum autem nuntius post hoc reportasset multam pecuniam, dixit Arnaldus: Nunc video, quod Deus non vult me derelinquere. Et continuo sumpto habitu monastico parcissimæ vitæ semper fuit. Ad literam ergo; dicit poeta: *disse,* ille Guido mihi: *questi,* qui est in societate mea ob simile vitium, *ch' io ti scerno,* idest, ostendo tibi, *col dito, fu miglior fabbro,* idest, artifex et magister, *del parlar materno,* idest, vulgari. Et nota, quod quamvis lingua provincialis non sit pulcra, tamen est

difficilis; et sententiæ istius bonæ erant, ita quod Dantes nunc poterat dicere de dictis Arnaldi illud, quod olim Virgilius fertur dixisse de scriptis Ennii, qui dixit: *Lego aurum in stercore Ennii.* Et facit parenthesim dicens: *et additò,* idest digito ostendit, *un spirto innanzi,* qui præcedebat eum. Et confirmat Guido quod dixit, dicens: ille Arnaldus, *soverchiò tutti,* idest, superavit et excessit, *versi d'amor,* nam versus vulgares principaliter inventi sunt propter materiam amoris, *e prose di romanzi,* idest, vulgarium; unde gallici omnia vulgaria appellant romantia; quod est adhuc signum idiomatis romani, quod imitari conati sunt.—*E lascia dir.* Hic Guido Guinicellus volens ostendere Arnaldum esse commendabiliorem cæteris, ex indignatione (1) irridet opinionem ignorantium præferentium quemdam alium gallicum ipsi Arnaldo; unde dicit: *E lascia dir gli stolti,* qui temere opinantur, *che quel di Lemosì credon ch' avanzi;* idest, quod quidam alius inventor Lemovicensis excedat Arnaldum in arte dicendi. Iste novus inventor vocatus est Giraldus Brunellus, qui fuit de patria Lemovitarum, de qua diebus nostris fuerunt plures pontifices, cardinales et prælati magni, ecclesiam Christi nimis lubrice tractantes (2). Et bene eis, si purgantur in isto igne: et ostendit, quid moverit vulgus ad talem opinionem, et dicit, quod nulla ratio, sed solum multorum affirmatio. Unde dicit: illi stulti ignorantes, *drizzan li volti,* idest oculos, quasi dicat: respexerunt, *a voce più ch' al vero,* idest famæ magis quam veritati. Ideo damnans tales, dicit: *e così ferman sua opinione,* et pertinaciter tenent et defendunt, *prima ch' arte o ragion per lor s' ascolti.* Et hic nota bene verissimam sententiam nostri poetæ, qui tam juste mordet vulgus insanum. Nam in omni professione

---

(1) 117, derisione. (2) S. e 117, et luxuriose tractantes.

videmus accidere, quod multi multa falsa et vana dicunt: et interrogati a peritis, si noverunt talem artem, vel si habent aliquam rationem, per quam tam certe affirment dictum suum, nesciunt aliud respondere, nisi: omnes sic dicunt; et sic judicium multitudinis imperitæ faciunt scutum suum. Et excluso uno inventore gallico, qui per famam, quæ est sæpe res falsissima, præferebatur Arnaldo, nunc excludit unum italicum, qui diu habuit famam ex opinione vulgi. Et vult dicere in effectu, quod sicut opinio provincialium fuit fallax in illo de Lemosì, ita opinio tuscorum in frate (¹) Guitone, donec veritas per peritiores fuit demonstrata. Unde dicit: *così fer molti antichi di Guittone.* Iste vocatus fuit frater Guitonus de Aretio: bonas sententias adinvenit, sed debilem stilum, sicut potest intelligi ex libro, quem fecit, ut vidi; unde dicit: *pur lui dando il pregio,* idest famam, magis quam vero, *di grido in grido,* per multum tempus, *fin che il vero,* quod est res fortissima, *l' ha vinto,* illum Arnaldum, *con più persone,* quia multi sapientes tamdem vicerunt errorem cum arte et ratione. — *Or se tu hai.* Nunc poeta ostendit servitium, quod ultimo petivit Guido ab eo. Et breviter dicit, quod Guido jam erat contentus de fama, quam dederat sibi poeta: rogavit, ut daret sibi brevem orationem, quia brevis oratio penetrat cœlum; unde dicit repetens gratiam eius Guido (²): *Or se tu hai sì ampio privilegio,* idest, tam excellentem et singularem gratiam, *che licito ti sia l' andar,* cum carne vivente, *al chiostro,* idest, ad templum cœlestis Jerusalem, *nel qual Cristo è abbate del collegio,* scilicet, triumphantis ecclesiæ; *fagli per me,* in illo claustro tam devoto, *un dir di paternostro,* idest, orationem dominicam, qua nulla est melior et perfectior, ut bene expositum est

(¹) E. in fratre Guittono. (²) E. ipse Guido.

Purgatorii capitulo XI. Et breviat hanc orationem de se brevem, dicens: *quanto bisogna a noi di questo mondo,* scilicet, purgatorio; quasi dicat, usque ad illam particulam, *et ne nos inducas in tentationem,* quia non possumus amplius tentari nec peccare; ideo dicit: *dove poter peccar non è più nostro;* et tamen supra in præallegato capitulo spiritus qui purgantur a superbia dicunt totam hanc orationem integraliter. Et concludit poeta recessum Guidonis per unam comparationem claram, dicens: *poi,* ille Guido, *disparve per lo fuoco,* quia retraxit se magis intra ignem ubi erat Arnaldus, cui dixit: vade ([1]) tunc, *come per l' acqua,* supple, disparet, *il pesce andando al fondo,* scilicet, tam faciliter et tam cito: et ecce quare, *forse per dar loco altrui,* scilicet, Arnaldo quem tantum laudaverat, *secondo che presso avea,* quia Arnaldus erat secundus post eum immediate. — *Io mi feci.* Nunc ultimo poeta inducit ultimum inventorem prædictum cui promittit famam; et ille petit preces. Dicit ergo: *Io mi feci un poco innanzi al mostrato,* scilicet Arnaldo, volens deferre sibi honorem, quia tantum fuerat mihi laudatus per Guidonem: *e dissi ch' al suo nome,* famoso, sive fama digno, *il mio desire,* idest, aviditas, *apparecchiava grazioso loco,* scilicet, scribendi aliquid de eo cum redissem ad mundum viventium. Et subdit gratam responsionem eius, dicens: *El cominciò,* scilicet, ille Arnaldus, *liberamente a dire,* in suo idiomate provinciali: *Tan m'abelhis,* idest, tantum placet mihi, *vostre cortes deman,* idest, vestra curialis petitio, quasi dicat latine: *Tanto m'abbellisce, la vostra cortese domanda; Qu'ieu no m puesc, ni m voill a vos cobrire;* idest, quod non possum nec volo vobis celare vel tegere me; et ideo dico: *Jeu suis Arnautz, che plor e vai chantan,* idest, ego sum Arnaldus, qui ploro

---

([1]) E. e 117, vade tu nunc.

et vado cantando, sicut et alii, qui purgantur: *Consiros vei,* idest, cogitando vado, *la passada folor,* idest præteritam stultitiam sive folliam: *E vei jauzens lo joi ch'esper denan,* idest, video gaudens diem, quem spero in antea, sicut si jam esset coram me. Et facit petitionem, dicens: *Ara us prec per aquella valor,* idest, vos precor et adiuro per illum valorem, idest virtutem: *Que ja vos guida al som de l'escalina,* idest, qui valor vos ducit ad summum scalæ purgatorii, in cujus fine sumus positi, et cito pervenietis ad cœlum; *Souvenha us atemprar ma dolor,* idest, veniat vobis in mentem et recordamini mei suo tempore, et doloris mei, rogando Deum pro me modicum, sicut petivit Guido ante me: quasi dicat breviter: Dicatis etiam unum alium *Pater noster* pro me, ut brevietur pœna istius ignis. Et concludit poeta et finit capitulum, dicens: *Poi s' ascose nel fuoco che gli affina,* sicut aurum affinatur in fornace. Et videtur quod poeta noster inseruit hic ista verba provincialia ad decorem latinitatis, et ut ostenderet se de omnibus aliquid scivisse.

CANTUS VIGESIMUS SEPTIMUS, *in quo tractat sicut transierunt per medium ignis ad signum cuiusdam vocis cantantis, et postea, cursa per eos tota scala et monte, illic aliquantulum dormitavit Dantes, et postea Virgilius dixit sicut cum eo non poterat plus venire, et ipsum suo arbitrio recommendavit.*

SÌ COME *quando i primi raggi vibra.* Postquam poeta noster a nono capitulo huius libri hucusque descripsit verum purgatorium distinctum in septem circulos, in quibus purgantur diversimode septem peccata capitalia; nunc a præsenti capitulo usque in finem describit postpurgatorium in quo ponit paradisum deliciarum, et figurat ecclesiam Dei militantem. Et præsens capitulum XXVII dividitur (1) in quatuor partes generales: in prima quarum poeta describit apparitionem unius angeli qui purgat ipsum ab ultimo vitio luxuriæ, et invitat ad transeundum ad hortum per ignem cum auxilio Virgilii. In secunda describit transitum suum ultra ignem, et suam bonam dispositionem ad sequentia, ibi: *Poi dentro al fuoco.* In tertia describit unum nobile somnium, ibi: *Poco potea.* In quarta et ultima ponit Virgilii exhortationem et eius recessum, ibi: *E già, per li splendori.* Ad primum dico quod poeta describit angelum, sed primo, ut procedat clarius ad novum tractatum, describit horam temporis per dispositionem solis. Et sententialiter non vult aliud dicere nisi quod in superiori hemisperio fiebat dies in oriente in signo arietis, et in inferiori fiebat nox in signo libræ; quod demonstrat per hoc, quod sol in ariete,

(1) S. potest dividi.

quando primo ascendit hemisperium nostrum in oriente, libra descendit in occidente, quia est signum sibi oppositum. Nunc ordina sic literam et expone, quæ a multis male construitur: *Il sol si stava,* idest, stabat sibi, *sì come,* supple, stat, *quando vibra,* idest, quatit, *i primi raggi,* in ipso ortu suo, *là dove il suo fattor,* idest, Christus verus sol, qui fecit ipsum solem sensibilem, *sparse il sangue,* quia passus est in Jerusalem. Per hoc dat intelligi hemisperium nostrum; *cadendo Ibero,* qui est fluvius realis Hispaniæ, per quem dat intelligi partem occidentalem, *sotto l' alta libra,* idest, sub signo libræ, quam vocat aliam quia aries est sicut una libra, in qua fit æquinoctium; *e l' onde,* scilicet, aquis, *riarse,* idest, entibus combustis, *di novo,* de mane, *in Gange,* qui est fluvius Indiæ maximus, per quem dat intelligi partem orientalem. Ideo dicit: *onde 'l giorno,* idest, dies tertia, *sen giva,* idest, declinabat ad occasum, *come l' angel di Dio lieto,* de ultima purgatione mea, *ci apparse.* — *Fuor.* Hic poeta ostendit quomodo angelus pronunciaverit eum absolutum a vinculo libidinis, quæ diu tenuerat eum constrictum, dicens: *Fuor della fiamma stava,* ille angelus, *in su la riva,* illius cornicis discoopertæ ab igne, ubi consederat ante eos, *e cantava: Beati mundo corde.* Et hic nota quod hæc vox convenientissime facit contra immunditiam luxuriæ; nam cum pudicitia sit virtus mentis, remanet etiam in corpore violato; ideo bene arguit Augustinus Lucretiam quæ in se punivit peccatum alienum; unde dicit: duo fuerunt, sed adulterium unus admisit (1). Ergo nunc beatus poterat dici poeta qui erat mundo corde. Et dicit quod angelus cantabat, *in voce assai più viva che la nostra;* quia non videbatur humana sed divina. Et subdit invitationem angeli ad transitum, dicens:

---

(1) 117, amisit.

Poscia sì disse, ille angelus, *come noi gli fummo presso,* quia continuo ibamus, ipse vero stabat: *più non si va,* idest, iri non potest, *o anime sante,* quia jam Dantes et Statius erant purgati omnibus vitiis, et tendebant ad cœlum; Virgilius vero qui erat pro scorta paulo post recedit [1], ut patebit; *se pria il fuoco non morde,* idest, assat parum vos, ideo, *entrate in esso;* et dicit: *e non siate sorde al cantar di là,* quasi dicat: confortemini, viri fortes, et habete patientiam in igne, quia ultra ignem audietis aliam vocem benignam [2] recipientem vos, quæ dicit [3]: *Venite benedicti* etc. Et ponit effectum poeta ex parte sui [4], dicens: *perch' io divenni tal quand' io l' intesi,* scilicet, quando audivi quod oportebat me vivum transire per ignem, *quale è colui che nella fossa è messo,* quasi dicat: factus sum ita territus quod videbar mortuus.— *In su.* Hic poeta ostendit, quomodo se habuerit circa istum ignem, dicens: *Io mi protesi in su le man commesse;* vult dicere, quod implicavit [5] manum cum manu, et connexuit digitos ad invicem, sicut solet homo facere in magna tristitia; *guardando il fuoco,* per quem ita currebant animæ præ dolore, et dicebam intra me: multo peius erit tibi, qui cum corpore vivis. Unde dicit: *E imaginando forte umani corpi già veduti accesi:* quasi dicat, quod tunc venit sibi in mentem quod aliquando viderat homines comburi in mundo isto, sicut forte sodomitas. Et hic nota breviter, lector, quod quidam volentes philosophari in rebus grossis dicunt hic, quod autor non loquitur de igne prædicto purgatorio, imo de igne elementari in spera sua; quod mihi videtur ridiculum, quia poeta ponit aerem supra istum ignem, quod non est possibile per naturam, imo, ut videbis in processu, poeta

---

(1) E. recedet.
(2) E. benigne.
(3) E. quæ dicet.
(4) 117, ex parte sua.
(5) 117, implicuit manum.

numquam nominabit [1] talem ignem, quia nihil facit ad suum propositum: talis enim ignis non lucet in spera sua et non urit. Debes ergo considerare quod poeta noster de necessitate habebat transire per ignem istum etiam si fuisset sanctissimus, sicut et omnes animæ exeuntes purgatorium; nam ut patuit per totum, omnes animæ purgantur in cornice, quæ circumdat montem, per quam poeta continuo venerat usque ad ultimum circulum luxuriosorum circumcinctum igne; ideo si volebat nunc exire et ascendere ad cacumen montis, non poterat evadere quin transiret per istum ignem. Fingit autem bene se tantum extimuisse, quia naturaliter incendium ignis est terribile valde, et ipse in speciali, quia fuerat aliquando incensus igne mulierum sentiebat remorsum conscientiæ. Ideo bene nunc post purgationem generalem omnium vitiorum fingit quod finaliter affinatur [2] in igne, qui est quædam præparatio et rectificatio ad ascendendum ad cœlum; unde postea lavabitur in flumine, ut habetur finali capitulo purgatorii, sicut et lotio quam fecit sibi Virgilius primo capitulo fuit quædam abstersio turpitudinis [3] infernalis, et cinctura junci fuit quædam præparatio ad purgatorium. — *Volsersi.* Hic poeta ostendit pulcerrimam persuasionem Virgilii contra timorem suum, dicens: *le buone scorte,* scilicet, Virgilius et Statius boni poetæ et oratores qui præcedebant me; *e Virgilio,* qui erat principalis pater et præceptor meus, *mi disse: figliuol mio, qui puote esser tormento, ma non morte.* Quasi dicat: iste ignis purgatorii urit, sed non consumit, et melius est uri quam mori. Et probat a minori quod debeat bene sperare, dicens: *Ricordati, ricordati...,* dicit bis ad maiorem expressionem, *e se io,* solus sine Statio, *ti guidai*

---

(1) 117, nominat. (2) E. afficiatur in igne, quæ est.
(3) E. turpitudinum infernalium, et.

salvo, ne suffocareris in illo profundo gurgite, *sovr' esso Gerion,* idest, super dorso Geryonis, quo nullum est terribilius monstrum, nullum potentius in inferno; * *che farò ora,* nunc in isto igne; *che son più presso a Dio?* quasi dicat longe melius, idest: si traxi te de inferno * (1), per omnia genera fraudium, quanto magis nunc te purgatum per omnia genera vitiorum eruam de igne purgatorii? Et confirmat dictum suum per experientiam, dicens: *credi per certo che, se stessi ben mille anni dentro all' alvo,* idest, ventrem, *di questa fiamma,* quam tantum perhorrescis, *non ti potrebbe far d' un capel calvo,* idest, privatum et diminutum; et est propria locutio: nam calvitium causatur a calore naturali, et hic loquitur de isto igne spirituali; et hoc est quia virtus eius non operatur in materiato, sed in substantia spirituali — *E se.* Hic Virgilius invitat poetam ad experientiam eius quod dixit, dicens: *E se tu forse credi ch' io t' inganni,* fingendo hoc ad exhortationem tui sicut aliquando feci, *fatti vêr lei,* scilicet, flammam, *e fatti far credenza,* sicut timentes venenum facere solent, sine præiudicio tuo, *colle tue mani al lembo de' tuoi panni,* qui sunt materiati; nam si ponis extremitatem guarnachiæ tuæ intra istum ignem non perdet pilum, ita nec corpus tuum. Et petit Virgilius: *pon giù omai, pon giù ogni temenza,* et cape bonam spem; *volgiti in qua,* jam Virgilius parabat intrare ignem, *e vieni oltre sicuro,* sed frustra suadebat; ideo dicit: *et io pur fermo,* durus in proposito propter timorem, *e contra conscienza;* quia bene credebat Virgilium dicere verum, sed pœna retrahebat eum. Et ultimo ostendit qualiter Virgilius tamquam bonus orator fecerit validissimum argumentum, quo expugnavit duritiem eius. Unde dicit: *Quand' ei mi vide star pur fermo e duro,* idest, inflexi-

---

(1) Le parole fra i due asterischi sono supplite dai Codici Strozziano e 117.

bilem ad omnia jam dicta, *turbato un poco,* more sapientis, *disse:* cum aliquali indignatione: *or vedi, figlio, tra Beatrice e te è questo muro,* quasi dicat, inter te et beatitudinem [1] est iste parvus murus igneus; quasi dicat: vide, bone fili, si pro brevissima pœna velis nunc perdere tot labores et sudores, quos tulisti per totum infernum et purgatorium. — *Come.* Hic poeta ostendit quomodo victus sit forti argumento Virgilii per unam jocundissimam comparationem. Ad cuius cognitionem est primo sciendum quod olim in magna Babylonia assyriorum fuit puella pulcerrima nomine Tysbe vicina Pyramo amoroso juveni contiguitate domus; qui ratione viciniæ habuerunt a teneris annis familiarem [2] et blandam conversationem ad invicem. Inter quos crescente ætate crevit flamma amoris incendens eorum præcordia; sed exigente ætate adulta Tysbe a parentibus cœpit teneri intra domum tanto maiori sub custodia, quanto formosior erat. Quod moleste ferentes uterque, amore magistro, invenerunt rimulam, in communi pariete in loco abscondito per quam mutua vota, suspiria et supplicia amoris hinc inde pandebant. Tandem prohibentibus illos lege copulari, excogitaverunt locum, ubi more amantium possent sine medio et animo et corpore coniuncti fieri idem. Itaque dato ordine ut de nocte clandestine egressi domum et urbem convenirent in nemore apud fontem vicinum sepulcro regis Nini, ubi alter præveniens alterum expectaret. Tysbe ardentior prima venit ad locum, et ibi solicite expectans visa leæna quæ veniebat ad aquam ad extinguendam sitim trepide fugiens delapso palliolo latuit post sepulcrum. Leæna pallium inventum ore et unguibus lacerans maculavit sanguine cervæ quam paulo ante voraverat. Et ecce Pyramus tardior devenit

---

[1] E. Beatricem. [2] E. familiaritatem.

in sylvam, et invento pallio cruentato credens Tysbem devoratam a fera, facta dolorosa et magna querela, quod amantissimæ virgini præbuisset causam mortis indignæ, infixit gladium pectori suo. Nec mora; Tysbe ne videretur delusisse amantem, aut cruciaret expectantem, redibat ad fontem, ubi palpitantem adhuc Pyramum sub lunæ lumine recognovit; et ruens (1) super jacentem amplexibus et lacrymis fugientem jam animam revocabat; sed videns mortem præsentem amplius vivere non substinuit. Unde amore et dolore vincente, extracto de vulnere ense suum vocans Pyramum, eodem se transfixit super eum. Quid plus? Pyramus ad nomen Tysbes jam fere clausos aperuit oculos, et sic pariter Pyramus et Tysbe relictis corporibus strictim conflatis simul descenderunt ad inferos, ubi nullos spiritus velocius volare, et affectuosius querelari crediderim. Nunc vide quantum exemplum duorum amantium habeat magnam convenientiam cum amore Dantis et Beatricis. Nam Pyramus et Tysbe de famosa Babylonia juvenes capti sunt amore mirabili ab ipsa pueritia usque ad mortem sine effectu; ita Dantes et Beatrix de florenti Florentia. Et si Tysbe amatum Pyramum mortuum voluit sequi per mortem, et Dantes e converso mortuam amatam voluit sequi post mortem, et felicius cum illa fieri beatus. Ad literam ergo dicit poeta: Ego Dantes, *Mi volsi al savio duca,* ad Virgilium qui nunc ostendebat se durum, *udendo il nome,* dulce Beatricis, *che nella mente sempre mi rampolla,* idest, repullulat, et revirescit, *la mia durezza fatta solla,* idest, molli, *così come Piramo,* nomen est conveniens: Pyramus enim, idest, ardens amore, *aperse il ciglio,* clausum, *in su la morte al nome di Tisbe;* et dicit: *e riguardolla allor che 'l gelso,* idest, arbor quæ

(1) E. irruens.

dicitur morus, *diventò vermiglio.* Et hic nota quod hæc fuit historia vera non fabula, cui tamen Ovidius addit poetice quod sanguis istorum decurrens ad radices mori vicinæ fecit poma illius rubea, quæ prius erant alba; per hoc dans figuraliter intelligi naturam amoris, qui primo apparet albus, idest purus, deinde efficitur rubeus per calorem et ruborem, et expandit flammam quæ celari non potest; ultimo efficitur niger, idest, amarus et obscurus, ita quod sub dulcedine istius pomi latet amaritudo venenosa quæ apparet in fine. Et concludit poeta, quod Virgilius prudenter subrisit, dicens: *ond' ei,* scilicet, Virgilius, *crollò la fronte,* ad modum indignantis, *e disse come!* idest, quomodo est istud? *volemci star di qua,* citra ignem; quasi dicat repræhensorie: debemus ne stare contenti in puris naturalibus moraliter investigando vitia et virtutes, et non transire ad supernaturalia quæ sunt ultra ignem latentia? ideo dicit: *indi sorrise,* factus lætus, *come si fa al fanciul ch' è vinto al pomo,* qui flectitur, ubi primo ostendebat se durum, et sequitur offerentem, quem primo fugiebat.

Poi dentro al fuoco. Ista est secunda pars huius capituli generalis, in qua poeta noster describit suum felicem transitum per ignem tantum formidatum. Et primo tangit ordinem, dicens: *Poi,* ille Virgilius videns me reductum, *si mise dentro al fuoco innanzi me,* ut redderet me securum, *pregando Stazio che venisse dietro,* ut Dantes esset medius, *che pria,* idest, qui Statius vadens primo cum Virgilio, *ci divise,* scilicet nos, scilicet Virgilium a me, qui sequebar primo utrumque. Et subdit quomodo statim sensit quod timuerat, dicens: *com' io fui dentro mi sarei gittato in un bugliente vetro per rinfrescarmi,* quasi dicat tacite, quod vitrum bulliens in fornace ardenti, quod est summe calidum, videretur frigidum, recens et refrigerans aquam respective; *tanto era ivi lo 'n-*

cendio senza metro, idest, mensura (¹). Et bene fingit hoc, quia tam fortis ignis exigitur ad purgationem tantæ turpitudinis. Sed contra tantum incendium continuo subdit remedium Virgilii, dicens: *lo dolce padre mio,* compatiens calori meo humano, *pur di Beatrice ragionando andava per confortarmi,* idest, ut essem fortis et patiens maxime cum magnus dolor non possit esse nimis longus, *dicendo: già veder parmi gli occhi suoi,* in quibus principaliter consistit pulcritudo istius dominæ. — *Guidavaci.* Hic poeta ad aliud refrigerium tanti incendii describit vocem alterius angeli vocantis et recipientis eos, læte dicens: *Guidavaci una voce,* scilicet, angelica, *che cantava di là,* ultra ignem, sicut promiserat angelus primus supra; *e noi, attenti pur a lei,* scilicet, voci, quæ videbatur non minus divina quam prima, *venimmo fuor,* extra flammam, *là ove si montava,* scilicet, ad unam viam cavatam, qua salitur mons. Et hic adverte quod poeta per totum purgatorium hucusque venit in circuitu montis, et nunc primo intrat corpus ipsius montis in cacumine eius. Et tangit ipsam vocem, dicens: *Venite, benedicti patris mei;* quod verbum dicet Dominus electis suis in die judicii, sive novissima, *sonò dentro a un lume,* scilicet, angelicum. Angelus enim luminosus erat ibi deputatus ad receptionem animarum purgatarum; *che lì era,* in ipso introitu; *tal che mi vinse,* quia nimietate splendoris, *e guardar nol potei.* Sicut enim per totum infernum reperiuntur angeli mali ministri justitiæ divinæ, ita per totum purgatorium sunt angeli boni ministri divinæ clementiæ. Et tangit aliam vocem istius angeli clarissimi, dicens: et ille angelus, *soggiunse,* admonens nos salubriter: *lo sol sen va,* scilicet, tertiæ diei, *e vien la sera,* idest, et fit nox, quasi dicat mora-

(¹) 117, sine mensura.

liter, vita brevis est, et mors propinquat; modicum restat de tempore concesso, ideo, *non v' arrestate,* more vani viatoris, *ma studiate il passo,* idest, sed maturate gressum, non facite moram in primo limine horti amœnissimi, *mentre che l' occidente non s' annera,* quasi dicat: antequam noctescat. — *Dritta.* Nunc poeta describit ipsam viam per quam pervenerunt (1) ad summum montis; unde volo te hic notare, quod poeta noster per montem figurat nobis subiectum virtutis, quia mons iste est altus ad cœlum, est rotundus, a principio asper, in summo amœnus; et omnes animæ salvandorum stant vel incedunt circa montem petentes ipsam virtutem diversis gradibus, sed numquam inveniunt ipsam, nisi ultimo transito isto igne. Ideo bene poeta nunc describit viam per quam intravit montem, dimissa cornice, per quam diu ambulaverat. Ideo dicit: *Dritta salía la via per entro il sasso;* talis est recte via virtutis, *verso tal parte,* scilicet, occidentem, *ch' io toglieva i raggi del sol ch' era già lasso,* in occasum (2), *dinanzi a me,* reverberantes in faciem meam. Et tangit ipsam declinationem solis, dicens; *e levammo i saggi di pochi scaglion,* quasi dicat, fecimus paucos passus per gradus illius scalæ rectæ, *che 'l sol,* scilicet, in tertia die, *sentimmo corcar,* idest, collocari; nam sol videtur quærere quietem quando recedit a nobis ad antipodes; *et io e li miei saggi,* idest, alii duo poetæ sagaces: hoc autem sensimus, *per l' ombra,* corporis mei, quæ erat tunc valde longa, *che si spense,* idest, extincta est et evanuit, *dietro,* scilicet, post me. Et ostendit quid fecerint cum non possent amplius ascendere adveniente nocte, quia elegerunt sibi locum ad quietem; unde dicit: *e ciascun di noi d' un grado fece letto,* in quo quiescerent per (3) noctem, *pria che 'n tutte le sue parti*

(1) S. e 117, venerunt ad summum.
(2) E. in occasu. (3) 117, per noctis tempus.

immense, idest, maximis, *orizzonte,* qui est circulus finitor visus, qui dividit hemisperium superius ab inferiori, de quo nunc loquitur poeta, *fosse fatto d' uno aspetto,* idest, coloris obscuri, *e notte avesse tutte sue dispense,* idest, dispensationes; quasi dicat, antequam esset nox plena ubique, quia post occasum solis adhuc remanet aliqua pars aeris aliqualiter luminosa, quasi dicat: durante adhuc lumine providimus nobis de loco accommodo ad pausandum in nocte. Et hic nota quod per hoc poeta dat intelligi, quod disposuit se ad meditationem nocturnam cum duobus poetis, altero magis naturali, altero magis morali, cum pararet describere materiam altam et subtilem, ut cito patebit. Et ecce quare locaverunt se: *chè,* idest, quia, *la natura del monte,* per quem non potest iri de nocte, *ci affranse,* idest, fregit et abstulit nobis, *la possa e 'l diletto del salir,* idest, potentiam et delectationem ascendendi ulterius pro tunc. — *Quali.* Nunc poeta describit dispositionem sui, et suorum ducum per unam comparationem subtilissimam (1). Ad cuius evidentiam est notandum quod poeta noster propriissime assimilat se capræ, et duces suos pastoribus. Sicut enim videmus de facto capra levitate corporis et acumine visus tendit ad alta cacumina montium, et rapit apices arborum et virgultorum, et quando est cibata pastor reducit eam ad umbram, ubi ipsa quiescendo ruminat; * ita a simili poeta noster nunc tendit ad alta montis et colligit floridas sententias, deinde ruminat * (2), et discutit illas sub cura et custodia suorum pastorum, scilicet, Virgilii et Statii, qui ducebant et dirigebant eum; et stetit per totam noctem tacitus sine verbis in loco et tempore solitario apto ad speculationem suæ novæ materiæ, quæ erit multo altior præcedenti. Nunc ordina literam et con-

(1) 117, pulcram et subtilissimam.
(2) Le parole fra i due asterischi sono supplite dagli altri tre Codici.

strue sic: *tutti tre allotta,* scilicet, Virgilius, Statius et ego Dantes, tunc, *eravamo tali,* redi supra, *quali le capre state rapide e proterve,* idest, rapaces et temerariæ, *sopra le cime,* quæ plus placent sibi, *avante che sian pranse,* idest, antequam sint cibatæ, quia tunc sunt multum avidæ et voraces, *si fanno manse,* idest, mansuetæ, *ruminando,* idest, revocando cibum a stomacho ad guttur; capræ, dico, *tacite all' ombra, mentre che 'l sol ferve,* scilicet, circa meridiem ardente sole, *guardate dal pastor che 'n su la verga poggiato s'è,* quasi dicat: qui quiescit quiescentibus illis; unde dicit: *e lor di posa serve;* quæ satis laboraverunt saliendo saxa; *e quale il mandrian,* idest, pastor, *che fuori alberga,* in campestribus, *pernotta,* idest, de nocte vigilat, *queto lungo 'l peculio,* idest, prope gregem suum, sic dictum a pecudibus cum quibus pastor sæpe habet aliquot capras, *guardando perchè fiera,* sicut lupus, *non lo sperga,* idest, dispergat. Deinde declarat aliquam partem comparationis, reddens singula singulis, ut facilius lector possit adaptare comparationem non bene claram. Unde dicit: *io come capra,* ita acutus et promptus volens transcendere cacumen montis et superexcellere præceptorem meum Virgilium et illius imitatorem Statium; *et ei,* scilicet, Virgilius et Statius, *come pastori,* tamquam duo magni pastores, idest, poetæ antiqui. Poetæ enim appellantur pastores, ut patet per ipsum Virgilium libro Bucolicorum. Et vult dicere uno verbo: dixi quod nos tres eramus sicut capræ et pastor; sed volo quod intelligas, quod comparatio caprarum respicit me, comparatio vero pastoris respicit ambos poetas; et dicit: *fasciati quinci e quindi dalla grotta,* quia via illa erat excisa intra montem, ita quod erat tuta ex utraque parte clausa, ita quod non poterant cadere sicut in cornice, quæ erat aperta ab una parte; ita quod tendens ad virtutem potest adhuc cadere si tendit versus

extremitatem, sed postquam pervenit ad locum felicitatis non potest amplius cadere.

Poco potea. Ista est tertia pars generalis capituli in qua poeta noster describit nobile somnium, quod fecit in tali loco et tempore; sed primo describit tempus quo obdormivit, ut sic ordinatius deveniat ad somnium. Et vult breviter dicere, quod facta erat nox, quia cœlum erat jam stellatum. Unde dicit: *Poco potea parer lì del di fuori;* quasi dicat, ex illa via recta poteram videre modicum de cœlo, sicut si aliquis esset in puteo et respiceret cœlum, non videret nisi parvam partem eius, *ma per quel poco vedev' io le stelle chiare e maggiori di lor solere.* Stellæ videbantur clariores sibi et maiores solito, quia erat vicinior cœlo et in loco puro a nubibus: distantia enim loci facit stellas videri minimas, quæ sunt in se maximæ. Unde subdit: *il sonno mi prese sì ruminando,* in mente mea, *e sì mirando in quelle,* scilicet, stellis, ad quas parabam (1) cito pervenire; *il sonno,* dico, *che sovente,* idest, sæpe, *sa le novelle anzi che 'l fatto sia;* quia poeta in isto somno fecit (2) somnium verum super re certa et præcogitata, cum deflorasset ex altis apicibus pulcriores ex quibus contexeret novam materiam. — *Nell' ora.* Nunc poeta describit ipsum somnium, in quo fingit se vidisse mulierem pulcram et pudicam cantantem. Ad intelligentiam autem istius nobilissimæ (3) fictionis, quæ communiter male exponitur, est primo sciendum, quod poeta describit hic occulte præclarissimam comitissam Mathildim; ideo pro exigentia rei aliqua compendiose dicam, exordiens ab ipsius ortu. Fuit ergo quidam nobilis princeps de partibus Tusciæ in comitatu lucensi ortus, studens sui nominis gloriam ampliare. Igitur longobardorum fines ingressus, multas civitates, ter-

---

(1) 117, sperabam. (2) E. facit. (3) 117, subtilissimæ.

ras et castella potenter acquisivit. Huius filius Atho castrum Canossæ inexpugnabile condidit in comitatu Regino, ubi postea Mathildis sæpe moram fecit, et multa ibi magnifice egit. Ex Athone natus est Thedaldus, virtutum paternarum imitator, cui papa concessit civitatem Ferrariæ. Ex Thedaldo autem natus est inclytus Bonifacius, cui pater reliquit thesaurum et dominium magnum. Hic Bonifacius claruit magnis virtutibus, vir strenuus, sapiens, in omnibus providus et liberalis; qui ex Beatrice uxore probissima genuit Mathildim, et mortuus anno Domini MLII, sepultus est Mantuæ. Post quem coniux eius egregia comitissa Beatrix vixit annis viginti quinque, et mortua jacet Pisis. Mathildis autem illustris comitissa succedens parentibus, omnium maiorum claritatem superans, in femineo sexu virtutes et mores viriles gerens, facta est famosissima multis in regnis apud multos principes, inter quos quidam illius nuptias petiverunt. Mathildis autem magnanima matrem ecclesiam semper indefesse defendit contra Henricum IV, qui impie vexavit papam, et schisma pessimum fecit, creato quodam antipapa Guiberto (1), quod duravit viginti quatuor annis; nec mors superveniens ipsum potuit a perfidia revocare. Propter quod Mathildis magnis fluctibus agitata animum semper tenuit inconcussum. Eo siquidem tempore Mantua nobilis et potens civitas facta sibi rebellis, se (2) dedit imperatori; et diu in contumacia stetit. Ferraria etiam defecit, sed cito (3) rediit. Et post multa gesta victrix comitissa tandem Mantuam post viginti quatuor annos magnis viribus reduxit ad obedientiam suam. Licet autem Mathildis rebus bellicis magnifice intenderet, magnis tamen obsequiis religionis et fidei pie vacabat, multa donans pauperibus; monasteria nobilia

(1) E. Giberto. (2) 117, se reddidit. (3) 117, cito ad fidem rediit.

fecit, quæ magnis ditavit opibus; refugium singulare romanæ ecclesiæ; unde et normannos potenter expulit, qui in præiudicium sanctissimæ romanæ ecclesiæ regnum Apuliæ invaserant, et vastabant Campaniam. Fertur autem comitissa habuisse virum genere germanum, quem a se sequestravit quia non poterat cognoscere eam, ut dicetur capitulo VI Paradisi; et nobili indignatione percussa, noluit ([1]) de cætero subiici viro. Alii tamen scribunt, quod ex viro genuit filium, sed propter dolores partus nunquam voluit postea viro admisceri. Fuit ista comitissa potens in principatu: habuit enim sub ditione sua Mantuam, Parmam, Regium, Mutinam, Ferrariam: fuit etiam literata, et magnam librorum habuit copiam: fuit corpore decora, facie hilaris, pecunia liberalis; linguam italicam, germanicam et gallicam bene novit. Tandem devote spiritum reddidit Deo suo anno gratiæ Christi MCXV, ætatis suæ sexagesimo nono, imperante Henrico V, sedente Paschali papa II, et sepulta est in nobili monasterio apud Paduam longe a Mantua decem milliariis, in sepulcro grandi ex alabastro. Reliquit autem sibi hæredem ecclesiam romanam, cum amplum patrimonium possideret. His breviter et succincte collectis, nunc considera, lector, si poeta noster elegantissime introducit istam Mathildim, quæ ducit ipsum per paradisum deliciarum, et ostendit ecclesiam Dei militantem, in cuius servitium et honorem tam magnifice militavit in vita; et in morte Petrum principem huius ecclesiæ fecit hæredem. Nunc est ad literam descendendum, quam ordina sic: *Mi parea veder in sogno donna,* quæ fuit imperiosa valde, *giovane,* quia etiam in senectute juveniliter exercuit corpus et animum; et quia fuit semper activa opera memoranda faciens tam temporaliter quam spiri-

---

([1]) 117, nunquam voluit de cætero.

tualiter; *e bella,* forma corporis et virtute animi, *andar per una landa,* idest, planitiem amœnam; talis est via virtutis in fine, *cogliendo fiori,* idest, opera florida. Et describit horam qua habuit istam veram visionem, scilicet, auroram diei; et vult dicere sententialiter, quod nunc erat illa hora quam primo descripsit in principio purgatorii, quia scilicet Venus quæ tunc erat orientalis apparebat splendidissima ante ortum solis. Unde dixit ibi: *Lo bel pianeto che ad amar conforta facea tutto rider l' oriente.* Dicit ergo: *credo nell' ora che Citerea,* idest, Venus, sic dicta ab insula ubi præcipue colebatur, *raggiò prima dell' oriente nel monte,* scilicet, purgatorii; *Citerea,* dico, *che di fuoco d' amor par sempre ardente,* quia Venus dicitur mater amoris, et præstat omnem delectationem. — *E cantando.* Hic poeta describit cantum huius ([1]) famosæ mulieris, quæ se magnifice manifestat a nomine et operibus suis; unde dicit: *E cantando dicea,* dicta domina, *sappia qualunque il mio nome dimanda, ch' io mi son Lia,* idest, vita activa. Unde adverte quod multi falluntur hic credentes quod poeta loquatur simpliciter de Lya; sed est modus loquendi, quasi dicat: sum velut altera Lya, sicut, gratia exempli, si una mulier solicita dicat de se ipsa: ego sum Martha; et si mulier peccatrix et pœnitens dicat: sum Magdalena; fuerunt enim duæ uxores Jacob, quarum prima fuit Lya, quæ figurat vitam activam: nam Lya fuit lippa oculis, quia vita activa sæpe videt minus recte quia impeditur cura temporalium; Rachel vero tota pulcra quia recte respicit divina: ideo poeta primo inducit Lyam sub nomine Mathildis in fine purgatorii, quia virtus moralis in operatione consistit; Rachel vero inducit in fine paradisi, ubi contemplatur Deum. Et tangit ista domina offi-

([1]) E. huius formosæ et famosæ.

cium suum, dicens: *e vo movendo intorno le belle mani;* hoc verum est historice, quia vere Mathildis exercuit manus suas in vita arma tractando, dona dando, et omnia opera magnifica faciendo, *a farmi una ghirlanda,* scilicet, famam et gloriam, quam sibi fecit primo in terra, deinde in cœlo. Et subdit præmium sui laboris, dicens: *e qui m' adorno,* istis floribus, *per piacermi allo specchio,* idest, Deo, in quo tamquam in speculo relucet omne creatum; quasi dicat: hic facio opera virtuosa ut possim pervenire ad creatorem contemplandum, quem tamen soror mea me felicior jam contemplatur. Unde dicit: *ma mia sora Rachele,* formosior, *mai non si smaga,* idest, disturbatur, *dal suo miraglio,* idest, speculo, *e siede tutto giorno,* idest, quiescit in speculatione, ubi ego ambulo et manus exerceo; unde declarans se dicit: *quella,* scilicet, Rachel, *è vaga di veder i suoi begli occhi,* quasi dicat: delectatur in speculatione et contemplatione Dei; unde concludit: *lo vedere,* idest, speculari, *appaga lei,* idest, quietat Rachelem sororem meam, *e l' oprar,* idest, agere, *appaga me,* scilicet, Lyam, quæ est Mathildis, ut patebit in processu.

E già per li splendori. Ista est quarta et ultima pars, in qua poeta noster ostendit qualiter Virgilius post (1) somnium bene confortaverit eum et recesserit ab eo dato sibi consilio salutari. Et primo quidem ostendit qualiter facta est dies, et ipse evigilavit a somno, dicens: *E già le tenebre,* scilicet noctis, *fuggian da tutti lati,* quasi dicat: ex omni parte fiebat dies, *e 'l sonno mio,* scilicet, fugiebat, *con esse,* scilicet, tenebris, *per li splendori antelucani,* scilicet, auroræ, quæ lucet ante diem. Et dicit: *e che,* idest, qui splendores, *surgon tanto più grati ai peregrini,* in aliena terra, *quanto albergan men lontani tor-*

(1) E. post huius somnium confortaverit.

nando, scilicet, in patriam; quando enim peregrinantes revertuntur domum et appropinquant patriæ, vident libentius lucem diei proximam. Et sic poeta facit comparationem tacite de se ad peregrinum: ipse enim velut peregrinus revertens in patriam suam, quæ cœlum est, jam appropinquans illi læte videbat diem fieri, ut terminaret cito desiderium et gaudium suum. Ideo dicit: *ond' io levàmi,* a somno, *veggendo i gran maestri,* Virgilium et Statium, *già levati,* volentes animare autorem ad prosequendum. — *Quel.* Hic poeta ostendit quomodo Virgilius accendit desiderium suum proponens sibi præmium expectatum et tanto labore quæsitum, dicens: *Virgilio usò inverso me queste cotali parole,* scilicet, *quel dolce pomo,* idest, summum bonum, *che per tanti rami,* multiplicium studiorum, ut dicit Boetius, *cercando va la cura de' mortali,* ut immortales fiant, *porrà in pace le tue fami,* idest, ponet in quiete desideria tua, *oggi,* quia hodie videbis Beatricem tuam et totam curiam militantem, sed cras ascendes in cœlum. Et subdit effectum verborum Virgilii, quia repletus gaudio factus est animosior et audactior. Unde dicit: *e mai non furon strenne,* idest, munera, quæ *mantiæ* (1) appellantur; unde olim romani imperatores dabant strennas militibus, ut sæpe patet apud Svetonium. Ideo bene poetæ nostro qui tam strenue militaverat debebatur (2) strenna; *che fossero equali di piacere a queste,* scilicet, strennis, quas nunc Virgilius promittebat. Unde dicit: *tanto voler mi venne sopra voler,* idest, ultra primum velle magnum quod habebam, *dell' esser su, ch' ad ogni passo poi mi sentia crescer le penne,* scilicet, spem et gaudium, *al volo,* idest, ad velocem ascensum. — *Come.* Nunc poeta ponit qualiter Virgilius recessurus ab eo, informaverit eum, et dixerit

---

(1) E. *manciæ.* (2) E. dabatur.

vale; unde dicit: *Virgilio ficcò in me gli occhi suoi,* idest, firmavit rationem et intellectum naturalem in me, ut essem bene præparatus et dispositus ad videnda quæ ipse videre non poterat, *come la scala,* idest, illa via cavata in monte facta ad gradus, *fu corsa tutta sotto noi, e fummo in sul grado superno.* Unde adverte quod hic est supremus gradus terræ et primus ingressus in paradisum deliciarum; ideo Virgilius non potest amplius ascendere. Et subdit orationem eius ad se, dicens: *e disse,* more paterno: *o figlio, hai veduto,* me monstrante, *il temporal fuoco,* scilicet purgatorii, *e l'eterno,* scilicet, inferni; quasi dicat: tu vidisti infernum et purgatorium totum, *e se' venuto in parte dov' io per me più oltre non discerno,* quia quæ restant videnda requirunt oculos puriores, et oculi lyncei hebetarentur [1] in eis: sufficit tibi quod feci totum posse meum. Unde dicit: *tratto t' ho qui,* usque ad limen paradisi, *con ingegno e con arte,* scilicet, rationibus et persuasionibus, quæ possunt haberi per artem acquisitam ingenio humano; ergo, *omai prendi per duce lo tuo piacere,* idest, voluntatem, quæ est in potentia intellectus; nam appetitus sensitivus est rectificatus cum ratione in te, et potes amodo ambulare sine labore, sine suspicione; unde dicit: *fuor sei dell' erte vie, fuor sei dell' arte;* quasi dicat: transisti per omnes vias difficiles, altas et angustas, per infernum et purgatorium; habuisti jam cognitionem vitiorum in primo regno mortuorum, et purgationem eorum in secundo; sine me intrabis tertium. — *Mentre.* Hic Virgilius recessurus a poeta ne desperet si remanet sine duce, probat quod non possit errare: unde dicit: *Vedi il sole,* scilicet, quartæ diei, *che 'n fronte ti riluce,* idest, qui jam oritur; et allegorice vult dicere: radius [2] ducet te, et terra non est sylve-

---

(1) E. hebetantur. (2) 117, radius dominicæ gratiæ ducet te.

stris vel sterilis, imo amœna et fertilis. Unde dicit: *vedi l'erbetta, i fiori e gli arboscelli;* et debes imaginari quod Virgilius ostendebat terram digito, *che quella terra,* idest, paradisus terrestris, *sol da se produce,* sine cultura hominis; ideo, *seder ti puoi,* in herba, et sedendo expectare, *mentre che vegnan lieti gli occhi belli,* scilicet, Beatricis, pro quibus videndis ausus es intrare ignem, quem tantum tremebas, *che lagrimando a te venir mi fenno,* quia Beatrix movit cum lacrymis Virgilium ad succurrendum Danti, ut plene patuit II capitulo Inferni, et dicit: *e puoi,* idest, et post adventum Beatricis potes, *andar tra elli,* inter flores et arbores. Et concludit: *non aspettar più mio dir nè mio cenno,* quia non est opus, quia, *tuo libero arbitrio è dritto,* rectificatum amodo, *e sano, e fora fallo,* idest, foret fallum, et nimis magnus error, *non fare a suo senno,* idest, ad voluntatem arbitrii sani. Et reliquit eum in manibus consilii sui, dicens: *perch' io te sopra te corono e mitrio,* quasi dicat: facio te super te regem et dominum.

CANTUS VIGESIMUS OCTAVUS, *in quo tractat sicut absque Virgilio intravit sylvam, ubi vidit ultra flumen Lethe quamdam dominam tenentem flores, quæ dixit multa de crimine Adæ primi patris, et de modo illius fluminis, et de toto modo paradisi terrestris.*

Vago già di cercar dentro e dintorno. Postquam in præcedenti capitulo poeta noster tractavit et determinavit qualiter pervenerint [1] ad apicem montis ubi ponit paradisum deliciarum, nunc consequenter in isto capitulo XXVIII describit ipsum paradisum. Et præsens capitulum potest [2] dividi in quatuor partes principales. In prima quarum describit ipsum locum quantum ad viredinem herbarum et arborum, et ventum et aves et aquam. In secunda describit unam illustrem dominam quam reperit, ibi: *Co' piè ristetti.* In tertia movet quæstionem illi dominæ de aqua et vento, quæ primo respondet sibi de vento faciente sylvam sonare, ibi: *L'acqua diss' io.* In quarta et ultima dicta domina respondet de aqua irrigante ibi terram, et addit magnam nobilitatem huius loci, ibi: *L'acqua che vedi.* Ad primum veniens dico quod poeta noster describit hortum [3] deliciarum multipliciter; sed antequam veniam ad literam, volo primo te notare, quod totum istud capitulum est figurale et allegoricum, aliter pro magna parte esset vanum aut falsum. Per istum ergo hortum tam floridum, tam amœnum poeta proponit nobis figuraliter statum felicem hominis positi in perfectione virtutis, quantum possibile est in hac vita miseriæ: ideo bene ponit ipsum in loco

(1) E. pervenerit.
(2) S. dividitur in quatuor.
(3) 117, paradisum deliciarum.

altissimo omnium, propinquo cœlo, remoto omnibus alterationibus, sine omni molestia, cum omni delectatione. Dicit ergo continuans se: *Vago già,* idest, ego jam avidus ex Virgilii verbis, *di cercar la divina foresta,* idest, paradisum deliciarum, ubi Deus posuit primum hominem perfectum, qui est locus remotus a terra habitabili sub æquinoctiali, ut aliqui volunt, quibus poeta consentit, licet alii (1) ponant ipsum in parte orientali; sed ubicumque sit, sive loquamur historice, sive allegorice, locus est solitarius ad quem pauci perveniunt; *spessa,* propter frequentiam arborum virentium, *e viva,* quia numquam aret; et (2) dicit, *dentro,* idest, in locis mediterraneis, *e dintorno,* scilicet, in ripis, *che agli occhi temperava,* idest, temperate respiciebam, *il nuovo giorno,* idest, diem quartum, qui de novo oriebatur. Et subdit suum ingressum in istud viridarium, dicens: *lasciai la riva,* scilicet, extremam ubi eram, *senza più aspettar,* quasi dicat: non potui expectare adventum Beatricis, sedendo, sicut Virgilius prædixerat mihi, *prendendo la campagna,* ubi primo venerat per scalam rectam, *lento lento;* hoc dicit quia cum quodam timore et reverentia intrabat locum sacrum ignotum; vel lente incedebat ut plus delectaretur; vel in hoc innuit difficultatem novæ et altæ materiæ quam intrabat, *su per lo suol,* idest, terrenum herbosum, *che d' ogni parte oliva,* idest, redolebat; quia locus est consitus omni genere arborum, idest virtutum, ex quibus resultat magnus odor. — *Un' aura.* Hic poeta describit ventum lenem (3) qui spirat ibi, dicens: *Un' aura dolce, senza avere in sè mutamento,* idest, et immutabilis, quod contingit propter motum illius superioris aeris uniformem, ut dicetur postea, *mi feria per la fronte,* quia motus aeris ab oriente hoc faciebat, *non di più colpo,*

(1) E. aliqui ponant. (2) E. et ideo dicit. (3) E. levem.

idest, non maioris impetus, *che soave vento,* qualis est zephyrus noster, qui suaviter adducit nobis flores et frondes tempore veris. Et hoc manifestat per signum, dicens: *per cui le fronde,* illius sylvæ, *tremolando pronte, tutte quante piegavano,* quia sequebantur motum speræ, *alla parte,* scilicet, versus occidentem, *u' il santo monte,* scilicet, purgatorii, *gitta la prima ombra,* scilicet, in mane. Et hic nota quod poeta per hoc moraliter dat intelligi, quod in tali statu virtutis, licet spiret ventus aliquis, idest aliqua levis perturbatio quæ parum flectit, non tamen frangit vel prosternit arbores, nec impedit viros virtuosos a suo placido officio et exercitio. Ideo bene subdit frondes dico, *non però sparte,* idest, dispartitæ, *dal lor esser dritto,* quia arbor naturaliter tendit recte versus cœlum, *tanto, che gli augelletti per le cime lasciasser d'operar ogni lor arte,* idest, garritum et cantum. Et hic nota quod per aves recte (¹) dat intelligi viros sapientes et virtuosos, qui volant per apices virtutum, et cantant laudes Deo cum lætitia. — *Ma.* Hic poeta describit cantum illarum avium; et dicit breviter, quod aves cantabant secundum motum illius venti qui percutiebat frondes arborum et resonantiam faciebat, sicut ventus orientalis facit (²) in pineta apud Ravennam. Et est propriissima comparatio: sylva enim Ravennæ habet in se pinus arbores odoriferas sicut ista; quæ pinus producunt fructus fortissimos protectos multiplici cortice non timentes vim, vel tempestatem sicut et virtutes: et sicut ventus veniens ab oriente spirat in illa sylva, ita in ista. Dicit ergo: *Ma cantando,* illæ aves, *l' ore prime,* scilicet, diei tunc surgentis, quando viri religiosi cantant Primam, *riceveano,* illum ventum, *intra le foglie che tenean bordone,* idest, firmum, *alle sue rime,* idest, cantui, *bordone,* dico,

(¹) E. certe dat. (²) E. facit impetum in pineta.

tal qual si raccoglie di ramo in ramo, arborum excelsarum, *per la pineta,* quæ est sylva magna plena pinis, in qua poeta noster sæpe notaverat istam resonantiam venti, cum deambularet solitarius speculando per litus maris adriaci; unde dicit: *in sul lito di Chiassi.* Ad quod est sciendum quod Classis fuit terra extra Ravennam in litore maris; apud quam Justinianus imperator dicitur fecisse ecclesiam sancti Apollinaris. Leoprandus autem rex longobardorum (1) cum obsedisset Ravennam invasit Classem oppidum, atque destruxit. Ibi fuit olim portus Ravennæ, ubi Augustus tenuit (2) magnam classem ad defensionem maris adriaci; alteram tenuit apud Neapolim ad defensionem maris tyrrheni. Et hoc accidit, *quando Eolo,* rex (3) ventorum, *discioglie fuor scirocco,* idest, emittit Eurum ventum. Et (4) est notandum, quod poetæ fingunt quod Eolus habet ventos in potestate sua, quos in spelunca tenet inclusos * et illos emittit et revocat ad arbitrium suum; unde Homerus in Odyssea fingit quod Eolus dedit ventos inclusos* (5) in utribus Ulyxi; et Virgilius, qui multum imitatur Homerum, fingit primo Eneidos quod Eolus relaxavit ventos ex carcere ad excitandam tempestatem contra Eneam. Veritas autem est, quod Eolus fuit rex insularum, quæ sunt in mari siculo, quarum una, ut scribit Plinius in naturali historia, vocata est Liparis a Liparo rege qui successit Eolo. Inter hanc et Siciliam est insula Vulcani, quæ nocturnas emittit flammas. Tertia Strongilia distans a Lipara per milliare inclinans ad ortum solis, in qua regnavit Eolus quæ differt a Lipara solum in clariore flamma, cuius fumo incolæ (6) dicuntur prænoscere qui

(1) E. lombardorum cum obsedisset Veronam invasit.
(2) E. tenuit olim magnam. (3) 117, deus ventorum.
(4) 117, Et hic est bene notandum.
(5) Le parole incluse fra i due asterischi sono supplite dai Codici 117 e Estense.
(6) E. incolæ ibidem dicuntur cognoscere et præcognoscere qui venti.

venti sint flaturi per triduum: unde dictum est ventos paruisse Eolo. Aliæ quatuor sunt minoris famæ, de quibus etiam loquitur Martianus Capella. Justinus vero dicit, quod Eolus extinctis Cyclopibus regnum Siciliæ occupavit etc.—*Già.* Hic poeta describit aquam irrigantem istum amœnissum hortum. Et primo continuans se, dicit, quod cum esset satis elongatus a ripa reperit fluvium interrumpentem suum iter rectum. Unde dicit: *I lenti passi,* quasi dicat: licet incederem lente, *già m' avean trasportato,* idest, transportaverant me cum magna delectatione, quod non perpenderam, *dentro alla selva antica,* qua nulla est antiquior, quia ibi positi fuerunt primi parentes, *tanto, ch' io non potea riveder ond' io m' entrassi,* quando a principio recessi a ripa: *ed ecco un rio,* profundus et arctus (1) latitudinis trium passuum, ut postea dicetur. Hic autem erat fluvius Lethæus qui irrigat (2) istum hortum ex una parte; nam ex alia est fluvius oppositus isti, qui irrigat aliam partem; *mi tolse l' andar più,* idest, procedere ulterius per iter incœptum; ideo domina, quam inveniet statim, ducet eum per ripam fluminis donec merget eum in aquam, et transportabit eum ultra. Et subdit excellentem pulcritudinem istius aquæ per comparationem claram, dicens: *tutte l' acque che son di qua,* in (3) nostro mundo, *più monde,* sicut, aqua Ticini apud Papiam, et aqua Benaci apud Veronam, *parrieno avere in se mistura alcuna,* idest, turbulentiam, *verso di quella,* idest, in comparatione ad aquam lethæam. Et bene dicit poeta quod sit tam sincera et limpida, quia aqua mundana non lavat nisi sordes corporum, ista vero sordes animarum, *che nulla nasconde,* quia parva festuca posset videri in fundo eius, et tamen hoc videtur mirabile cum sit tota cooperta; unde dicit:

(1) E. altus. (2) E. irrigabat. (3) 117, idest in nostro mundo.

avvegna che si muova bruna bruna sotto l' ombra perpetua; vult dicere quod tanta est ibi densitas arborum, quod ex connexione ramorum radii solis vel lunæ penetrare non possunt; unde dicit: *che mai raggiar non lascia sole ivi, nè luna,* et per consequens nec die nec nocte potest esse ibi lux (¹) maxima, nec ibi est calor vel frigus, sed continua temperies: ista enim aqua inducit oblivionem peccatorum.

Coi piè. Ista est secunda pars in qua poeta noster describit mirabilem dominam quam reperit ibi cantantem et flores colligentem. Et ad intelligendam plene istam nobilem partem, volo primo te notare quod autor nunc ostendit se videre de facto illam dominam, quam superius finxerat se vidisse in somno in eodem habitu et actu. Hæc est ergo comitissa Mathildis, quæ devota filia Petri pro matre ecclesia semper de hostibus triumphavit. Ista ergo propter excellentiam suæ virtutis inducitur hic, ut doceat et ostendat animas purgatas ascensuras ad cœlum, oportere transire per ecclesiam Dei militantem mediante balneatione duarum aquarum quæ hic inveniuntur; sic Cato (²) ponitur in introitu purgatorii ad præparandum animas ad ascensum montis per lotionem faciei. Ad literam ergo dicit poeta: *Coi piè ristetti,* idest, firmavi me in ripa fluminis, *e passai con gli occhi di là dal fiumicello,* scilicet, Lethæum, quem jam vocavit rivum, *per mirare,* cum visu, *la gran variazion di freschi mai,* idest, virentium ramorum, qui erant diversi in colore, odore, et sapore fructuum: et talis locus bene convenit locato; unde dicit: *e lì m' apparve una donna soletta,* idest, solitaria; et vere ista domina non habuit sociam in Italia jam tempore multo; imo nec virum sibi similem in virtute, *che si gìa cantando;* quid

(¹) 117, lux magna. (²) E. sicut Cato.

cantaret audisti in capitulo præcedenti, quia delectatur in bene operando, *e scegliendo fior da fiore,* idest, secernendo florentiora opera virtutis ad faciendum suum sertum, ut dicebat supra in somnio nostri poetæ; *onde,* idest, ex quibus floribus, *tutta la sua via era pinta,* idest ([1]), eius vita erat ornata. Et declarat dictum per simile, dicens: *siccome egli appare,* interdum, *subitamente cosa,* mirabilis, *che disvia per meraviglia tutt' altro pensare;* quasi dicat tacite: nunc accidit mihi sicut peregrino transeunti per solitudinem virentem, cui miranti amœnitatem florum et arborum ex insperato apparet pulcerrima virgo, quæ statim retrahit visum ad illum dimissa inspectione sylvæ. — *Deh.* Nunc poeta ponit suam orationem ad istam egregiam dominam. Et primo quidem facit exordium cum petitione, dicens: *Diss' io a lei:* illi dominæ, *deh,* dictio deprecativa est, quasi dicat: rogo te, *bella donna,* sic commendat eam a pulcritudine quam maxime affectant mulieres, *ch' ai raggi d' amor ti scaldi,* quasi dicat, quæ videris amorata; ideo deberes esse placida, *s' i' vo' credere ai sembianti,* idest, signis exterioribus, *che soglion esser testimon del cuore,* maxime in ([2]) facto amoris, quia amor celari non potest, *vegnati in voglia di traerti avanti,* quia ego ulterius venire non possum, *verso questa riviera,* idest, rivum, *tanto,* idest, tam prope; erat enim ipsa domina satis a longe, *ch' io possa intender che tu canti,* quasi dicat: ut sentiam delectationem tuam. Et hic nota quod poeta merito tantum affectat appropinquare ad istam dominam, quia facta purgatione vitiorum optabat accedere ad operationem virtutis, quæ repræsentatur in ista domina. Nota etiam, lector, quam pulcros rhythmos poeta noster fabricavit in tam pulcra materia: ex quo apparet verum

([1]) 117, idest, omnis eius vita. ([2]) E. in fine amoris.

esse illud quod festive dixit quidam in commendationem eius: dicebat enim quod quando Dantes primo parabat se ad condendum tam nobile poema, omnes rhythmi mundi presentarunt se conspectui eius tamquam pulcerrimæ domicellæ suppliciter rogantes singulæ, ut dignaretur admittere illas libenter in opere tanto. At ille cœpit vocare nunc istam, nunc illam, et unamquamque in ordine secundum exigentiam materiæ collocare; tandem, libro ad felix complementum perducto, nulla remanserat (1) extra: sub hoc curiali dicto volens ostendere, quod videtur impossibile extorquere (2) rhythmum Danti.— *Tu.* Nunc poeta confirmat dictum suum extollens excellentiam istius dominæ, quam assimilat Deæ habenti multas et magnas virtutes in opere suo. Et ad intelligentiam istius comparationis fortis est primo sciendum, quod Ceres, ut aliqui scripserunt, fuit vetustissima siculorum regina, quæ mirabili ingenio prima excogitavit culturam terræ cum bobus domitis et aratro; quæ ob tam singulare munus credita est immortalis, et divinis honoribus sublimata. Hæc autem Ceres dicitur habuisse unicam filiam Proserpinam, quam a Plutone raptam mater diu quæsivit accensis facibus; et post longos labores illam repertam recuperavit cum pacto quod sex mensibus esset apud superos, et totidem apud inferos: invenit autem ipsam in Sicilia juxta montem Ætnam. Hanc rem Ovidius verborum prodigus multum late describit in Maiori; et Claudianus placidus poeta de hoc facit tractatum in suo Minori, quem non complevit (3). Huius fictionis duplex allegoria invenitur: una, quam subtiliter investigat Macrobius. Scribit enim Cererem non esse aliud quam terram; unde sic dicta est quasi *creans res:* per Proserpinam vero voluit significari lunam, quæ dicitur sic,

(1) E. remansit. (2) 117, posse extorquere. (3) 117, perfecit.

quasi *prope serpens,* quia propinquius terræ movetur, quam cæteri planetæ: per Plutonem vero terram, sive corpus terræ. Quod vero Proserpina dicitur filia terræ non est aliud nisi quod luna plus continet in se de natura terræ, et plus accedit naturæ eius quam cæteri planetæ, quia est obscurior (1) et gravior; unde potest dici fex planetarum, sicut terra fex elementorum. Hanc autem rapit Pluto, dum interpositione tumoris terræ luna nobis absconditur; et eam autem quærit Ceres cum facibus, quia, scilicet, in nimio æstatis fervore terra maxime repetit humorem lunæ, quo fervor ille temperari possit, et unde etiam fructus sui recipiat augmentum; et hoc in nocte, quia (2) tunc scilicet humor plus abundat in aere ex vicinitate ipsius lunæ; in die enim nihil administrat humoris subditis, vel si aliquid calore solis exsiccatur. Quod autem sol manifestavit eam Cereri significat quod non habet apparere nisi per splendorem quem recipit a sole: quod autem dicitur per dimidium anni morari cum Plutone, et per dimidium apud superos, nihil aliud est nisi quod luna per sex menses est in inferiori hemisperio et non videtur a nobis; per totidem vero in superiori, et nobis apparet. Alii vero per Proserpinam volunt intelligi annonam, quæ ad tempus latet, ad tempus apparet, et quæritur cum facibus, quia non nisi in magno calore habetur, et invenitur in Sicilia fertilissima frugum apud ignem et aquam, idest, calorem et humorem; sed prior allegoria videtur melior. Nunc ad literam dicit poeta ad Mathildim: *Tu mi fai rimembrar,* idest, recordari, *dove,* quia apud lacum Pergusæ in Sicilia, *e qual era Proserpina,* in (3) ætate, in forma et actu, *nel tempo,* scilicet, veris, *che la madre,* dicta Ceres, *perdette lei,* raptam a Plutone, *et ella,* Proserpina per-

(1) 117, obtusior et gravior.
(2) E. quia humor tunc plus.
(3) E. scilicet in ætate.

didit, *primavera,* quia intravit locum tenebrarum. Et sic nota quantum comparatio est propria: nam Proserpina pulcerrima inventa est in prato florido, colligens diversa genera florum, juxta montem qui ex summitate emittit ignem apud lacum lucidissimum; ita Mathildis talis per omnia inventa est in monte purgatorii propinqua igni et rivo purissimo, colligens flores etc. Ut ergo concludam uno verbo, poeta vult dicere: tu videris mihi una Dea pulcra, honesta, qualis est Diana dea castitatis, quæ est quædam regina mundi. — *Come.* Hic poeta ostendit qualiter Mathildis persuasa oratione eius exaudivit eum per comparationem pulcram et claram. Unde dicit: *Volsesi,* illa domina, *verso me,* ubi primo respiciebat suos flores, *su i fioretti vermigli e su i gialli,* qui sunt ibi diversorum colorum, *non altrimenti,* imo similiter, *che vergine che gli occhi onesti avvalli,* idest, inclinet ad terram, quia erat pulcra et pudica, licet esset inamorata; a simili, *come donna che balli,* juvenis pulcra sicut ista, *si volge con le piante strette a terra,* et intra se apte et habiliter, *e piede innanzi a piede a pena mette;* quia vix videtur tangere terram. Et fecit [1] sicut domina magnanima quæ delectatur audire et videre viros valentes et sapientes licet non sint pulcri; unde dicit: *e fece i preghi miei esser contenti, sì appressando sè,* idest, in tantum, *che 'l dolce suono,* sui cantus, *venia a me co' suoi intendimenti;* hoc est, quod poteram intelligere ipsum propter propinquitatem. — *Tosto.* Hic poeta ostendit maiorem gratiam istius liberalis dominæ, quia non contenta venisse de prope dignata est levare oculos suos plenos amoris, et tunc visa est sibi pulcrior Venere; unde dicit: et illa domina, *mi fece dono,* idest, gratiam, *di levar gli occhi suoi,* quibus plus placeret mihi, *tosto che fu,* idest,

---

[1] E. Et facit sicut.

statim cum fuit in ripa, *là dove l' erbe sono bagnate già dall' onde del bel fiume,* scilicet, Lethæi. Et superexaltat pulcritudinem istius dominæ multiplicans comparationes pulcras. Et ad declarationem istius comparationis est sciendum, quod Ovidius fingit in X Maioris, quod cum Cupido filius Veneris oscularetur matrem sagipta una exiliens de pharetra percussit eam in pectore; ex quo Venus accensa amore, viso Adone formosissimo juvene filio Myrrhæ ardenter adamavit illum, quem finaliter laniatum ab apro Venus convertit in florem. Modo ad propositum, ut videas quantum comparatio sit decens, poeta vult dicere quod sicut Venus, quæ dicitur mater amoris, est de se semper pulcra et amans, tamen percussa sagipta filii visa est fieri pulcrior et amantior; ita nunc domina ista capta amore poetæ qui placuit sibi non minus quam Adonis Veneri, quia magno labore per sylvam tendebat ad acquisitionem virtutis, visa est sibi fieri pulcrior et amantior, quam esset primo. Dicit ergo poeta: *Non credo che tanto lume,* idest, tanta claritas, *splendesse sotto le ciglie,* scilicet, in oculis, *a Venere trafitta,* cum sagipta aurea, *dal figlio,* scilicet, Cupidine, *fuor di tutto suo costume;* quia ultra solitum transfixit cor eius plusquam soleat alios vulnerare. Et bene dicit quia multo luminosior est amor virtutis honestæ quam venereæ voluptatis, quantumcumque femina pulcerrima videatur. Et subdit actum dictæ dominæ, dicens: *ella,* scilicet, Mathildis, *ridea,* quia delectatur [1] in opere virtutis, *dall' altra riva dritta,* ex opposito mei, ut possem recte videre studium eius, *traendo più colori,* idest, flores diversorum colorum, *con le sue mani, che,* idest, quos flores, *l' alta terra,* qua nulla est altior, *senza seme gitta,* idest, producit. — *Tre.* Hic poeta ostendit immensam aviditatem

---

[1] E. delectabatur.

suam transeundi ad istam dominam gratiosam per pulcerrimam comparationem: et dicit breviter quod arctus rivus aquæ impediens ipsum ire ad istam amorosam dominam, ita factus est sibi nunc odiosus sicut olim angustus ramus maris factus est odiosus Leandro, prohibens sibi accessum ad amatam suam. Ad quod est sciendum quod Hellespontus est quoddam brachium maris angustum per tria vel duo milliaria, quod hodie appellatur brachium sancti Georgii ab una ecclesia eius non longe a Constantinopoli, dividens Asiam ab Europa; in cuius uno litore (1), scilicet ex parte Asiæ, est civitas vocata Abydos; in altero vero ex parte Europæ est civitas dicta Sestos. De civitate autem Abydena fuit juvenis nomine Leander, qui nimis inconsulte adamavit puellam nomine Hero habitantem in Sesto, ad quam sæpe solebat tempore noctis transire natando: tandem semel sæviente tempestate submersus eiectus est ad litus, quo viso infelix Hero mortua est præ dolore. Est ulterius sciendum, quod poeta ad decorem sui tractatus inserit (2) aliud factum magis memorabile, ibi; nam Xerses potentissimus rex persarum, cum exercitu innumerabili et infinita classe transivit in Græciam, facto ponte ex navibus; sed in brevi victus (3) et fugiens trepide retransivit Hellespontum cum navicula piscatoria. Nunc ad literam, dicit poeta: *Il fiume,* scilicet, Lethæus, *ci facea lontani tre passi,* ita si fuisset ita levis corpore, sicut erat animo, poterat transire ad eam saltando vel natando per tres passus sicut Leander per tria milliaria, *là ove passò Xerse,* filius Darii; Xerses, dico, *ancora freno a tutti orgogli umani.* Et hic nota, quod vere (4) hic Xerses est perpetuum exemplum, habens refrænare superbiam potentum regnantium. Sicut enim scribit Justinus, mi-

(1) E. latere.
(2) 117, interserit.
(3) E. victus confugiens trepide.
(4) E. vere iste talis Xerses.

rabile spectaculum erat videre latentem parvo navigio, quem paulo ante vix omne mare capiebat et omnis terra tremebat; sed qui videbatur calcare sidera velut lepus, velut (1) mus pavidus, victus vilissime terra et mari, parva scapha sine minimo servo, redivit in Asiam, dispersa multitudine inaudita, prout dicetur plenius Paradisi capitulo VIII; *non sofferse più odio da Leandro per mareggiar,* idest, fluctuare fortiter, *intra Sesto et Abido,* duas antiquissimas civitates, de quibus fit frequens mentio apud omnes autores. Unde et Livius refert miserabile facinus de abydenis, qui ex desperatione pro libertate sua trucidaverunt se invicem, ne venirent (2) in manus Philippi regis macedonum, qui bellum gerebat cum romanis; *che quel,* scilicet, flumen Lethæum, *da me,* substinuit odium, *perchè allor non s' aperse,* ad dandam mihi viam. Et hic nota quam bene comparatio facit ad propositum, si consideres singulas partes eius comparando Leandrum Danti, Hero Mathildi, strictum mare huic stricto flumini, amorem Leandri ad dominam suam, amorem Dantis ad dominam istam, odium Leandri ad mare, odium Dantis ad flumen; sed Dantes fuit prudentior Leandro, quia non deiecit se ad aquam sicut ille, imo expectavit usquequo Mathildis traheret eum ad aliam ripam. — *Voi.* Hic poeta ponit orationem Mathildis ad se, quæ excludit admirationem ab animo poetarum quam videbantur contraxisse ex eius risu, cantu et gaudio. Et videtur sententialiter (3) dicere: non debetis de hoc mirari, quia mea delectatio non procedit a vanitate sicut in mulieribus viventibus amoratis in mundo mortali, sed ab honestate; virtus enim non solum est bonum honestum, sed etiam utile et delectabile habenti. Dicit ergo poeta: *Ella,* scilicet, domina tam læta, *cominciò,* scilicet,

(1) 117, vel mus pavidus. (2) E. ne venirent sub Philippo rege.
(3) S. e 117, sententialiter velle dicere.

dicere, *voi*, scilicet, tres poetæ, *siete nuovi*, et novitas rei parit admirationem, quasi dicat: vos estis ignari huius rei, *e forse alcun sospetto tienvi maravigliando*, quia creditis quod sim philocapta, ut tu dicebas paulo ante mihi, *perch' io rido*, cum risus non videatur laudabilis in muliere perfecta etiam in loco perfecto, *in questo loco eletto*, idest, destinato et deputato, *all' umana natura*, si stetisset in innocentia, *per suo nido*, idest, hospitio sive habitaculo. Et confirmat dictum suum per dictum prophetæ, qui dicit: *Delectasti me, Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum exultabo.* Unde dicit: *ma il salmo Delectasti*, non intelligas psalmum qui incipit: *Delectasti*, quia nullus est sic incipiens, sed in psalmo qui incipit: *Bonum est confiteri Domino*, est versiculus qui dicit: *Delectasti me* etc., *rende luce*, idest, facit declarationem, *che puote disnebbiar*, idest, illuminare et dilucidare, *vostro intelletto*, qui non capit quæ et qualis sit delectatio mea. Potest etiam aliter exponi litera ista, et non minus bene, ut sit sensus, quod accedentibus nuper ad apicem virtutis perfectæ, operatio virtutis non videtur ita delectabilis sicut est in rei veritate, et sicut videtur habituatis in virtute. Quod autem ista sit intentio literæ videtur patere ex præcedentibus, quia dixit: vos estis novi; et ex sequentibus, quia aliqui textus habent, *dilatasti:* et hic est versiculus alterius psalmi, ubi propheta tendens ad perfectionem virtutis, quæ in paradiso deliciarum typice designatur, dicit: *Dilatasti, Domine, gressus meos* etc. Deinde Mathildis in speciali offert se nostro poetæ, dicens: *E tu, che se' dinanzi*, qui solebas hactenus sequi socios, *e mi pregasti*, ubi dixisti quod facerem me propinquam tibi, *di', s' altro vuoi udire*, quia jam respondi ad quæsita, *ch' io venni presta ad ogni tua question, tanto che basti*, ad declarationem tuam.

L'acqua. Ista est tertia pars capituli, in qua poeta no-

ster movet quæstionem [1] venti et aquæ, cum videatur impossibile per naturam. Dicit ergo: *Diss' io,* illi dominæ, *l' acqua,* juxta quam sumus, *e 'l suon della foresta,* idest, ventus sylvæ, qui spirat et quatit arbores, *impugnan dentro a me novella fede,* idest, novam aviditatem sciendi, *di cosa ch' io udi',* scilicet, supra a Statio, capitulo XXI, *contraria a questa* [2]. Ibi enim dixit Statius, quod nulla impressio aeris fiebat a porta purgatorii supra; ideo nunc plus mirabatur de vento et aqua in cacumine montis, quam paulo ante de risu Mathildis. Et subdit responsionem Mathildis, quæ primo promittit [3] solutionem dubii, dicens: *ond' ella,* supple, dixit mihi, ut faceret me attentum: *io dicerò come ciò ch' ammirar ti face,* scilicet, ventus et aqua, *procede per sua cagion,* non naturali [4], *e purgherò la nebbia,* idest, dissolvam nebulam ignorantiæ, *che ti fiede,* idest, ferit et percutit mentem tuam admiratione, quasi dicat: sicut vox prophetæ potest dissolvere et distenebrare tuum intellectum de una re mirabili, ita vox mea distenebrabit ipsum de alia re non minus mirabili. — *Lo sommo.* Hic Mathildis volens solvere ipsam quæstionem incipit parum a longe, ostendens quare et ad quem finem factus est locus iste sine aliqua alteratione naturali. Unde dicit: *Lo sommo Bene,* scilicet, Deus, *che solo esso a se piace,* quia solus Deus se videt, se intelligit et cognoscit perfecte, *fece l' uom,* scilicet, Adam et Evam, *buono,* simplicem et rectum in statu innocentiæ, *a bene,* idest, ad finem beatitudinis, *e diede questo loco,* scilicet, paradisum terrestrem, *a lui,* scilicet, Adæ et Evæ, *per arra d' eterna pace,* idest, pro parte cœlestis felicitatis. Et hic nota quod primi parentes satis magnam felicitatem habebant, etiam

---

(1) 117, quæstionem Mathildi circa originem venti et aquæ.
(2) E. *questa.* Si enim dixit.
(3) E. promisit.
(4) E. non naturaliter.

si nullam aliam expectarent in isto loco, ubi erat quies placida sine (1) labore, sanitas sine languore, securitas sine timore, lætitia sine dolore, pax sine bello, libertas sine servitute; et quod est super omnia, vita sine morte: sed quanto feliciores ante peccatum, tanto infeliciores post peccatum. Ideo dicit: et ille homo, *dimorò qui poco,* quia paucis horis stetit in isto paradiso, ut dicetur Paradisi capitulo XXVI, *per sua diffalta,* idest, propter suum defectum, quia per superbiam voluit fieri sicut Deus; et quod fuit gravius, ipse homo, *cambiò onesto riso,* qualis erat risus Mathildis paulo ante, *e dolce giuoco,* idest, delectationem, *in pianto et in affanno,* a quo auspicatur miserias suas, *per sua diffalta,* idest, defectum, quia ingratissimus non fuit contentus tanto bono sibi sine merito donato. — *Perchè.* Hic poeta ostendit qualiter Deus, ut homo pacifice frueretur bono sibi parato, dedit sibi locum immunem ab omni alteratione. Unde dicit: *Questo monte salìo vêr lo ciel tanto,* quia quasi tangit cœlum, *perchè 'l turbar,* idest, turbatio, scilicet terræmotus, ventus, pluvia, nix, pruina, ros et talia, quorum generationem tangit, dicens: *che,* idest, quam multiplicem turbationem, *le esalazioni dell' acqua e della terra,* idest, vapores qui exalant ab aqua et terra; nam vapores aquæ et terræ sunt causa materialis omnium istarum impressionum. Nam vapores terræ sicci faciunt ventos, et vapores humidi aquæ faciunt pluviam, nivem (2) etc. Et causa efficiens harum est corpus cœleste; unde dicit: *che, quanto posson, dietro al calor vanno;* quia scilicet, sequuntur calorem solis et aliarum stellarum, attrahentis ipsos vapores usque ad mediam regionem aeris; *fanno sotto da se,* idest, infra altitudinem istius montis, quia ab introitu veri purgatorii supra non fiunt (3) ista, *non fa-*

---

(1) E. et sine.
(2) E. nivem et huiusmodi: et causa.
(3) E. non sunt ista.

cesse alcuna guerra all' uomo, habitatori huius loci, sicut videmus quod istæ impressiones faciunt bellum continuum et inexorabile homini habitanti in nostra terra habitabili. Unde dicit: *e liberonne,* idest, altitudo istius montis liberavit hominem et me et omnes tendentes ad virtutem per totum purgatorium ab omni perturbatione [1] tali, *da indi,* idest, ab ipsa porta purgatorii citra, *ove si serra;* ipse [2] mons ab angelo clavigero. Et hic nota quod in ista particula forti poeta non vult aliud dicere sententialiter, nisi quod iste locus factus est temperatissimus et amœnus, ut homo nullis perturbationibus impeditus spiritualibus deliciis frueretur [3]. — *Or.* Nunc Mathildis ostenso quare ventus noster vel aliqua alia peregrinarum impressionum non attingit locum istum maxime quietum; nunc assignat veram causam istius venti, et videtur velle dicere in effectu quod quia mons iste superextendit cacumen suum in aere vivo, qui continuo volvitur cum firmamento cœli; ideo talis motus aeris superioris est causa soni sive venti. Ad literam ergo; quia poeta noster poterat dicere isti dominæ: o bona femina, satis dixisti mihi quare ventus noster non attingit istam altitudinem, sed hoc non est quod peto, imo vellem scire causam istius venti hic de quo miror. Ideo Mathildis dicit: *Or il cerchio,* idest, circulus aeris vivi, *si volge ratto,* idest, velociter, quia quasi nullam habet resistentiam, sicut noster aer inferior, *d' alcun canto,* prope cœlum, *perchè 'n circuito,* idest, circulariter, *tutto quanto l' aer si volge con la prima volta,* idest, cum primo mobili; ideo, *tal moto,* scilicet aeris, *percuote in quest' altezza,* idest, in sylvam, quæ est in ista planitie, *ch' è tutta disciolta,* idest, aperta et non clausa aliis montibus, *nell' aere vivo,* idest, puro, sine nubibus [4] ullis, *e fa sonar*

(1) E. turbatione.
(2) E. scilicet mons ipse ab.
(3) 117, quiete frueretur.
(4) E. sine nubibus et nebulis, *e fa.*

la selva perch' è folta, idest, arboribus plena: et sic videtur dicere breviter, quod ventus qui est hic non est aliud quam motus aeris, quod multi etiam dixerunt de nostro vento inferiori. Sed hic nota, lector, quod poeta noster non videtur ponere aliquod elementum ignis, sicut aliqui philosophi antiqui, qui dixerunt ignem generari ex confricatione aeris ad cœlum; unde ponit hic aerem vivum continuari cœlo. Aliqui vero moderni posuerunt aerem vivum super ignem, sicut Brunettus Latinus, qui nescivit philosophiam; et sicut Michael Scottus qui fuit melior magus quam naturalis, ut dicit Albertus: sed credo quod poeta loquitur moraliter, ut ostendat habitationem hominis perfecti esse contiguam cœlo, sicut doctores dicunt paradisum deliciarum pertingere usque ad globum lunæ hyperbolice loquentes. — *E la.* Hic Mathildis ostendit qualiter generantur fructus ibi virtute venti, dicens: *E la pianta,* idest, sylva, *percossa,* ab illo aere sive vento, *tanto puote,* idest, est tantæ potentiæ, *che della sua virtute impregna l' aura,* idest, implet aerem, *e quella,* scilicet aura vel aer sic imprægnatus, *scuote,* idest, commovet et concutit, *poi girando intorno;* et isto modo fit multiplicatio arborum ibi: unde dicit, *e l' altra terra,* illius sylvæ, *concepe e figlia,* idest, gignit et parit, *diverse legna,* idest, varia [1] genera arborum, *di diverse virtù, secondo ch' è degna,* idest, disposita passive, *per se,* sine semine, *o per suo cielo,* idest, secundum puritatem sui aeris et proximitatem cœli. Et declarat quod dixit hic de generatione arborum per id quod accidit aliquando in nostris arboribus naturaliter, sed occulte; nam aliqua arbor vigorosa imprægnat aerem circumstantem odore suo, et aliquis ventus asportat illum aerem ad terram aptam ad concipiendum [2], et ibi nascetur similis arbor; et ita ali-

[1] E. varia lignorum sive arborum genera, *di.*
[2] E. concipiendum ubi nascetur.

quando portabit semen arboris ad aliquam partem longinquam, sicut videmus quod interdum arbor domestica reperitur in sylva, arbor sylvestris reperitur in horto. Dicit ergo: *Non parrebbe poi meraviglia di là,* scilicet in mundo nostro, *udito questo,* scilicet quod terra per se concipiat sine semine, *quando alcuna pianta,* idest, arbor novella, *vi s' appiglia,* idest, pullulat ibi, *senza seme palese,* idest, manifesto, quod patenter appareat, de quo homines mirantur, ignorantes causam, sed audita causa non mirarentur; et ita tu audita causa non debes mirari si ventus sive motus aeris est causa generationis arborum. Et concludit quantum ad hoc dans unum notabile, dicens: *e saper dei che la campagna santa,* idest, ista terra plana multo fertilior quam Campania romana, *ove tu se' è piena d' ogni semenza,* quia scilicet in ea sunt germina omnium arborum, idest, virtutum et virtuosarum operationum, *et ha frutto in se che non si schianta di là,* idest, qui non carpitur et colligitur in [1] mundo vestro inter tot turbationes. Felicior enim est fructus laborantis sub virtute, quam laborantis sub fortuna.

L' acqua. Ista est quarta et ultima [2] particula generalis, in qua comitissa, ostenso unde oritur ventus in paradiso deliciarum, nunc consequenter respondet de aqua, ostendens quod ista aqua transcendit naturam omnium aquarum mundanarum, immo est immutabilis et invariabilis. Unde dicit: *L' acqua che vedi,* tam puram et lucidam sub oculis tuis; erat enim poeta tunc in ripa fluminis Lethæi, *non sorge di vena,* sicut vestræ aquæ inferiores per subterraneos meatus a mari. Sicut enim in corporibus nostris sanguis effunditur a vena, ita a venis terræ rivus et flumen effunditur, *che,* idest, quam venam, *ristori vapor,* idest, restituat nubes, *che 'l giel con-*

---

[1] E. in mundo vestro inter tot tribulationes, aliter turbationes.
[2] E. ultima pars generalis huius capituli, in qua.

verta, idest, aer resolvat in pluvias, *come fiume ch' acquista o perde lena,* idest, vires recipit et amittit per incrementum et decrementum. Et hic nota quod communiter flumina et fontes augentur in pluviis et minuuntur in siccitate; sed causa indeficientiæ est ab oceano qui est proprius locus aquarum. Hoc autem non accidit in flumine isto; unde dicit: *ma esce,* ista aqua, *di fontana salda e certa,* quæ scaturit (¹) de solida petra, non de specu cavernosa, quales reperiuntur communiter in montibus, in quibus fiunt receptacula magna, ubi est thesaurus et copia aquarum multarum; unde communiter flumina a montibus oriuntur. Et dicit: *che,* idest, qui fons, *riprende,* idest, iterum capit, *tanto,* scilicet, aquæ, *dal voler di Dio,* idest, divina voluntate, quæ est profundior oceano magno, *quant' ella,* idest, quantum aqua, *versa,* idest, effundit (²), *aperta da duo parti;* quæ scilicet efficit duo diversa flumina, de quibus statim subiicit. — *Da questa.* Hic Mathildis describit utrumque fluvium a virtute mirabili et nomine convenienti. Ista enim duo flumina opposita habent diversas operationes ad unum finem tendentes: aqua enim unius potata facit oblivisci malum præteritum; altera vero commemorat bonum et vivificat virtutes. Dicit ergo: *Da questa parte,* scilicet, sinistra, ubi est Lethe, *discende,* scilicet, aqua, *con virtù,* idest, cum tanta potentia et virtute, *che toglie altrui memoria del peccato; dall' altra,* scilicet, parte dextra, ubi est Eunoe, *la rende,* scilicet, ipsam memoriam, *d' ogni ben fatto.* Et sic vide quod duo sunt necessaria homini tendenti ad felicitatem: primo oblivio mali, ita quod amplius non veniat in mentem eius peccare; secundo memoria boni, quæ non permittat ipsum amplius peccare. Et nominat ipsa flumina, dicens: *quinci,* scilicet, a

(¹) E. scaturitur. (²) E. effunditur.

sinistra, *si chiama Lete,* græce, et latine interpretatur oblivio; *così dall' altro lato,* scilicet, dextero, *si chiama Eunoè;* sic dictum ab *Eu,* quod est bonum, et *noys,* quod est mens; quasi bona mens, idest, memoria bonorum, quæ bene sequitur ad oblivionem malorum. Et tangit correlativam virtutem amborum fluviorum, dicens: *e non adopra,* idest, non præstat salutem homini, *se pria non è gustato,* istud flumen, *quinci e quindi,* primo de Lethæo, secundo de Eunoe, quia non sufficit abstinere a malo, nisi fiat quod bonum est. Ideo bene dicit poeta quod oriuntur ab eodem fonte divinæ gratiæ, qui exit de petra viva, quæ est Christus, in quorum utroque poeta lavabitur, et de utriusque aqua gustabit, ut patebit. Et concludit bonitatem huius aquæ quæ non habet parem, dicens: *esto,* idest, iste sapor aquæ, *è di sopra a tutti altri sapori,* idest, superexcedit omnes sapores, quia habet in se omnes sapores, ubi aqua nostra dicitur perfecta quia (1) nullum habet saporem. — *Et avvegna.* Nunc ultimo ista alta domina addit unam potissimam (2) conclusionem ad ostendendam felicitatem huius loci. Et primo ut reddat eum attentum promittit suam gratam liberalitatem. Dicit ergo: *Et avvegna ch' assai possa esser sazia la sete tua,* idest, aviditas sciendi de aura et aqua istius (3) montis, *perch' io più non ti scuopra,* declarando et detegendo istam materiam, quæ videbatur (4) tibi satis occulta, *darotti un corollario;* corollarium appellatur ultima conclusio, quæ datur post alias quasi conclusio conclusionum, sic dictum a corolla, idest, parva corona, quasi coronarium, quia (5) datur disputantibus in præmium; *ancor per grazia,* quia hoc tu non somniabas, et ego tibi non promiseram. Et excusat se de ista digressione, quia hoc facit propter complacentiam suam, dicens: *nè credo*

(1) 117 e E. quæ nullum habet. (2) E. potentissimam.
(3) E. huius montis. (4) 117, videtur. (5) E. quod.

che 'l mio dir ti sia men caro, quasi dicat: imo sum certa quod dictum meum erit tibi carius, *se teco si spazia,* idest, extra vagatur, *oltre promission,* quia non promisi tibi nisi me responsuram de vento et aqua. — *Quelli.* Hic Mathildis explicat ipsum corollarium; et vult breviter dicere quod poetæ antiqui, qui finxerunt olim illam ætatem felicem quam auream vocaverunt, voluerunt dare intelligi statum felicem perfectæ virtutis qui figuratur in isto loco. Homo enim positus in perfectione virtutum est quodammodo felix remotus ab alterationibus, quia non subiicitur passionibus. Unde ad veram declarationem istius literæ volo te attente notare, quod hanc ætatem auream pulcre describit Seneca et commendat in una epistola; et alter Seneca in una tragœdia, et omnes poetæ ante et post eos; sed ubi vel quando fuerit hæc ætas invidiosa non invenio si discurro per omnes ætates et nationes mundi. Et ut omittam barbaros sine more, sine lege, numquam apud græcos sapientissimos, numquam apud romanos optimos, imo nec apud hebræos cultores veri Dei invenies istam ætatem. Quid primi fratres in orbe, quid primi in urbe; in qua regione vel in quo tempore fuit unquam gens quæ viveret cum innocentia et sobrietate, sine cupiditate, sine concupiscentia, sine labore, sine cura, vacans simpliciter Deo suo, aut servans jura naturæ? nisi forte verum sit quod scribitur de Bragmanis in India, quorum vita videtur vere felix, mors tamen misera, cum se sponte in incendium mutant(1). Credo ergo quod poetæ loquantur non simpliciter, sed secundum quid, scilicet, quod talis ætas fuerit nunc in uno loco et tempore, nunc in alio, et respective, sicut sub Saturno in Creta, et sicut sub Augusto in Italia, sub quibus fuit magna pax, justitia et libertas: et sic videtur intelli-

(1) E. mittant.

gere Virgilius libro Georgicorum, ubi describens egregie istam ætatem, dicit: *hanc olim vitam veteres coluere Sabini.* Et concludit, quod talis est vita ruricularum. Nunc ad literam; dicit Mathildis: *Quelli ch' anticamente poetaro,* idest, poetice descripserunt tam græci quam latini, *l' età dell' oro,* scilicet, auream semper florentem, *e 'l suo esser felice forse sognaro,* idest, somniaverunt, et somnium fuit verum, vel *signaro esto loco,* quem ostendi esse felicem, *in Parnaso,* idest, Parnaso (1) monte, ubi poetæ dicebantur somniare, ut dicit Persius. Et superextollit felicitatem huius viridarii, dicens: *qui,* in isto paradiso, *fu innocente l' umana radice,* scilicet, Adam et Eva, sed paucis horis; et ut dicit Josephus: simplicitatem qua vivebant homines Cain statim pervertit ad malitiam et rapinam etc. Et dicit: *qui primavera sempre, ed ogni frutto;* hoc tamen est impossibile per naturam in nostro mundo, imo si esset semper ver perirent fructus; ideo poetæ moraliter loquuntur, ut dictum est; *e questo,* scilicet, rivus, *è nettare di che ciascun dice,* quia dicunt, quod aqua erat tunc dulcior nectare. Nectar enim est idem quod mulsum, idest, vinum conditum aromatibus, de quo loquuntur omnes poetæ; unde Ovidius: *Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant.* Et concludit poeta effectum illius dicti, dicens: *Io mi rivolsi indietro allora tutto ai miei poeti,* idest, ad Virgilium et Statium, quos pro meis specialiter semper habui, quasi dicens tacite: istud tangit vos antiquos poetas; *e vidi che con riso,* quia placuit eis sonus verborum, *udito avevan l' ultimo construtto,* scilicet, corollarium prædictum; et dicit: *poi alla bella donna tornai il viso,* scilicet, ad Mathildim, quæ cantare cœpit sicut in sequenti cantu apparebit.

---

(1) 117, studentes in Parnaso.

CANTUS VIGESIMUS NONUS, *in quo tractat sicut secutus est dominam juxta litus fluminis, et sicut subito apparuit lumen ut flumen, et de septem arboribus auri, et de viginti quatuor senioribus coronatis floribus, et de quatuor animalibus coronatis, et de curro et gryphone trahente eum; et de omnibus significationibus istorum.*

Cantando come donna innamorata. Postquam in proximo præcedenti capitulo poeta noster descripsit hortum amœnissimum deliciarum quoad omnes sui partes, nunc consequenter in isto capitulo describit figuraliter ecclesiam Dei militantem, quam sibi ostendit illa domina activa tota virtuosa. Et istud capitulum XXVIIII potest dividi in quatuor partes ad plus. In prima quarum poeta describit actum istius dominæ et luminaria præcedentia exercitum militantis ecclesiæ. In secunda describit mirabilia insignia ipsius exercitus sequentia luminaria, ibi: *Mentre.* In tertia describit gloriosum exercitum cum principibus suis, ibi: *La donna.* In quarta et ultima describit currutium, sive currum triumphalem cum ducentibus ipsum, ibi: *Lo spazio.* Ad primum dico, quod poeta describit actum istius dominæ et luminaria. Et primo continuans materiam sequentem præcedenti, dicit: *Cantando come donna innamorata;* amore virtuosæ operationis, illa comitissa, *continuò,* idest, continuavit, *col fin di sue parole;* quia enim in fine præcedentis capituli Mathildis, loquendo de felicitate loci, dixerat: *Qui fu innocente l'umana radice;* ideo, nunc cantando alacriter, dixit: *Beati, quorum tecta sunt peccata.* Ista verba prophetica quæ sunt: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata,* dixit in commendationem

poetæ, cuius omnia peccata purgata erant; quasi dicens tacite: o te felicem qui in vita meruisti pervenire ad hunc statum felicitatis, ubi videbis delicias istius loci excelsi sub figura. — *E come.* Hic poeta describit incessum istius dominæ per unam nobilem comparationem, quæ breviter stat in hoc, quod Mathildis et ipse nunc incedebant per sylvam solitarie * sicut nymphæ solitæ sunt ire per sylvam solitariæ * (1), sed diversimode. Unde dicit: *E allor si mosse,* illa domina quæ prius steterat ad loquendum cum poeta, *andando contra 'l fiume,* idest, contra cursum fluminis versus ortum eius, *su per la riva di là,* scilicet, ulteriorem, *et io pari di lei,* scilicet, me movi et incessi per ripam citeriorem, *seguitando picciol passo,* illius dominæ, *con picciolo,* scilicet meo; itaque ibamus pari passu uniformiter, a simili, *come ninfe,* idest, deæ fontium, *che si givan sole,* idest, quæ ibant solitariæ, *per le salvatiche ombre,* idest, per umbras sylvarum et secus decursus aquarum, sed diverse, *qual,* scilicet, aliqua, *desiando di veder lo sole,* quia multum stetit ad umbram, *qual di fuggir lo sole,* quia nimis stetit ad solem. Et non est dubium, quod aquarum aliqua appetit solem, aliqua non. Et hic nota, quod poetæ fingunt (2) diversas esse nymphas, idest, deas fontium sive aquarum, per quas intelligunt varias vires et potentias Dei in aquis: et vere virtutes et proprietates aquarum sunt miraculosæ nimis et incredibiles in diversis partibus, ut scientia et experientia docet: nota etiam quod comparatio est valde propria; nam nymphæ, ut patet apud multos autores, figurant viros honestos et sapientes, ideo bene figurant hic istam dominam honestam et sapientem et nostrum poetam (3): et sicut nymphæ, idest honestæ dominæ, incedunt parvo passu, ita nunc isti, et ita

(1) Le parole fra i due asterischi son supplite dal Codice 117.
(2) E. fingunt aliquas diversas. (3) E. poetam secum: et sicut.

ibant more nympharum per diversa loca, illa ab una ripa, iste ab alia, et ita per sylvam sub umbra juxta aquas etc. — *Non.* Hic poeta describit mirabile accidens factum ibi, dicens: *Non eran cento tra i suoi passi e i miei,* quasi dicat: non multum ambulaveramus ita tacite, *quando le ripe,* illius rivi, *igualmente dier volta,* quia detorxerunt se in oppositum integraliter, *per modo ch' a levante mi rendei,* quasi dicat, ubi primo ibam versus occidentem, nunc conversus sum [1] in orientem; et ubi ibamus primo ad contrariam nunc ad secundam. Hoc autem fingit ut disponat locum militiæ statim venturæ; nam militans ecclesia tendit versus orientem, quasi voluerit dicere, vetera transiverunt et nova facta sunt. Et subdit quomodo factus est dispositus et attentus ad videndum et [2] spectandum sequentia dicens: *nè anche fu così nostra via molta,* quasi dicat, nec adhuc feceramus multos passus post revolutionem factam, *quando la Donna,* Mathildis, *tutta a me si torse, dicendo: frate mio guarda et ascolta,* quia videbis et audies mirabiliora. —*Et ecco.* Nunc poeta incipit describere ecclesiam Dei militantem. Ad quod oportet primo notare, quod theologi distinguunt duplicem ecclesiam, quarum primam appellant militantem, quæ in hoc seculo recte militat, et est in continuo certamine contra conantes subvertere eam; alteram vero vocant triumphantem quæ in cœlo lætatur de victoriis suis. Modo poeta noster accessurus in brevi ad videndam ecclesiam triumphantem, nunc merito primo figurat ipsam militantem: et primo incipit a luminaribus præcedentibus militiam sanctam, et ostendentibus viam omnibus venientibus; et dicit, quod subitus splendor in modum fulguris perstrinxit aciem oculorum eius. Dicit ergo: *Et ecco un lustro,* idest, lumen ex septem cande-

---

[1] E. sum ad orientem. [2] E. et expectandum.

labris primo apparens, *subito trascorse da tutte parti per la gran foresta,* idest, spatiosam sylvam, quæ tota erat capax luminis; et dicit: *tal,* idest, tam subitum et terribile, *che mi mise in forse,* idest, in dubium, *di balenar,* idest, fulguris (1), quasi dicat, credidi quod esset fulmen quod præcedit tonitruum, sed cito perpendit quod non erat illud; unde dicit: *ma perchè 'l balenar,* idest, coruscatio, *come vien, resta,* idest, cessat in instanti, quia violenter erumpit calidum ex nube frigida; *e quel,* scilicet, lustrum, *durando più e più splendeva,* quia veniebat a cœlo empyreo non ab aere mobili; ideo, *nel mio pensar,* in mente mea, quia non audebam petere ab illa domina, *dicea: che cosa è questa?* quasi dicat: quam mirabilis et stupenda! Istud autem lumen procedebat a septem candelabris (2) ardentibus, quæ sunt septem dona Spiritus sancti; ideo bene replet totam sylvam, idest statum omnium virtuosorum et illustrat universalem ecclesiam. — *Et una.* Hic poeta describit cantum suavem, qui sequebatur illam lucem mirabilem, dicens: *Et una melodia dolce correa per l'aer luminoso.* Et hic nota quod iste cantus procedebat ab his qui erant in exercitu, scilicet a prophetis et apostolis, doctoribus, martyribus (3) et aliis sanctis, qui gratia Spiritus sancti illuminante cantaverunt dulciter et salubriter, alii scripturis, alii orationibus, alii prædicationibus, alii bonis exemplis. Et subdit poeta incidenter quod videns tantam claritatem, et audiens tantam suavitatem, motus est ad indignandum contra primam matrem, quæ peperit nobis perpetuam infelicitatem cum tanta felicitate frueretur; nam fallacia hostis decepta virum heu nimis credulum in suam sententiam traxit. Dicit ergo poeta: *onde buon zelo,* idest, amor caritatis, non gratia detractionis, sicut communiter

(1) E. idest coruscantiæ sive coruscationis fulguris.
(2) E. candelis.
(3) E. martyribus, confessoribus et aliis.

faciunt homines in infamiam fœminarum, *mi fe riprender l'ardimento d'Eva,* compatiendo humanæ miseriæ, cuius ista fuit causa. Et ostendit multipliciter eius temeritatem aggravans delictum ex multis circumstantiis: primo, quia erat fœmina, et per consequens debebat esse minus audax propter infirmitatem sexus: secundo, quia erat sola; nam societas quæ præstat auxilium, consilium et favorem, solet facere hominem audaciorem: tertio, quia nuper formata (1); nam experientia solet præstare audaciam homini; quarto, quia erat facta manu divina. Dicit ergo: *che femmina sola,* sine alia fœmina, intelligas; nam habebat virum socium, *e pur testè formata,* plasmata sine instrumentis naturæ, *non sofferse di star sotto alcun velo,* scilicet, honestate vel regula; *là dove ubbidia la terra e 'l cielo,* idest, omnis creatura; et in hoc tangit aliam rationem contra Evam: nam si multitudo (2) subiectorum, vel magna pars, præsumit (3) contra Deum, ut plurimum, crimen remanet inultum; sed quia unica mulier præsumpsit contra factorem et benefactorem suum, ideo juste lata est sententia in agentem et consentientem. Si ergo ista mulier in tanta perfectione formata noluit obedire præcepto Altissimi, quomodo ergo fœmina ab homine generata erit obediens viro suo? Et subdit quid consequebatur ex obedientia, dicens: *sotto 'l qual,* scilicet, velo, *se divota fosse stata,* non temeraria appetens prohibita, *avria sentite prima quelle ineffabili delizie,* de quibus dictum est præcedenti capitulo, *e poi lunga fiata,* per tot secula.

Mentr' io. Ista est secunda pars generalis in qua poeta noster, descriptis luminaribus, describit insignia præcedentia exercitum militantis ecclesiæ. Et primo quidem tangit unum signum, indicans adventum illorum signo-

---

(1) E. formata, et sic modicæ experientiæ, quæ solet præbere.

(2) 117 e E. tota multitudo.

(3) E. præsumit contra Dominum.

rum. Signum autem fuit, quod illud lumen clarum subito factum est rubicundum et flammeum. Hoc autem significabat quod appropinquabant septem candelabra rutilantia et ardentia. Dicit ergo: *Mentr' io m' andava,* idest, interim dum ibam, *tutto sospeso,* idest, cogitabundus, abstractus, *tra tante primizie dell' eterno piacere;* primitias vocat lumen et melodiam, quæ erant quædam præambula æternorum donorum venientium; *e disioso,* ex spe illius luminis et cantus, quia expectabam videre a quibus utrumque procederet; et ecce: *L' aire si fe dinanzi a noi,* poetis et Mathildi, *sotto i verdi rami,* arborum ibi virentium, *tal qual un foco acceso;* erat idem lumen cum primo sed magis propinquum; et similiter: *e 'l dolce suono,* idest, melodia prædicta, *era già intesa per canto;* vult dicere quod propter propinquitatem apparuit illam melodiam esse cantantium. Et nota quod bene assimilat istum splendorem igni, quia veniebat a Spiritu sancto, qui ubique figuratur in igne. — *O.* Hic poeta descripturus altam materiam facit invocationem suam ad musas implorans subsidium et favorem earum, quia semper studuit ipsas honorare; ideo debent dignari adiuvare ipsum. Dicit ergo: *O sacre sante vergini,* idest, o divinæ musæ quæ facitis homines sacros et sanctos, sicut bene ostendit Tullius in oratione pro Archia præceptore suo, *cagion mi sprona,* idest, urget et stimulat me, quia sum in articulo forti, *ch' io mercè ne chiami,* idest, implorem benignam gratiam vestram, *se mai soffersi,* si pro quia, *fami, freddi o vigilie;* nam hæc incommoda et alia multa tuli, *per voi,* pro scientia poetica acquirenda et suscitanda, quæ mortua erat tempore meo. Et tangit causam invocationis, dicens: *or conven,* idest, modo expedit, *che Elicona,* fons Parnasi, de cuius aqua dicuntur potare poetæ, *per me versi,* idest, versus faciat, quasi dicat: nunc oportet quod hauriam de fonte poetico ad

facienda carmina de materia divina. Et quia novem sunt musæ, quarum nomina et officia plene scripsi primo capitulo huius Purgatorii, ideo nominatim ponit unam, cuius virtus maxime facit ad præsentem materiam. Unde dicit: *e Urania,* quæ latine sonat cœlestis, *m' aiuti col suo coro,* idest, cum consortio aliarum octo sororum. Et ecce quare: *forti cose a pensar mettere in versi;* quasi dicat: difficile est scribere [1] talem materiam in metro, in quo requiritur plus artis et laboris quam in prosa, ut dictum est Inferni capitulo XXXII. — *Poco.* Nunc poeta facta nobili invocatione aggreditur valenter nobilem materiam, describens ipsa candelabra quorum lumen præcesserat. Dicit ergo: *Poco più oltre,* idest, paulo post illud lumen, *sette alberi d'oro,* aureæ erant arbores propter perfectionem et splendorem fulgentissimum, *falsava,* idest, falso ostendebat mihi in apparentia, quia in rei veritate non erant arbores, sed candelabra effundentia lumen implens totam sylvam, *il lungo tratto del mezzo,* idest, magnum spatium aeris medii, *ch' era ancor tra noi e loro.* Et vide quod [2] in constructu debes incipere a longo tractu, quia longus tractus et distantia faciebat candelabra videri arbores. Et nota quod ista erant septem candelabra, in quibus videbantur septem flammæ impositæ, quæ figurant septem dona Spiritus sancti, quæ opponuntur septem vitiis [3] principalibus; quorum donorum primum est pietatis contra invidiam, secundum timoris contra superbiam, tertium scientiæ contra iram, quartum fortitudinis contra accidiam, quintum consilii contra avaritiam, sextum intellectus contra luxuriam, septimum sapientiæ contra gulam. — *Ma.* Hic poeta ostendit quod sicut distantia fuerat sibi causa erroris, ita propinquitas fecit ipsum videre veritatem, scilicet, candelabra et can-

---

[1] 117, describere. [2] 117, hic quod in construendo debes.
[3] E. vitiis capitalibus sive principalibus.

tum. Dicit ergo: *Ma la virtù ch' a ragion discorso ammanna,* idest, virtus visiva quæ transmittit interius ad animam speciem rei visæ, et sic præparat discursum rationi ad intelligendum; vel, *la virtù,* scilicet, discretiva, *apprese,* idest, comprehendit, *sì com' elli eran candelabri* vere, *e,* repete, apprehendit *Osanna, nelle voci del cantar,* quasi dicat: intellexi in vocibus canentium quod cantabant hosanna, et bene; nam hosanna, idest salvifica, quod semper clamat ecclesia militans per omnes suas acies, videlicet salutem omnium; *quando fui sì presso di lor fatto,* quia veniebant contra me, *che l' obietto comun,* scilicet, figura, *che 'l senso inganna, non perdea alcun suo atto,* quia non decipiebat visum, *per distanzia,* scilicet longam. Et hic nota quod quilibet sensuum habet proprium obiectum, sicut visus colorem, auditus sonum, odoratus odorabile, tactus tangibile, gustus saporem; et habet commune, sicut numerus et figura cognoscitur per (1) tactum. Nota etiam quod visus humanus non potest a longe cognoscere et discernere quantitatem et qualitatem obiecti, sicut patet in stella, quæ videtur nobis parvula in quantitate, cum tamen sit maior tota terra; ita in terrenis videmus, quod si homo sit in altissima turri videtur parva avis; ita in proposito ista candelabra erant in se maxima, tamen videbantur parva ut arbores. — *Di sopra.* Hic poeta ostenso quod vere cognovit candelabra, ostendit quod cognovit qualiter ab eis procedebat lumen illud. Unde dicit: *Il bello arnese,* idest, pulcer ornatus candelabrorum, a quo manat omne pulcrum, *fiammeggiava di sopra,* idest, super se ardebat et emittebat flammas facientes illum splendorem in modum ignis. Et declarat arnesii claritatem per nobilem comparationem de se manifestam, dicens: *più chiaro assai,* illud arnesium, *che luna per sereno di*

---

(1) 117, per visum et tactum.

mezza notte e nel suo mezzo mese, quasi dicat, cum est rotunda et plena et lucet. Et nota quod comparatio est propria; quia sicut luna recipit lumen a sole, ita ista luminaria ab æterno sole; et sicut luna lucet clare in sereno, ita ista luminaria in (¹) illo aere puro et claro: luna etiam maxime lucet in plenilunio, et ita luminaria ista maxime lucent positis in isto excelso monte. Et subdit quomodo præ stupore convertit se ad Virgilium, sicut erat solitus facere super admirandis, dicens: *io mi rivolsi d'ammirazion pieno,* ex novitate rei, *al buon Virgilio,* ut declararet mihi quid sibi vellent ista jocula aurea, sed frustra. Unde dicit: *et esso mi rispose con vista carca di stupore non meno,* quam ego; quasi dicat, quod Virgilius strinxit se, et visus est dicere nutu faciei: minus intelligo istud factum quam tu; et bene, quia sapientia mundi ex puris naturalibus non potuit videre ista divina occulta, et sic additus est stupor stupori; unde addit: *indi rendei l' aspetto all' alte cose,* scilicet, ad candelabra quæ ab alto cœlo præsentantur in isto alto monte; et dicit: *che si movean incontro a noi sì tardi,* quia non nisi tarde veniunt ad visum, idest cognitionem hominis, *che foran vinte da novelle spose.*

La donna. Ista est tertia pars generalis, in qua poeta describit generalem exercitum ecclesiæ, qui cum principibus suis sequebatur illa luminaria et insignia præcedentia. Et primo ostendit qualiter illa domina, ne ipse amitteret tempus circa unum, invitaverit eum ad alia videnda. Dicit ergo: *La donna,* scilicet, Mathildis, *mi sgridò: perchè pur ardi,* idest, ardenter inflammaris, *sì nell' affetto delle vive luci,* idest, relucentium luminarium (²), *e ciò che vien diretro a lor non guardi?* quasi dicat: et non consideras effectus illarum lucum, scilicet

(¹) 117, in isto aere puro. (²) E. luminum.

multitudinem magnam sanctorum spirituum, qui constituunt corpus istius militiæ. Et continuo ostendit quid videt [1], dicens: *vid' io genti venire,* idest, sequi; isti erant viginti quatuor seniores, *appresso,* post dicta candelabra, *allor,* idest, tunc, *come a lor duci,* quia candelabra præcedentia ducebant et dirigebant gentem istam, sicut subtiliter ostenditur in principio sequentis capituli; gentes, dico, *vestite di bianco;* talis habitus bene convenit tali genti ad indicandam puritatem et munditiam eorum [2]. Et dicit ad ostendendam perfectionem, *e tal candor,* idest, similis albedo, *giammai non fuci,* idest, fuit, *di qua,* in nostro mundo: et verum dicit, quia nunquam in vita apparuit tanta claritas in eis, sicut post beatificationem. — *L' acqua.* Hic poeta volens descendere ad perfectiorem visionem, primo præmittit puritatem aquæ ex percussione luminis; et videtur velle dicere, quod cum videret tantam claritatem et puritatem luminarium et candorem, ultra hoc videbat etiam claritatem et puritatem aquæ, quæ repræsentabat imaginem eius in modum speculi, si aliquando inclinabat visum ad aquam. Dicit ergo: *L' acqua,* scilicet, rivi, *imprendea,* idest, recipiebat, *e rendeami,* idest, repræsentabat mihi, *la mia sinistra costa,* idest, latus, *dal sinistro fianco,* scilicet, meo; quasi dicat, repræsentabat me in illa propria forma qua eram, quia ibam ad sinistram; aqua dico, *come specchio anco,* supple reddit, *s' io riguardava in lei,* idest, si et quando deiiciebam oculum in ipsam aquam. Et subdit quomodo se disposuit ad videndum perfectius: et vult breviter dicere in effectu, quod dum appropinquasset plus ad candelabra firmavit gressum suum ad videndum. Dicit ergo: *diedi sosta,* idest, requievi et revocavi incessum, *per veder meglio,* per proximitatem ea quæ videram minus

---

[1] S. e 117, viderit. [2] 117, earum.

bene per distantiam, *quand' io ebbi tal posta dalla mia riva,* scilicet, sinistra per quam ibam, *che solo il fiume mi facea distante,* ab illis venientibus. Vult dicere, quod cum ipse iret tarde, et candelabra venirent in oppositum tardius eo, tandem factus ita propinquus illis, quod nihil erat medium nisi flumen, firmavit se.—*E vidi.* Hic poeta ostendit quid viderit factus sic dispositus; et dicit, quod vidit mirabilem operationem illorum candelabrorum, quæ in transitu suo totum aerem relinquebant adornatum variis coloribus. Unde dicit: *E vidi le fiammelle,* idest, candelabra flammantia, *andar davante,* idest, transire ante me et ultra me, quia ego stabam, et candelabra continuo ibant, *lasciando dietro a se l' aer dipinto,* scilicet, septem caudis splendentibus in modum cometarum procedentibus a cœlo a Spiritu sancto; et specificat formam eorum, dicens: *e avea,* ille aer pictus, *sembiante di pennelli tratti,* a pictoribus. Et ecce quomodo: *sì ch' elli,* scilicet, aer, *rimanea distinto sopra,* usque ad cœlum, *di sette liste,* idest, lineis. Lineæ istæ sunt radii gratiarum Spiritus sancti exornantes universitatem ecclesiæ nobilibus coloribus, quales sunt illi quos facit sol in suo arcu, et luna in suo circulo; unde dicit: *tutte,* illæ [1] listæ, *in quei colori,* talibus et tam variis, *onde,* idest, ex quibus coloribus, *il sol fa l' arco,* scilicet, iridem, de quo dictum est supra, capitulo XXV Purgatorii, *e Delia,* idest, luna sic dicta a Delo insula, *il cinto,* idest, facit circulum circa se per modicam distantiam, qui circulus vocatur halo de quo dicetur Paradisi capitulo I. Et hic potes perpendere quod proprie poeta assimilat ista septem lineamenta duobus magnis luminaribus cœli, scilicet soli et lunæ, imo poterat assimilare septem planetis. Et subdit excellentiam istorum lineamentorum, dicens: *questi sten-*

[1] E. scilicet illæ.

dali, idest, dictæ septem lineæ, *di dietro,* quæ sequebantur post candelabra in aere, quæ poeta bene vocat ostendalia. Ostendalia enim appellantur in mundo signa imperatoris, quæ ostenduntur quando vadit in expeditionem, et ista sunt signa summi imperatoris qui veniebat cum suo exercitu, *eran maggiori che la mia vista,* idest, quam mea visio posset attingere, quia pertingebant usque ad cœlum supremum; *e quei di fuori,* scilicet, candelabra, *distavan,* scilicet, a me, *dieci passi,* quasi dicat, modicum, *quanto a mio avviso,* idest, juxta existimationem meam. — *Sotto.* Nunc poeta describit principes huius militiæ in speciali; et dicit in summa, quod veniebant viginti quatuor coronati. Ad cuius intelligentiam est breviter sciendum quod isti sunt figuraliter viginti quatuor libri legis antiquæ, secundum Hieronymum in principio libri Regum, qui sunt quasi viginti quatuor literæ: quemadmodum enim ex elementis omnis vox humana comprehenditur, sic istis libris quasi literis et exordiis in Dei doctrina infantia tenera et adhuc lactens (1) viri justi eruditur. Dicit ergo poeta describens istos quantum ad habitum et actum: *Ventiquattro seniori,* quia dictant et dant hominibus leges et præcepta bene vivendi, *venian a due a due,* quia socialiter conveniunt inter se, *coronati di fior d'aliso,* idest, lilio, quod figurat fidem: hi sunt viginti quatuor seniores, quos Joannes scribit in Apocalypsi se vidisse adorantes agnum, et offerentes coronas suas, *sotto così bel ciel,* idest, sub aere tam colorato et adornato, *com' io diviso,* idest, quale ego distinguo in septem listas mirabiles. Et subdit, quod omnes exaltabant sacram scripturam, dicens: *tutti cantavan: benedetta tue,* scilicet, tu Beatrix, *nelle figlie d'Adamo,* idest, in mulieribus, quia tu domina divina, illæ famulæ humanæ; ideo dicit:

(1) E. lactans.

e benedette siano in eterno le bellezze tue. — *Poscia.* Hic poeta, quia figuraverat vetus testamentum quod in libris viginti quatuor continetur, nunc intendit describere novum, quod ordinatur per libros quinque: et primo quidem describit quatuor evangelistas. Et ad intelligentiam huius literæ est sciendum, quod Ezechiel narrat se vidisse quatuor animalia, quorum unius vultus erat facies hominis, alterius leonis, alterius bovis, alterius aquilæ. Hanc visionem exponit Gregorius pro evangelistis primo, et ita loquitur hic poeta noster. Matthæus enim cœpit (1) ab humana generatione, ideo habet faciem hominis: Marcus a clamore (2) in deserto, ideo habet faciem leonis: Lucas (3) vero habet faciem vituli quia incœpit a sacrificio: Joannes habet faciem aquilæ quia incœpit a divinitate verbi Dei; ideo more aquilæ infixit oculos in solem. Nunc ordina literam sic: *Quattro animali,* scilicet, evangelistæ, *coronato ciascun di verde fronda,* quia erant virentiores (4) et florentiores quam illi seniores, quia juniores; unde fides plus vigebat in eis, *vennero appresso lor,* idest, post illos viginti quatuor a simili, *come luce seconda luce,* idest, sequitur lucem, *in ciel;* et est propria comparatio, quia sicut in cœlo una stella oritur post aliam ad illuminandum mundum tempore noctis, ita primo libri antiqui luxerunt in mundo in tempore tenebrarum; postea venerunt maiores luces in tempore gratiæ, scilicet libri evangelistarum. Isti (5) dico venerunt, *poscia ch' i fiori e l' altre fresche erbette,* quibus erat plena terra sancta, ibi: *fur liberi,* pro liberati, *da quelle genti elette,* idest, ab illis viginti quatuor, *a rimpetto di me,* contra (6) faciem meam, *dall' altra sponda,* idest, in ulteriori ripa (7),

(1) E. incipit.
(2) E. a clamante in.
(3) E. Lucas a sacrificio, ideo habet faciem vituli. Joannes incipit a divinitate verbi Dei, ideo habet faciem aquilæ, quia more illius infixit oculos in solem.
(4) E. nitentiores.
(5) E. Ista dico.
(6) E. idest contra.
(7) 117, ripa fluminis, quia.

quia tota ista militia transibat per ripam Mathildis. Per hoc non vult aliud dicere nisi cum illi seniores scriptores veteris legis, sicut Moyses, Esdra, Isaias et alii transissent omnes, successive venerunt scriptores novæ legis. Et describit hæc animalia quantum ad habitum, dicens: *ognuno era pennuto di sei ali,* quia alte volaverunt, *le penne piene d' occhi,* quia omnia acute viderunt; quod pulcre declarat dicens: *e gli occhi d'Argo,* qui habebat centum oculos, *sarebber cotali,* idest, similes istis, *se fosser vivi,* sicut erant oculi istorum animalium. Fuit autem Argus pastor magnus plenus oculis, de quo dicetur in capitulo XXXII; et quidam volunt quod physice figurat cœlum, quod habet in se diversa lumina stellarum: et sic videtur dicere quod animalia ista habebant oculos cœlestes et sydereos. — *A descriver.* Hic poeta excusat se si nimis parce describit tam stupenda animalia; et convertens se ad lectorem, dicit: *O lettor, non spargo più rime,* versus (¹) rhythmicos, *a descriver lor forme,* idest, figuras varias sicut esset decens; et ecce quare: *ch' altra spesa mi strigne,* scilicet, alia res describenda ex debito, *tanto ch' in questa non posso esser largo,* quia non possum plus expendere ad satisfactionem istius debiti: quia habet statim describere ducem totius militiæ, ideo non vult largus esse in servis, ne sit parcus in domino. Et si forte lector vellet plus audire de materia, remittit eum ad certum autorem, dicens: *ma leggi Ezechiel,* scilicet, prophetam, *che li dipigne,* idest, describit primo capitulo, *come li vide venir dalla fredda parte,* scilicet, a septemtrione, *con vento, con nube e con igne.* Unde Ezechiel dicit ibi: *Vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone et nubes magna et ignis involvens, et splendor in circuitu eius* etc. Et subdit

(¹) E. e 117, idest, versus.

quomodo convenit cum Ezechiele præterquam in uno, dicens: *e tali eran quivi,* idest apparebant in ista sylva, *quai li troverai nelle sue carte,* idest, in suo libro: et ecce quomodo disconvenit ab Ezechiele, *salvo ch' a le penne,* idest, quantum ad alas, quod (1) sint sex; *Giovanni è meco,* idest, convenit mecum in Apocalypsi IIII capitulo, *e da lui si disparte,* idest, discordat ab Ezechiele, qui ponit tantum quatuor alas ad innuendum quod per quatuor mundi partes volaverunt; erant (2) etiam facies eorum coniunctæ per unitatem caritatis et concordiam veritatis.

Lo spazio. Ista est quarta et ultima pars generalis, in qua poeta describit currum triumphalem cum duce triumphante istius militantis ecclesiæ. Et ad intelligentiam huius literæ volo te primo notare, quod poeta nimis elegantem et peregrinam fictionem hic facit: figurat enim sub specie currus habentis duas rotas ipsum corpus ecclesiæ, quæ vertitur super duabus rotis, scilicet veteri et novo testamento; et sub specie gryphi trahentis currum figurat ipsum Christum et bene. Gryphus enim partim est fera habens corpus leoninum, partim avis habens alas et faciem aquilæ; ita Christus Deus et homo: et sicut gryphus currit per terram et volat per aerem fortis et terribilis, ut leo nobilis, et altus ut aquila rapiens et prosternens hostem sicut gryphus equum; et sicut hoc animal non est notum per experimenta philosophorum vel rationes naturales, sed solum per scripturas, ita recte Christus: et sicut gryphus in montibus altis remotis ab hominibus et ab habitatione hominum custodit aurum et gemmas, ita Christus in isto monte altissimo remoto ab habitatione hominum custodit ista pretiosa jocalia. Ad literam ergo dicit poeta: *Lo spazio dentro a lor quattro,* scilicet, animalia, quia quatuor

(1) E. scilicet quod sint. (2) E. erant enim facies.

evangelistæ præcipue muniunt istum currum; *un carro triunfale in su due ruote,* quæ etiam possunt dici duæ vitæ, activa et contemplativa, vel duo populi judaicus et gentilis, *ch' al collo d' un grifon,* qui habet caput aquilæ, *tratto venne;* quia Christus est qui trahit ecclesiam ad se. Et subdit actum gryphi ([1]) dicens: *et esso,* scilicet, gryphus, *tendea su,* versus cœlum, *l' una e l' altr' ale,* per intus septem listas, unde dicit: *tra la mezzana e le tre e tre liste;* quod est dicere inter tres et tres lineas, media remanente inter utramque alam, ita quod gryphus in medio duarum alarum continebat lineam mediam, et habebat ab uno latere tres lineas, ab alio alias tres. Et dicunt aliqui quod istæ septem lineæ sunt septem sacramenta ecclesiæ. Et dicit: *sì ch' a nulla,* scilicet, listæ, *fendendo,* idest, secando, *facea male;* quia nullum sacramentum confundebat: erant autem istæ septem lineæ reverberationes candelabrorum, quæ præcesserant. Et tangit utramque naturam Christi in uno corpore, dicens: *tanto salivan che non eran viste;* quia nec oculus corporalis, nec intellectualis * potest videre divinitatem; ideo bene dicit: et ille gryphus, *le membra d' oro avea, quant' era uccello,* quantum ad divinitatem, quæ est incorruptibilis, immortalis * ([2]), *e bianche l' altre,* quantum ad carnem humanam puram. Et dicit: *di vermiglio miste,* quia sanguine rubricata in ipsa passione ([3]). — *Non.* Nunc poeta volens exaltare supereminentiam ([4]) currus et ducis triumphalis, dicit, quod non potest invenire comparationem dignam; tamen inter gloriosissimos duces triumphales nominat duos plus accedentes ad propositum: quorum alter rempublicam periclitantem mirabiliter recuperavit,

---

([1]) E. gryphonis.
([2]) Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri tre Codici.
([3]) E. passione eiusdem Domini Jesu Christi. — *Non.*
([4]) 117, superexcellentiam.

alter ipsam felicissime ordinavit: et sic vide quantum comparatio sit convenientissima. Scipio enim virtuosissimus hominum propter eius vitam et virtutes creditus fuit filius Dei a juventute visitans templum; et Octavianus propter eius felicitatem dedit pacem mundo, quem fluentem in vitia alta providentia reformavit, qui habitus est pro Deo in vita et post mortem. Quo tempore et sub cuius imperio natus (1) est Christus redemptor mundi, qui attulit veram pacem, et vitia expulit. Ipse etiam Augustus, ut dicit Svetonius, habuit a nativitate in pectore et ventre notas in modum et formam et numerum cœlestis ursæ; quod fuit evidens signum, quod omnes habitantes terram regerentur ab eo, sicut omnes navigantes reguntur ab ursa. Hoc autem excellentissime convenit (2) Christo. Ad literam ergo, dicit poeta: *Non che Roma,* quasi dicat, non est verum quod Roma, *rallegrasse Affricano,* intellige de Africano maiore per excellentiam, cuius triumphus ex Africa fuit gloriosissimus omnium, ut ait Livius, *ovvero Augusto,* dictus Octavianus, qui non tantum auxit imperium quantum Christus ecclesiam; qui Augustus tres triumphos duxit in triduo, ut dicit Svetonius idem. Et quia exemplum humanum non sufficit ostendit etiam cœleste non sufficere, dicens: *ma quel del sol,* idest, currus solaris, qui dicitur trahi a quatuor equis, sicut olim currus triumphalis, *sería povero con ello,* comparatus illi currui, licet habeat tantum duas rotas: et supervagatur alludens fabulæ Phætontis, quæ jam posita et exposita fuit supra, de qua dicit Plato in Tymeo, quod non fuit fabula, sed res vera, sub qua tangitur naturale incendium etc. Dicit ergo: *quel del sole,* quasi dicat, currum dico, *che sviando,* quia excessit mo-

(1) E. natus est Redemptor mundi pretiosissimus Dominus noster Jesus Christus, qui attulit.

(2) E. convenit Domino Jesu Christo.

dum solitum caloris, *fu combusto,* idest, fulminatus a Jove cum ipso Phætonte, *per l' orazion della terra divota;* unde Ovidius introducit terram quæ ardens porrigit querelam ad Jovem, quod pro tot beneficiis suis patiebatur indignum supplicium, et meruit exaudiri; unde dicit: *quando fu Giove arcanamente giusto.* Hoc dicit quia Juppiter fulminavit Phætontem secrete sine tonitru, sine nubibus, quod est impossibile per naturam, ut dicit Albertus: *natura compescuit ignibus ignes.* — *Tre.* Hic poeta quia descripserat septem candelabra et septem flammas præcedentia currum, nunc describit septem virgines comitantes ipsum currum: nam post septem dona et septem sacramenta bene sequuntur septem virtutes. Et primo quidem describit tres excellentiores quantum ad actum et quantum ad habitum, dicens: *Tre donne,* virtutes theologicæ, *venian danzando,* faciendo festum et gaudium coram sponso ecclesiæ, *in giro,* more tripudiantium, *dalla destra ruota,* ex parte novi testamenti, quia tempore novi testamenti fuerunt notæ istæ tres dominæ; et ecce: *l' una tanto rossa,* scilicet, caritas, *ch' a pena fora nota,* idest, esset cognita, *dentro al fuoco;* quia caritas incendit et inflammat hominem ad amorem Dei et proximi plusquam aliquis ignis. Hæc enim fecit Laurentium lætum inter flammas, hæc fecit Euryalum fortem inter tela et enses; et ita de multis; *l' altra,* scilicet, spes, *era come se la carne e l' ossa fossero state fatte di smeraldo,* qui est lapis viridis coloris, et significat viriditatem spei; *la terza,* scilicet, fides, *parea neve testè,* idest modo, *mossa,* quasi dicat, erat albissima propter puritatem fidei maximam. Et subdit alternas vices illarum dominarum, dicens: *et or parean dalla bianca tratte,* scilicet, a fide tripudiando; per quod figurat quod aliquando spes et caritas trahuntur a fide, idest, quia prius est fides in anima, ex qua insurgunt et creantur spes et

caritas; *et or dalla rossa,* idest, a caritate; caritas enim, quæ est amor, ducit et vehit in animum hominis fidem et spem. Et dicit quod ista principissa dabat normam et formam ambulandi aliis, dicens: *e dal canto di questa,* idest, a parte rubeæ, *l' altre,* scilicet, alba et viridis, *togliè'n l' andar e tarde e ratte;* quia secundum quod quis habet de caritate, habet de fide et spe. —*Dalla.* Hic poeta describit reliquas ab actu et habitu, dicens: *Dalla sinistra,* idest, veteri (¹) testamento, *quattro,* scilicet, virtutes cardinales, *facean festa,* similiter corizantes, quia virtutes morales viguerunt in antiquis, et veteri testamento, ut ostensum est primo capitulo huius Purgatorii; illæ dico, *vestite in porpora,* qua olim induebantur principes, et istæ principantur super virtutes morales ad quas cæteræ reducuntur; et harum quatuor una est principalissima, et (²) regit cæteras; unde est magis virtus intellectualis quam moralis, ut vult philosophus. Dicit ergo: *dietro al modo d' una di lor,* scilicet, prudentia, *ch' avea tre occhi in testa,* quia respicit præterita, præsentia et futura, et est regina omnium, quia nulla virtus potest haberi sine prudentia; sed prudentia bene potest haberi sine aliis. — *Appresso.* Nunc poeta describit duos seniores qui sequebantur ad custodiam currus. Et ad huius literæ intelligentiam, quæ multis est occulta, est primo sciendum, quod aliqui dicunt quod isti duo senes sunt Henoch et Elias positi in isto paradiso jam per tot secula et mansuri usque in diem Judicii; ideo bene dicuntur senes. Sed ista expositio nimis est a longe, quia isti non sunt deputati ad custodiam istius currus. Alii (³) dicunt, quod sunt Moyses et Aaron; nec istud valet, quia isti fuerunt duces in veteri testamento. Alii dicunt quod sunt Paulus et Lucas, qui dicitur fuisse primo medicus

(¹) 117, a veteri. (²) 117, quia regit. (³) 117, Aliqui dicunt.

temporalis, deinde spiritualis animarum: nec isti bene dicunt, quia Lucas jam numeratus est inter evangelistas inter quos erat currus; sed mihi videtur quod isti duo sunt [1] duo principes apostolorum, scilicet, Petrus et Paulus: quorum Paulum figurat cum ense, quia rimatur profunda scripturarum, vel quia vulnerat et ferit pungendo, increpando, mordendo. Petrum vero repræsentat in habitu medici, quia habuit sanare vulnera animarum solvendo et parcendo; et primo curavit se ipsum. Nunc ad literam poeta describit istos duos quoad habitum et actum, dicens: *Appresso tutto il pertrattato nodo,* idest, post passum difficilem, quem tanta arte descripsit, *vidi duo vecchi in abito dispàri,* idest, dissimiles, quia unus in habitu medici, alter militari, *ma pari in atto,* quia ambo apostoli, nuntii Christi, pugiles fidei, qui ad unum finem militaverunt; ideo bene dicit: *et onestato e sodo,* quia maturo et gravi. — *L' un.* Hic poeta describit specialiter utrumque horum, dicens: *L' un,* scilicet, Petrus, *si mostrava alcun de' famigliari,* idest, medicorum, *di quel sommo Ippocrate,* qui fuit antiquitus peritissimus medicus, ut dictum est Inferni capitulo VI, *che,* idest, quem, *natura fece agli animali,* idest, hominibus, *ch' ella ha più cari;* quasi dicat: natura providit saluti hominum de auxilio medicorum, propter quem omnia facta sunt; *l' altro,* scilicet, Paulus, *mostrava la contraria cura,* idest, artem contrariam medico, *con una spada lucida et acuta,* quam bene exercuit in claritate fidei, *tal che di qua dal rio mi fe paura,* scilicet, citra Lethæum, quia rigidus videbatur pro defensione currus; unde Paradisi capitulo XXIIII Beatrix loquens de Paulo dicit ad Petrum, *Che mise teco Roma nel buon filo.* — *Poi.* Hic poeta describit breviter quatuor doctores in habitu humili, dicens:

---

[1] E. sunt principes.

caritas; *et or dalla rossa,* idest, a caritate; caritas enim, quæ est amor, ducit et vehit in animum hominis fidem et spem. Et dicit quod ista principissa dabat normam et formam ambulandi aliis, dicens: *e dal canto di questa,* idest, a parte rubeæ, *l' altre,* scilicet, alba et viridis, *toglièn l' andar e tarde e ratte;* quia secundum quod quis habet de caritate, habet de fide et spe. —*Dalla.* Hic poeta describit reliquas ab actu et habitu, dicens: *Dalla sinistra,* idest, veteri (¹) testamento, *quattro,* scilicet, virtutes cardinales, *facean festa,* similiter corizantes, quia virtutes morales viguerunt in antiquis, et veteri testamento, ut ostensum est primo capitulo huius Purgatorii; illæ dico, *vestite in porpora,* qua olim induebantur principes, et istæ principantur super virtutes morales ad quas cæteræ reducuntur; et harum quatuor una est principalissima, et (²) regit cæteras; unde est magis virtus intellectualis quam moralis, ut vult philosophus. Dicit ergo: *dietro al modo d' una di lor,* scilicet, prudentia, *ch' avea tre occhi in testa,* quia respicit præterita, præsentia et futura, et est regina omnium, quia nulla virtus potest haberi sine prudentia; sed prudentia bene potest haberi sine aliis. — *Appresso.* Nunc poeta describit duos seniores qui sequebantur ad custodiam currus. Et ad huius literæ intelligentiam, quæ multis est occulta, est primo sciendum, quod aliqui dicunt quod isti duo senes sunt Henoch et Elias positi in isto paradiso jam per tot secula et mansuri usque in diem Judicii; ideo bene dicuntur senes. Sed ista expositio nimis est a longe, quia isti non sunt deputati ad custodiam istius currus. Alii (³) dicunt, quod sunt Moyses et Aaron; nec istud valet, quia isti fuerunt duces in veteri testamento. Alii dicunt quod sunt Paulus et Lucas, qui dicitur fuisse primo medicus

(¹) 117, a veteri. (²) 117, quia regit. (³) 117, Aliqui dicunt.

temporalis, deinde spiritualis animarum: nec isti bene dicunt, quia Lucas jam numeratus est inter evangelistas inter quos erat currus; sed mihi videtur quod isti duo sunt (¹) duo principes apostolorum, scilicet, Petrus et Paulus: quorum Paulum figurat cum ense, quia rimatur profunda scripturarum, vel quia vulnerat et ferit pungendo, increpando, mordendo. Petrum vero repræsentat in habitu medici, quia habuit sanare vulnera animarum solvendo et parcendo; et primo curavit se ipsum. Nunc ad literam poeta describit istos duos quoad habitum et actum, dicens: *Appresso tutto il pertrattato nodo,* idest, post passum difficilem, quem tanta arte descripsit, *vidi duo vecchi in abito dispàri,* idest, dissimiles, quia unus in habitu medici, alter militari, *ma pari in atto,* quia ambo apostoli, nuntii Christi, pugiles fidei, qui ad unum finem militaverunt; ideo bene dicit: *et onestato e sodo,* quia maturo et gravi. — *L' un.* Hic poeta describit specialiter utrumque horum, dicens: *L' un,* scilicet, Petrus, *si mostrava alcun de' famigliari,* idest, medicorum, *di quel sommo Ippocrate,* qui fuit antiquitus peritissimus medicus, ut dictum est Inferni capitulo VI, *che,* idest, quem, *natura fece agli animali,* idest, hominibus, *ch' ella ha più cari;* quasi dicat: natura providit saluti hominum de auxilio medicorum, propter quem omnia facta sunt; *l' altro,* scilicet, Paulus, *mostrava la contraria cura,* idest, artem contrariam medico, *con una spada lucida et acuta,* quam bene exercuit in claritate fidei, *tal che di qua dal rio mi fe paura,* scilicet, citra Lethæum, quia rigidus videbatur pro defensione currus; unde Paradisi capitulo XXIIII Beatrix loquens de Paulo dicit ad Petrum, *Che mise teco Roma nel buon filo.* — *Poi.* Hic poeta describit breviter quatuor doctores in habitu humili, dicens:

(¹) E. sunt principes.

Poi vidi quattro in umile paruta; quia si Paulus fecerat mihi timorem cum ense, isti fecerunt mihi spem cum penna declarando mihi dicta Pauli et aliarum scripturarum. Horum primus est Augustinus excellentissimus in disputatione, malleus hæreticorum. Secundus Hieronymus excellens in historiis, qui omnia novisse videtur. Tertius Ambrosius potens prædicatione. Quartus Gregorius in moralitate. De omnibus istis dicetur plenius in Paradiso. Et ultimo poeta nominat unum senem, quem fingit venire ([1]) dormientem, quem multi dicunt esse Joannem evangelistam, qui obdormuit supra pectus Domini: sed hoc non videtur conveniens, tum quia ponitur post doctores quos tanto tempore præcessit, tum quia jam positus est supra, tum quia juvenis; sed credo quod loquatur de beato Bernardo. Unde sicut posuit supra Mathildim modernam pro vita activa in paradiso deliciarum in fine Purgatorii, ita ponit Bernardum modernum pro vita contemplativa in fine Paradisi. Isti ergo maxime conveniunt quæ hic dicit poeta, quia fuit senex venerabilis et doctor magnus; ideo statim ponit eum post doctores. Dicit ergo: *e diretro da tutti,* post doctores, *vidi venir un vecchio solo,* quia Bernardus fuit valde solitarius, *dormendo,* quia contemplativus nimis, *con la faccia arguta;* quia fuit audax multum contra vitiosos, ut patebit Paradisi penultimo. Alii etiam volunt quod loquatur de Thoma de Aquino, sed non ita bene convenit, quia juvenis fuit; nec dicas sicut quidam: quomodo ponit hic Bernardum quem ponit in paradiso? quia etiam in paradiso ponit Petrum, Paulum et Joannem: hic ergo ponit eos in ecclesia militante, ibi vero in triumphante. — *Questi.* Hic poeta ponit convenientiam et differentiam habitus istorum ad primos, dicens: *questi selle,* scilicet,

---

([1]) E. invenire.

quatuor doctores, et Petrus, Paulus et Bernardus, *erano abituati,* vestibus albis, *col primo stuolo,* idest, exercitu viginti quatuor seniorum, tamen differebant in corona; unde dicit: *ma non facean brolo,* idest, ghirlandam, *di gigli,* sicut primi faciebant, *anzi di rose,* supple, rubeis, *e d' altri fior vermigli:* hoc innuit quia fuerunt ardentiores in caritate quam primi. Unde dicit: *aspetto poco lontano,* idest, visus propinquus qui non errasset per distantiam, sicut supra accipiendo candelabra pro arboribus, *avria giurato,* idest, jurare potuisset et firmare, *che tutti ardessero,* ab illo rubore, *di sopra dai cigli,* scilicet, in capite, ubi stat corona. Et subdit quomodo exercitus se firmavit, claudens capitulum; unde dicit: *un tuon,* idest, terribilis sonus, quia fuit vox divina, *s' udio,* ab omnibus [1], *e quelle anime degne,* tanta beatitudine, *parvero aver interdetto,* idest, vetitum, *l' andar più,* idest, magis ultra, *fermandos' ivi,* idest, arrestando se, *con le prime insegne,* scilicet, luminaribus quæ ostendebant viam omnibus, *quando il carro a me fu a rimpetto,* contra faciem meam. Et per hoc notat tacite quod Deus fecit sibi tantam gratiam, quod ipse viderit ista, ut describeret aliis videnda et cognoscenda.

---

[1] E. ab hominibus, *e quelle.*

CANTUS TRIGESIMUS, *in quo tractat sicut Beatrix apparuit ei induta flammis; et sicut illa domina quæ apparuit Danti prius multa receptavit Beatrici de crimine Dantis cur ipse relinquerat eam pro aliis vanis; et sicut Dantes ploravit coram ipsa se pudens.*

Quando il settentrion del primo cielo. Postquam in præcedenti capitulo poeta noster descripsit figuraliter ecclesiam Dei militantem, nunc consequenter in isto XXX capitulo introducit Beatricem, quæ docet utramque ecclesiam ut per militantem præparet eum ad triumphantem. Et præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales; in prima quarum continuans se ad præcedentia, ostendit qualiter exercitus iste victoriosus posuerit campum. In secunda describit ipsam Beatricem in habitu et actu, ibi: *Io vidi già.* In tertia increpationem illius ad se, et increpationis effectum, ibi: *Quasi ammiraglio.* In quarta et ultima Beatrix facit magnam commendationem de Dante, ut evidentius arguat eius errorem, ibi: *Ella, pur ferma.* Ad primum veniens dico quod poeta ostendit quomodo exercitus suprascriptus primo fuerit castrametatus per unam comparationem subtilissimam et propriissimam; ideo est hic insistendum specialiter, quia textus iste est obscurus et male expositus a plurimis; ideo antequam veniam ad literam, sententiam enucleabo. Igitur nota, lector, quod poeta in effectu non vult aliud dicere nisi quod sicut constellatio septemtrionalis, quæ dicitur currus, constans ex septem stellis ubi est tramontana, dirigit omnes navigantes in mundo nostro in via sua et ad portum suum; ita recte a simili, ista septem candelabra quæ sunt septem dona Spiritus sancti, tamquam cœle-

stis constellatio dirigebant omnes euntes juxta istam aquam, et omnes sequebantur eorum motum vel statum. Modo ad propositum dicit poeta, quod tota militia illa firmavit se, firmatis illis candelabris quæ tamquam signa præcedebant. Nunc expone et construe sic literam, quæ est intricata, et incipe ibi: *La gente verace,* quæ levata supra fallacias mundi docet omnem veritatem, sicut patet in libris Bibliæ, *venuta prima tra il grifone,* idest, quæ præcesserat currum tractum a gryphone, *s' affisse ferma,* idest, arrestavit se firmiter, ut prædictum est in fine præcedentis capituli; *et esso,* scilicet, grypho qui est Christus, *volse sè al carro,* firmans se ibi, *come a sua pace,* custodiens ecclesiam contra omnia bella; hoc autem fecit gens ista tunc; redi supra, *quando il settentrion,* qui constat ex septem candelabris ardentibus, sicut constellatio ursæ constat ex septem stellis lucentibus, *del primo cielo,* scilicet, empyreo, quia venit immediate a Deo, ubi noster septemtrio est in octavo cœlo, scilicet firmamento; et hic supple unum verbum, *s' affisse.* Et dicit, *che,* idest, qui septemtrio Spiritus sancti, *nè mai seppe occaso nè orto,* quia nunquam habuit principium neque finem, et nunquam occultatur videre volenti, sed est perpetuæ apparitionis, sicut et currus nostri poli; *nè,* supple, scivit, *velo d' altra nebbia, che di colpa.* Sensus est quod nulla nubes vel nebula potest eripere nobis conspectum istius septemtrionis ad modum quo eripit nobis visum cœlorum et stellarum, nisi sola culpa peccati, quia ignorantia peccati est quoddam velum inter Deum et hominem. Et tangit virtutem et officium huius septemtrionis, dicens; *e che facea lì,* idest, in illa sylva, *ciascuno accorto di suo dovere,* idest, debiti, quia, scilicet docet unumquemque quid facere debeat, et dirigit in finem suum more nostri septemtrionis; unde dicit, *come 'l più basso,* scilicet, septemtrio noster ubi est tramontana,

face, idest, facit accortum, *qual gira timon,* idest, quicumque gubernat navim in mari nostro, *per venir a porto* ([1]): vult ergo dicere quod septemtrio superior septem candelabrorum ardentium, dirigit omnem militantem in ista ecclesia ad portum salutis, sicut inferior in septem stellis lucentibus, dirigit omnem navigantem in nostro mari inferiori ad portum quietis. — *Et un.* Nunc poeta describit solemne festum et gaudium celebratum supra currum et gryphum: et primo quidem introducit unum senem cantantem laudes ipsius ecclesiæ. Et ad intelligentiam literæ debes scire, quod hic erat Salomon qui inter alios fecit librum qui intitulatur Cantica Canticorum, in quo sub typo describit statum ecclesiæ introducens sponsum et sponsam, idest Christum et ecclesiam ad loquendum mutuo; ideo merito poeta introducit ([2]) Salomonem hic festantem, dicens: *Et un di loro,* de numero illorum seniorum, scilicet Salomon, *quasi dal ciel messo,* quia Salomon habuit sapientiam a Domino ([3]) et maxima dona gratiarum, et tamen tamquam homo nimis enormiter erravit; ideo dixit, *quasi gridò cantando tre volte: Veni, sponsa, de Libano.* Ista verba scripta in prædicto libro Canticorum sunt verba sponsi, idest, Christi, qui dicit ad sponsam, idest ecclesiam: Veni sponsa mea odorifera. Libanum enim est mons Arabiæ, ubi nascitur thus quod etiam dicitur olibanum, sicut patet per Bernardum, qui pulcre scribit super istum librum ([4]); et cæteri confirmaverunt dictum Salomonis. Unde dicit: *e tutti gli altri,* scilicet, seniores, *appresso,* clamaverunt cantando. — *Quali.* Hic poeta, ostenso quod Salomon cum suis senioribus decantavit laudes sponsæ, introducit multitudinem angelorum decantantium laudes sponsi, per

---

([1]) E. *a porto;* utile ergo est, et vult dicere.
([2]) E. introducit senem, idest Salomonem.
([3]) E. a Domino Deo, et maxima. ([4]) E. librum Canticorum; et.

unam comparationem claram et propriam, dicens: quod ita angeli subito surrexerunt de biga ad cantum Salomonis, sicut boni resurgent de sepultura ad sonum angeli. Dicit ergo: *Cento,* scilicet, angeli, et ponit finitum pro infinito, *ministri et messaggier di vita eterna,* quia angeli sunt missi a Deo famulantes ei, *si levar,* ad vocem tanti senis, scilicet, Salomonis, quia fuit senex ætate et sapientia, *in su la divina basterna,* idest, super illum sanctum (1) currum ecclesiæ Dei. Est enim basterna vehiculum itineris, sic dicta, quasi vesterna, quia vestibus mollibus(2) sternitur, et a duobus animalibus trahitur, in qua mulieres nobiles deferuntur: et sic vide quantum metaphora sit propria, quia ista biga ducitur in via quæ (3) peregrinatur in ista vita, et trahitur ab animali duarum naturarum, et est multipliciter adornata, in qua defertur nobilissima domina, scilicet Beatrix; ministri, dico, *cotali quali i beati sorgeran presto,* subito, *ognun,* idest, quilibet, *di sua caverna,* scilicet, sepultura, *al novissimo bando,* idest, ultima die judicii quando angelus proclamabit: *Surgite mortui,* etc. *alleluiando,* idest, cum gaudio cantando alleluia, quod nomen hebraicum sonat secundum unam expositionem: *Salvum me fac, Domine;* quod bene competit ipsis; et dicit, *la voce rivestita,* scilicet, a corpore, quasi dicat, resumptis (4) organis corporalibus, ita quod (5) tunc erit perfectior. Et sic vide quantum comparatio sit propria ex omni (6) parte, de beatis ad angelos, de basterna ad cavernam, de voce angeli ad vocem Salomonis. — *Tutti.* Hic poeta describit ipsum cantum angelorum super laudem gryphi sive sponsi; et dicit breviter quod dicebant illud quod dictum fuit sibi in die Palmarum a filiis Israel festantibus et cantantibus

(1) E. e 117, sacrum.
(2) E. mobilibus.
(3) E. qua.
(4) E. reasumptis.
(5) 117, quod vox tunc erat.
(6) E. ex omni sui parte, scilicet de beatis.

in eius honorem. Unde dicit: *Tutti dicevan: Benedictus qui venis* in nomine Domini etc. Et dicit: *e gittando fiori,* illi angeli, repete, dicebant, *o date lilia plenis manibus.* Ad cuius literæ intelligentiam debes scire quod sicut fingit Virgilius VI Eneidos, Eneas ductus ad infernum per Sybillam reperiit in loco amœno virorum illustrium Anchisem patrem suum, qui inter alia ostendit sibi animas virorum illustrium romanorum, qui debebant descendere in genere suo, inter quos ostendit [1] animam gloriosam Marcelli nepotis Augusti ex sorore, qui adolescentulus miræ indolis omnibus gratus et dilectus acerba morte raptus est in ipso flore ætatis. Modo ad propositum Anchises fecit magnam commendationem supra Marcellum, et volens facere festum, dixit: *Tu Marcellus eris manibus date lilia plenis;* quasi diceret: date mihi de floribus in magna copia ut respergam juvenem istum. In hoc autem Virgilius applaudit Augusto, quod [2] nimis dilexerat puerum istum; unde non potuit continere lacrymas cum Virgilius in recitatione pervenisset ad istum passum; mater etiam pueri nunquam voluit recipere consolationem usque ad mortem: ita nunc in proposito dicit poeta quod nunc angeli cum cantu et jubilo clamabant petentes flores quibus exornarent currum. Et hic nota, lector, quod quidam sapientes aliter exponunt literam istam: dicunt enim quod ista solemnitas magna facta est hic pro conversione autoris; unde exponunt illud, *benedictus qui venis,* o tu Dantes; sed mihi videtur quod litera habeat [3] altiorem intellectum secundum quod jam exposui; nam poeta volens facere venerationem et investigationem Beatricis totiens sibi promissæ et tamdiu expectatæ, facit præparationem ad hoc inducens magnum senem qui invitat ecclesiam, dicens: *Veni sponsa de Li-*

---

(1) 117, ostendit sibi animam. (2) E. qui nimis.
(3) E. habeat clariorem et altiorem.

bano. Et continuo ad vocem eius surrexerunt angeli de curru jacientes flores, inter quos erat Beatrix ipsa, quæ primo quiescebat in gremio istius currus, et non apparebat, sed exivit in lucem per manus istorum, sicut optime declarat litera sequens.

Io vidi già. Ista est secunda pars huius capituli, in qua poeta noster describit Beatricem, primo apparentem sibi, per unam comparationem nobilem solis orientis, quæ breviter stat in hoc, quod Beatrix nunc visa est sibi apparere debiliter ibi inter nubes florum, sicut aliquando sol visus est (1) sibi oriri in mundo nostro inter vapores, ita quod * radii debiliter veniebant ad visum eius, ita quod * (2) poterat illos substinere. Præmittit ergo primo casum, dicens: *Io vidi già nel cominciar del giorno,* idest, in principio diei, *la parte oriental,* scilicet, cœli, *tutta rosata,* idest, rubeam a vaporibus, *e l' altro ciel,* ab oriente, *di bel sereno adorno,* sine nubibus clarum, *e la faccia del sol,* *supple, vidi, *nascer ombrata,* a nubibus tenuissimis, *sì che l' occhio lo sostenea lunga fiata per temperanza di vapori* (3); quod aliter facere non potuisset, quia vapores temperant potentiam luminis solaris: ita nunc vidit Beatricem. Et sic vide quantum comparatio est propria (4): Beatrix enim est tanquam sol illuminans istum currum; et sicut oculus humanus non potest substinere splendorem solis nisi per medium vaporum, ita intellectus humanus non potest videre splendorem Beatricis nisi per medium istorum florum, sicut statim sequitur. — *Così.* Hic poeta applicans dictam (5) positionem ad propositum describit ipsam apparitionem Beatricis in suo habitu. Et dicit breviter, quod mulier velata velo albo cum corona olivæ desuper, et induta tunica rubea

(1) E. est sub ortu in mundo.
(2) Le parole fra i due asterischi son supplite dal Codice 117.
(3) E. *vapori,* quasi dicat, aliter. (4) 117, pulcra. (5) 117, istam.

et chlamyde viridi, apparuit sibi intra illos flores. Dicit ergo : *Donna,* scilicet, Beatrix, supereminens cæteris, *m' apparve così,* sicut dictum est de ortu solis, *dentro una nuvola di fiori,* quia tanta erat multitudo (1), quod faciebat quasi nubem, *che saliva dalle mani angeliche,* dictorum angelorum, *e ricadeva giù dentro,* intra currum, *e di fuori,* circa currum. Et hic nota quod ista nubes florum figuraliter est aggregatio librorum facta ex floribus dictis (2) a manibus doctorum et scriptorum, qui habuerunt intellectus angelicos, vere (3) missi a Deo ad dandam scripturam (4) hominibus; ideo bene fingit quod Beatrix apparuit (5) sibi inter istos flores; *donna,* dico, *cinta d' oliva,* idest, habens caput cinctum corona olivæ, quæ ponitur pro sapientia; est enim (6) arbor dedicata Minervæ, sicut dicitur (7) infra; *sopra candido velo,* quia in capite velato habebat coronam (8), et per velum album intellige puram fidem quæ stat sub velamine; nam fides incipit ubi rationis deficit argumentum; *sotto verde manto,* per hoc intellige spem sub qua viget sacra scientia, *vestita di color di fiamma viva;* per hoc intellige caritatem quæ est vivacior et ardentior, ideo reponitur interius: et respice quod autor in præcedenti capitulo repræsentavit dictas tres virtutes divinas sub prædictis tribus coloribus. — *E lo spirito.* Nunc poeta ostendit quomodo devenerit (9) in cognitionem Beatricis. Sed ad pleniorem cognitionem eorum, quæ dicuntur hic et in capitulo sequenti de ista Beatrice, volo te scire quod cum quidam Fulcus Portinarius, honorabilis civis Florentiæ, de more faceret (10) celebre convivium kalendis maii, con-

(1) E. multitudo florum, quod.
(2) E. dictis ab ore doctorum et a manibus scriptorum.
(3) E. et vere.
(4) 117, scripturam sacram hominibus.
(5) E. apparuerit.
(6) E. est enim oliva arbor.
(7) E. dicetur.
(8) E. coronam hanc, et per.
(9) E. devenit.
(10) E. faceret celebrari convivium.

vocatis vicinis cum dominabus eorum, Dantes tunc puerulus novem annorum secutus patrem suum Aldigherium, qui erat unus de numero convivarum, vidit a casu inter alias puellas puellulam filiam præfati Fulci, cui nomen erat Beatrix, ætatis octo annorum, miræ pulcritudinis, sed maioris honestatis; quæ subito intravit cor eius, ita quod numquam postea recessit (1) ab eo donec illa vixit, sive ex conformitate complexionis et morum, sive ex singulari influentia cœli. Et cum ætate continuo multiplicatæ sunt amorosæ flammæ; ex quo Dantes totus deditus illi quocumque iret pergebat credens in oculis eius videre summam felicitatem, per quam (2) lacrymas, vigilias et infinitas tulit pœnas; tamen hic amor honestissimus semper fuit, ut (3) numquam apparuit signum libidinosi actus in amante vel amata. Hoc autem fuit certissimum prognosticum et augurium futuri amoris, quem habiturus erat ad magnam Beatricem sacram, ad quam erat pronus a natura. Ex his potes videre, quod poeta aliqua dicit historice, aliqua allegorice de Beatrice sua. Nunc ad literam, dicit poeta: *E lo spirito mio,* scilicet, speculatio mea, *che già cotanto tempo,* quia jam fere per decennium, ut dicetur postea, *era stato ch' alla sua presenzia,* cum desiderio revidendi eam, *non era affranto da stupore,* idest remotus ab admiratione. Unde subdit, quod ista prima parvula visio penetravit acute præcordia eius, dicens: *sentì la gran potenzia d' antico amor,* istius mulieris; amor enim res potentissima est præcipue antiquatus, *per occulta vertù che da lei mosse,* idest, ab ea processit; et vere occulta virtus et digna admiratione magna fuit, quod puer primo conspectu puellæ (4)

---

(1) E. recessit a corde suo donec.
(2) E. pro qua lacrymans, vigilias.
(3) 117 e E. adeo ut numquam apparuerit.
(4) 117, puellulæ.

numquam visæ subito ita caperetur et ligaretur: ista ergo scintilla amoris nunc commovit mentem eius, *senza aver più cognoscenzia degli occhi,* idest, quamvis non viderem ipsam ulterius in suis oculis radiantibus sub velo, ita quod recordatus sum oculorum illorum vagorum. — *Tosto.* Hic poeta ostendit qualiter positus in magna agonia recurrit ad Virgilium, sicut semper solebat (1) in arduis, per comparationem valde claram; unde pro continuatione repetens quod dixerat, dicit: *Tosto che l'alta virtù,* idest, quam cito potentia amoris, quam jam vocavit occultam, *che già m' avea trafitto,* idest, quæ olim vulneraverat me suis telis aureis, *prima ch' io fuor di puerizia fosse,* quasi dicat, dum essem adhuc puer, *mi percosse nella vista,* idest, in oculos (2), in quibus incipit vis amoris, tunc statim, *volsimi alla sinistra,* ubi credebam Virgilium esse, *col rispitto,* idest, respectu, *col qual il fantolin corre alla mamma,* idest, matrem vel nutricem; *quando ha paura, o quando egli è afflitto,* scilicet, alia passione, sicut amore alicuius rei, *per dicer a Virgilio: men che dramma,* quasi dicat, minimum; est enim drachma parvula pars ponderis, quo vocabulo multum utuntur medici, *di sangue m' è rimasa, che non tremi,* quia amor inducit timorem, et timor tremorem; unde dicit, *conosco i segni dell' antica fiamma,* scilicet, amoris: hoc autem dicit Virgilius de Didone, quasi dicat tacite Dantes, non ita Dido arsit amore subito viso Enea. — *Ma.* Hic poeta ostendit suum refugium fuisse vanum, quia Virgilius recesserat, de quo multum conqueritur et dolet. Et hic adverte quod multi mirantur de eo quod Dantes ita nude tangit recessum Virgilii a se quod non perpendit, quod non dixit vale, imo nec fecit verbum; sed certe poeta noster hoc non fingit sine ministerio magno: per hoc

(1) E. solet. (2) E. in oculis.

enim relinquit tacite lectori considerandum, quod ad primum conspectum istius mulieris altæ ipse fuit stupore percussus; sed Virgilius timore territus statim evanuit a facie istius mulieris potentis, quam viderat surgere inter manus angelorum, idest theologorum, et refugit ad infernum ad standum inter philosophos et poetas; et voluisset libenter dicere Danti: amodo relinquo te manibus istorum qui loquuntur cum Deo, sed timor non permisit. Dicit ergo poeta: *Ma Virgilio n' avea lasciati scemi di se,* scilicet me et Statium christianum, qui et ipse tendebat ad cœlum. Et dicit: *Virgilio, dolcissimo padre,* idest [1], videbatur sibi amarissimum dimittere tantum poetam qui fecerat sibi viam; et repetit ad cumulum maioris doloris: *Virgilio a cui diemi per mia salute,* quia commisi me regendum et ducendum sibi, ut patuit primo et secundo capitulo Inferni. — *Nè.* Hic poeta post querelam tangit planctum suum, et vult breviter dicere, quod tota felicitas illius loci non potuit obsistere, ne prorumperet in lacrymas, tanta fuit vis doloris. Dicit ergo: *Nè quantunque,* idest, quicquid deliciarum, *perdeo l' antica madre,* idest perdidit Eva, *valse alle guance,* idest, profecit genis meis, *nette di rugiada,* quia Virgilius laverat sibi faciem rore in maritima illa, vel dic genis non madidis rore, qui non cadit ibi, quasi dicat: ubi nulla potest esse alteratio, ubi non potest pluere ego ploravi. Ideo dicit: *che lagrimando non tornasser adre,* idest, atræ vel obscuræ, sicut accidit in planctu. Et non mireris, lector, si Dantes dimisit Virgilium cum planctu et lacrymis, cui dederat operam a pueritia, secundum illud Augustini primo de Civitate Dei circa principium; Virgilium ideo pueri legunt ut poeta magnus omniumque præclarissimus atque optimus teneris ebibitus annis

---

[1] E. e 117, ideo videbatur.

numquam possit oblivione aboleri etc. Et introducit Beatricem indignantem super planctu eius, quæ interpellans eum nomine proprio, dicit: *o Dante, perchè Virgilio se ne vada,* loquitur irate, *non pianger anco, non pianger ancora,* quia nondum habes causam flendi, *chè pianger ti convien per altra spada;* quia pungam (1) te acutius et fortius, quasi dicat tacite: quia non solum nimis Virgilium coluisti, sed simul me deseruisti, sicut (2) dicet plenius infra.

Quasi ammiraglio. Ista est tertia pars generalis in qua poeta describit increpationem Beatricis ad se et increpationis effectum. Et primo apparat ipsam tanquam dominam magnæ autoritatis et potestatis per unam nobilem comparationem et pulcram; et dicit quod visa est sibi quasi quidam admiralius magnæ classis, qui discurrens per navigia confortat bene agentes, pigros vero et tardantes dure (3) increpat. Ordina sic literam et construe: *Vidi la donna,* scilicet, Beatricem, *che pria m'apparìo,* inter flores supra currum, *velata,* scilicet, faciem, ut dictum est, *sotto l'angelica vesta,* idest, velo albo, qualis est vestis angelorum, *in su la sponda sinistra del carro,* ex parte veteris testamenti, ubi erant quatuor virgines, *drizzar gli occhi vêr me,* respiciens me torve, *di qua dal rio,* scilicet, Lethæum, ubi eram, *quando mi volsi al suon del nome mio,* scilicet, Dantis, *che di necessità qui si registra,* idest, inscribitur. Et sic vide quam prudenter et caute poeta se excusat, ne videatur jactator et vanus; nam non videtur de more philosophorum inserere nomina propria operibus eorum, nisi raro et ex causa; unde Virgilius juvenis verecunde se nominat: Dantes ergo dicit se non ex vanitate, sed (4) necessitate hoc fecisse. Necessitas autem hic videtur quia Beatrix

(1) E. pungit.
(2) E. ut dicetur plene infra.
(3) E. dire.
(4) E. sed ex necessitate.

ex indignatione et ira nominat (1) eum, sicut solemus facere quando irati minamur iniurianti nobis; vel ideo Beatrix nomen expressit, quia sub ipso nomine tacite videtur tangere eum, quasi dicens: vere es Dantes dans te ad diversa, quia ad philosophiam, ad poetriam, imo quasi omnia gustare voluisti prius quam sacram scientiam. Sic ergo ipsam vidi, *quasi ammiraglio,* præfectus (2) classis, *che viene a veder la gente che ministra,* scilicet, remiges, *per gli altri legni,* extra suum principalem (3) *in poppa et in prora,* discurrens per totam galeam, *e la incuora,* idest, inanimat, *a ben fare,* idest, fortiter navigandum dum tempus habent, vel pugnandum cum casus exigit. Et hic nota quantum comparatio est propria: quoniam ista domina admirabilis more admiralii discurrens per omnium studia sicut per prophetas, evangelistas etc. omnes hortatur ad bene agendum et probiter (4) pugnandum in ista militia; et nunc poetam pungit qui tarde venerat ad militandum jam transcurso medio termino suæ vitæ. — *Tuttochè.* Hic poeta posita dispositione Beatricis versus se, nunc consequenter ponit increpationem eiusdem contra se dicens: et illa domina, *ancor proterva,* idest, rigida vel superba, *nell'atto regalmente,* quia ad modum reginæ iratæ tremenda, *continuò,* ad primum dictum superius, *come colui che dice,* perorans contra aliquem, *e 'l più caldo parlar dietro riserva,* idest, reservat in finem fortiora argumenta ad persuadendum; et ita Beatrix hic incipit a quibusdam communioribus et levioribus: talis ergo et tam rigida videbatur nunc Beatrix licet non posset bene videre eam, impediente velo et serto; unde dicit: *tuttochè,* idest, quamvis, *il velo,* scilicet, album, *che le scendea di testa,* super faciem, *cerchiato dalla fronde di Minerva,* idest, circum-

(1) 117, nominavit.
(2) E. qui est præfectus classis.
(3) E. principale.
(4) 117, fortiter pugnandum.

datum corona olivæ quæ est arbor consecrata Minervæ, quæ est Dea sapientiæ, multiplici ratione; primo, quia sicut oleum supereminet omnibus liquoribus, ita sancta (1) sapientia superexcedit cæteris; secundo, quia oliva semper viret, et ita sapientia numquam aret; tertio, quia oliva est signum pacis, quod bene competit ipsi sapientiæ; quarto, quia, ut scribit Plinius, oliva difficillime crescit, sed longo tempore vivit, et talis rectissime est sapientia vera; quinto, quia Minerva de rei veritate fuit mulier carnea, inventrix multarum et bonarum artium, sicut sapientia (2) facit, quæ hic ponitur sub nomine Beatricis; *non la lasciasse parer manifesta,* quia non bene apparebat turbatio eius. Et ecce quid dixit primo Beatrix: *Guardami ben: ben son, ben son Beatrice,* quasi dicat: Bene sum illa, quam aliquando (3) visus es amare, et postea viliter deseruisti, *come degnasti d' accedere al monte?* pœnitentiæ et virtutum ubi me invenies (4); *non sapei tu che qui è l'uom felice?* quasi dicat, scire debebas, nec huc accedere poteras nisi ego tibi gratiam procurassem. — *Gli occhi.* Hic poeta tangit effectum istius increpationis (5), quia non potuit tenere frontem premente pudore. Unde dicit: *Gli occhi mi cadder giù nel chiaro fonte,* idest, flumen Lethæum, *ma veggendomi in esso,* sicut in speculo sic verecundum, *io trassi all' erba,* ne viderem me ita confusum, *tanta vergogna mi gravò la fronte.* Et ostendit qualiter ira istius mulieris erat bona et utilis, licet non sic videretur prima facie, quia non ex odio sed amore intenso; unde facit comparationem propriissimam, dicens: *così la madre al figlio par superba,* cum tamen non sit, *com' ella parve a me,* et non erat, *perchè 'l sapor della pietate acerba,* in ipsa ira, *sente d' amaro,* cum sit dul-

(1) 117 e E. sacra sapientia.
(2) E. sapientia feminæ, quæ.
(3) 117, aliquotiens.
(4) 117, invenires.
(5) E. contradictionis.

cissimus ab affectione (1) immensa; nam mater diligit filium super omnia et plusquam pater, licet irascatur super errorem filii; unde maledicit ipsum et imprecatur sibi mala ut corrigat illum; et ita nunc Beatrix arguit istum de studio præterito cum tamen dilexit (2) eum singularissime trahendo ipsum ad istam speculationem. — *Ella.* Hic poeta ponit remedium consolationis contra confusionem suam, quia, scilicet, angeli assumpserunt causam suam. Unde dicit continuative: *Ella,* scilicet, Beatrix, *si tacque, e gli angeli cantaro di subito,* pro ipso, ne desperaret, illum psalmum: *In te, Domine, speravi;* et merito hoc fingit quia in isto psalmo tractatur de spe usque ad certam partem eius; unde dicit: *ma oltre pedes meos non passaro.* Vult dicere quod angeli cœperunt cantare psalmum (3) qui incipit: *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum;* sed non cantaverunt (4) nisi usque ad decimum versum, ubi dicit: *Statuisti in loco spatioso pedes meos, et ulterius non processerunt,* quia non plus tractatur ibi de spe, sed imploratur ibi misericordia. Et hic nota quod poeta noster bene fingit habuisse angelos sibi propitios, quia de rei veritate multi et magni doctores ad tempus capti dulcedine poetarum et oratorum neglexerunt sacram scripturam, sicut legitur de Hieronymo, qui dum flagellatus ab angelis interrogaretur quis esset, ipso respondente quod christianus erat, dictum (5) fuit: imo Ciceronianus es tu; et vere ad tempus plus dilexit Tullium quam Christum. — *Sì come.* Hic poeta describit effectum intercessionis angelorum per unam comparationem naturalem et pulcram, quam ponit multum diffuse; sed effectus breviter est, quod cor in eo quod erat inglaciatum ad verba Beatricis, mollifica-

(1) E. affectione ipsa quæ est immensa, quia mater.
(2) 117 e E. dilexerit eum.
(3) 117, psalmum illum qui.
(4) E. cantaverunt ultra decimum.
(5) E. dictum sibi fuit.

tum est ad verba angelorum, ad modum quo nix in arboribus primo congelatur ad ventos frigidos, deinde liquatur ad ventos calidos. Nunc ordina literam et construe sic: *Io fu' già così senza lagrime e sospiri,* scilicet, cum corde indurato et impetrato nimio dolore et pudore, *anzi il cantar di quei,* scilicet, angelorum, *che notan sempre,* idest, canunt, *dietro alle note degli eterni giri,* idest, secundum harmoniam et proportionem (1) cœlorum; *ma lo giel che m' era intorno al cuor ristretto,* idest, gelata confusio quæ inglaciaverat cor meum, *fessi spirito et acqua,* idest, suspiria et lacrymæ, *e uscì del petto,* idest, de corde quod est in pectore, *con angoscia per la bocca e per gli occhi,* cum angustia oris, quia emisit suspiria, et cum angustia oculorum, quia emisit lacrymas; *poi ch' io intesi lor compatir a me,* idest, postquam intellexi compassionem ipsorum angelorum erga me, *nelle dolci tempre,* idest, in dulcibus et temperatis cantibus eorum, *perch' essi,* scilicet, angeli, *avesser detto,* Beatrici (2): *Donna, perchè sì lo stempre?* idest, distemperas ipsum Dantem et exasperas tam dure? modo redi supra: *sì come neve si congela,* idest, glaciatur, *tra le vive travi,* idest, arbores, *per lo dosso d' Italia,* idest, per jugum montis Apennini, qui dividit totam Italiam per medium ab alpibus usque ad pharum Siciliæ; nix, dico, *soffiata,* idest, perflata, *e stretta,* idest, congelata, *dalli venti schiavi,* idest, borealibus, qui veniunt a septemtrione et transeunt per Sclavoniam regionem, ubi sunt vere rigidi, sicut experiuntur miseri naucleri; *poi liquefatta,* idest, resoluta (3), *trapela,* idest, distillat, a simili, *sì che fuoco par fonder la candela,* quasi dicat, sicut cera liquescit ad ignem, ita nix ad ventum australem. Unde dicit: *pur che la terra,* scilicet, australis existens sub æquinoctiali, *che perde ombra,* quia, scilicet,

---

(1) E. proportiones. (2) E. scilicet Beatrici. (3) E. dissoluta.

sol non facit umbram ibi, quia directe ([1]) respicit terram illam, *spiri,* scilicet, austrum. Nunc considera si ista comparatio est ([2]) propria per singulas sui partes; nam bene assimilat montem istum altum amœnum Apennino monti alto et amœno, et arbores Apennini sibi nato inter montes Apennini: nix alba et pura est anima eius hic dealbata et depurata ab omni macula; ventus boreas, qui est rigidus sed sanus, est oratio Beatricis aspera sed utilis penetrans ad cor; ventus ([3]) auster calidus inducens pluvias est cantus angelorum inducens lacrymas et distillare faciens more nivis.

Ella, pur ferma. Ista est quarta et ultima pars generalis, in qua poeta ostendit qualiter Beatrix fecerit magnam commendationem de eo cum maiori increpatione. Et primo ostendit quod Beatrix assignaverit causam suæ increpationis angelis intercedentibus pro eo; unde dicit: *Ella,* scilicet, Beatrix, *pur ferma,* in rigiditate sua, *stando in su la destra coscia,* ita quod videtur transisse a sinistra ad dextram, quæ est novum testamentum; alia tamen litera habet, *in su la detta coscia,* scilicet, sinistra, non mutata, *volse le sue parole così poscia alle sustanzie pie,* idest, ad angelos, qui pie compatiebantur sibi; et ecce quid dixit: *voi vigilate nell' eterno die,* idest, in æternitate, *sì che notte nè sonno,* qui non cadit in vobis, *non fura a voi,* idest, non eripit vobis latenter, *passo,* idest, momentum, vel instans, *che faccia il secol per sue vie,* per decursus temporum; quasi dicat: omnia sunt vobis manifesta, quia videtis in Deo, ideo non est opus quod dicam vobis ([4]) manifesta, errores et culpas istius hominis, quia ita bene scitis sicut ego; sed tamen narrabo ad confusionem eius. Unde dicit: *onde,* idest, ideo, *la mia risposta,* ad vos, *è con più cura, che m' intenda co-*

([1]) 117, recte.
([2]) E. sit propria.
([3]) E. ventus ab austro calidus.
([4]) 117 e E. vobis errores.

lui, idest, magis quam vos, *che di là piagne,* ultra rivum; et ecce causam, *perchè colpa e duolo sia d' una misura,* idest, ut dolor æquetur culpæ, quia tanta debet esse pœna, quanta fuit culpa. — *Non.* Hic Beatrix, ut durius arguat poetam, primo facit magnam commendationem de eo ostendens bonam aptitudinem eius et dispositionem non solum a cœlo, sed etiam a Deo. Ordina sic literam: dicit Beatrix respondens angelis in confusionem poetæ: *Questi,* scilicet, Dantes, *fu tal nella sua vita nuova,* idest, in pueritia: aliqui tamen dicunt in suo tractatu de vita nova, quem fecit in juventute; sed certe istud est ridiculum dicere, quia autor erubescebat de eo in matura ætate, *virtualmente,* idest, aptitudinalitèr et potentialiter, *ch' ogni abito destro,* idest, scientia vel virtus; nam scientia est habitus conclusionis demonstratæ, ut dicit philosophus primo posteriorum; et virtus est habitus electivus, ut dicit primo ethicorum, *avrebbe fatto in lui mirabil prova,* quia habuisset bonum effectum, si dedisset se illi; *non pur per ovra delle ruote magne,* idest, ex constellatione et influentia cœlorum, qui sunt speræ maximæ, *che drizzan ciascun seme ad alcun fine,* idest, omne quod producitur ad bonum finem, sicut dicitur primo Paradisi, *secondo che le stelle son compagne,* idest, coniunctæ, hoc est, secundum coniunctionem planetarum, et triplicitatem eorum, quia aliam operationem facit Saturnus coniunctus cum Jove, aliam cum Marte, et ita de aliis; et etiam idem planeta facit aliam operationem, in suo domicilio, aliam in signo non suo. Et quod plus est, *ma per larghezza di grazie divine, che hanno sì alti vapori,* idest, profundos, *a lor piova,* idest, pluviam, *che nostre viste,* idest, speculationes intellectuales, *là non van vicine,* idest, non attingunt ad profunditatem divinarum gratiarum. Et concludit ex hoc quod gratia cessit sibi ad damnum quia abusus est, per unam comparationem no-

tabilem et claram, dicens: *ma il terreno,* quod est de se benignum et domesticum, *si fa tanto più maligno e più silvestro col mal seme e non colto,* idest, incultum, non laboratum, *quant' egli ha più di buon vigor terrestro,* idest, de humore pingui. Et hic nota quod comparatio est propria; nam ingenium vigorosum recte assimilatur agro fertili, cui si committitur mala doctrina, et non excolatur virtute, facit malum fructum, quia melius scit facere malum. — *Alcun.* Hic Beatrix ostendit quod poeta a principio cœpit recte ambulare, sed cito declinavit a via bona. Unde dicit: *Alcun tempo,* scilicet, dum fuit puer, *il sostenni col mio volto,* ne erraret, *mostrando gli occhi giovinetti a lui,* quia ipse erat puer et ego puella, *meco il menava in dritta parte volto.* Et hic nota quod verum dicit; nam tempore pueritiæ Dantes captus amore Beatricis erat miræ indolis, et in eo apparuerunt multa signa futuræ virtutis; sed adveniente pubertate cœpit crescere malitia cum ætate, et deditus est vanitati. Unde dicit: *Sì tosto come in su la porta fui,* vel *soglia, di mia seconda etate,* idest, in initio adolescentiæ, *e mutai vita,* quia nupsi, *questi si tolse a me, e diessi altrui,* scilicet, aliis mulieribus. Aliqui tamen exponunt istam literam non historice, sed allegorice, et dicunt, quod per oculos juvenculos intelligit primam et levem partem theologiæ; per secundam ætatem, secundam partem theologiæ, et tunc, dicunt, dedit se aliis scientiis. Et procedit ulterius Beatrix gradatim in narratione sua, dicens: *quando di carne a spirto era salita,* idest, de vita corporali ad vitam spiritualem per mortem in vigesimo quinto anno, quando homo intrat legitimam ætatem, *e bellezza e virtù m' era cresciuta,* quia anima beata separata a corpore est liberior in voluntate, ratione et memoria, ut pulcre dictum est supra capitulo XXV, *fu' io a lui,* scilicet, Danti, *men cara e men gradita.* Et hic nota quod sicut scribit Boccatius in suo

libello de vita et moribus Dantis, Beatrix quasi in fine vigesimi quarti anni redivit ad gloriam prædestinatam meritis suis; cuius morte Dantes fuit diu in planctu, lacrymis et mœrore, adeo quod sola morte videbatur posse juvari: ex quo factus est macilentus, barbatus (1) velut homo sylvestris; tandem exhortatione suorum duxit uxorem et cœpit se dare publicis officiis et honoribus in sua republica: et (2) si poterat interdum vacabat poeticis et eloquentiæ ad superbam gloriam. Et de hoc conqueritur Beatrix dicens: *e volse i passi suoi per via non vera,* scilicet per devia mundana, *seguendo false immagini di ben,* scilicet, honores, dignitates, magistratus, vel scientias mundanas (3) aut poeticas, quæ non sunt vera bona, sed imaginaria; unde dicit: *che nulla promission rendono intera,* nam divitiæ videntur promittere sufficientiam quam præstare non possunt, et dignitates, reverentiam etc., similiter scientiæ liberales videntur promittere felicitatem, quam tamen non possunt conferre, licet præparent ad felicitatem, velut quædam organa et instrumenta. — *Nè.* Hic Beatrix ad aggravandum errorem Dantis ostendit obstinatam duritiem eius in tam vana vita, dicens: *Nè l' impetrare spirazion,* idest, gratiæ, quas impetraveram pro eo apud Deum, quia rogabat (4) pro eo cum esset facta beata, *mi valse,* idest, nihil profuerunt mihi, *con le quali lo rivocai,* idest, revocare volui, *et in sogno et altrimenti,* quasi dicat: et in somnio et in vigilia, quia vere vir tanti ingenii meditando et studendo poterat perpendere finem non bonum suarum occupationum, sicut olim sciebat accidisse Tullio et Boetio, qui immiscentes se gubernationibus (5) rei publicæ, jam mortua et deplorata libertate, consecuti sunt exilium et mortem indigne;

(1) E. barbutus.
(2) E. et cum poterat.
(3) 117, seculares.
(4) E. quia rogaverat.
(5) E. gubernationi. — 117, gubernaculis.

sì poco a lui ne calse, idest, ita modicum curavit sibi de me, quæ tantam curam gerebam de eo. Et ideo merito accidit sibi quod quærebat; nam *tanto giù cadde,* in vanitatem infimam, ubi debebat, sicut poterat, dare se speculationi altæ supernorum et verorum bonorum, *che tutti argomenti eran già corti,* idest, omnia remedia erant jam defectiva, *alla salute sua,* scilicet, recuperandæ; jam tantum processerat errando per sylvam, *fuor che mostrargli le perdute genti,* quasi dicat: salvo quam inclinare animum eius ad considerandam miseriam et infelicitatem miserorum. Unde dicit: *per questo,* idest, ob hanc causam, *visitai l' uscio de' morti,* idest, descendi ad infernum, *e li prieghi miei, piangendo, furon porti a colui,* scilicet, Virgilio, *che l' ha quassù condotto,* idest, qui reduxit eum ad me. Hoc totum tactum est II capitulo Inferni et alibi sæpe. Et concludit ultimo Beatrix respondens angelis ad illud quod dixerant supra: quare, domina, sic distemperas eum? et dicit ergo, o substantiæ piæ, *l' alto fato di Dio,* idest, profundum decretum vel judicium divinum, *serebbe rotto,* idest, violatum quod esse non potest, *se Lete si passasse,* ab isto Dante, *e tal vivanda,* idest, tam dulcis potio aquæ Lethææ, *fosse gustata,* ab eo, *senza alcuno scotto di pentimento,* idest, pœnitentiæ et pœnæ debitæ, *che lagrime spanda,* ex contritione cordis (1), cum confessione oris. Unde statim Beatrix convertit sermonem suum ab angelis ad ipsum Dantem, sicut (2) patet sequenti capitulo.

---

(1) E. cordis, et confessione oris.
(2) E. sicut in cantu sequenti patet plenius.

CANTUS TRIGESIMUS PRIMUS, *ubi coram Beatrice confessus est pro omnibus suis culpis ab eo factis contra Beatricem, et quomodo domina, quam prius invenit, eum duxit et transire fecit flumen, et ipsum taliter arsit quod bibit de ea aqua: et in fine ductus est per illam et alias quatuor dominas coram Beatrice rogantes eam pro Dante.*

E *TU che se' di là dal fiume sacro.* Postquam in superiori capitulo poeta noster descripsit mordacem increpationem Beatricis ad se in generali, nunc consequenter in isto capitulo XXXI ponit increpationem eiusdem mordaciorem in speciali. Et præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales. In prima quarum Beatrix compellit Dantem ad confitendum suum errorem et erroris causas. In secunda arguit et convincit eum quod non debuerit sic errasse, ibi: *Tuttavia.* In tertia poeta ostendit qualiter pœnitens fuerit lotus in flumine, et assignatus dominabus, ibi: *E come.* In quarta et ultima ostendit quomodo pervenerit in perfectiorem cognitionem Beatricis, ibi: *Così cantando.* Ad primum veniens, dico, quod Beatrix requirit a poeta confessionem sui erroris et causas; et primo faciens continuationem ostendit dispositionem Beatricis contra se. Ad quod notandum, quod sicut patet ex præcedenti capitulo, dum poeta deplorasset [1] recessum Virgilii, Beatrix minata est sibi quod ploraret per aliam spatam, quod factum est, quando ipsa respondit angelis; sed tunc exercuit spatam, idest linguam, cæsim, nunc vero cœpit exercere illam punctim, quod est durius. Unde nota ulterius, quod me-

---

(1) 117, deploraret recessum.

lius et tutius est pugnanti ferire punctim quam cæsim, teste Vegetio in suo de re militari: primo, quia feriens punctim habet incidere minus de armis: secundo, quia invenit minorem resistentiam in corpore: tertio, quia adversarius non ita bene vitat ictum: quarto, quia feriens minus laborat: quinto, quia minus se detegit. Ergo vide quam pulcra sit metaphora, dicendo quod Beatrix nunc cœpit percutere punctim. Dicit ergo: et illa Beatrix, *volgendo il suo parlar a me per punta,* increpando me acrius, *che m' era paruto acro,* idest, satis acerbum, *pur per taglio, ricominciò,* scilicet, dicere, *seguendo,* idest, continuando dictum suum, **senza cunta,* idest sine mora, quia statim sine dilatione convertit dictum suum * (1) ab angelis ad Dantem, dicens: *e tu,* scilicet, Dantes; et debet dicere *e* et non *o; che se' di là dal fiume sacro,* scilicet, Lethæum, et optas transire citra ad me, *di', di', se questo è vero,* de quo accusavi te angelis, quia *tua confession convien esser congiunta a tanta accusa,* ut promerearis absolutionem. — *Era.* Hic poeta ponit effectum petitionis Beatricis, scilicet suam confusionem, dicens: *La mia vertù,* idest, potentia animæ, *era tanto confusa,* timore et pudore præcedenti et præsenti, *che la voce si mosse,* pro respondendo, *e si spense,* idest, et mortua est, quia defecit, *pria che dagli organi suoi,* quæ sunt labia, lingua, dentes, palatum, guttur et pulmo, *fosse dischiusa,* idest, exclusa (2) et expressa. Et subdit replicationem Beatricis, dicens: *poco sofferse,* idest, expectavit; *poi disse: che pense?* quasi dicat: hic non est opus cogitatione, quia non habes nisi dicere sic; *rispondi a me;* et ne Dantes possit dicere sicut communiter dicunt homines quando increpantur: ego non recordor; dicit Beatrix, hoc (3) non accidit in eo ex oblivione. Unde dicit: *chè le memorie*

(1) Le parole fra i due asterischi sono supplite dagli altri tre Codici.
(2) 117, disclusa. (3) 117, quod hoc.

triste, scilicet, præteritorum malorum, quæ contristant animum recordantis, *non sono ancor offense dall' acqua,* scilicet, Lethæa, *in te;* quasi dicat, nondum gustasti de fluvio oblivionis, de quo paulo post gustare habes. — *Confusione.* Hic poeta ostendit suam confusionem quam tandem fecit cum difficultate et anxietate, dicens: *Confusione e paura,* verecundiæ et pœnæ, *insieme miste,* invicem sociatæ, *mi pinsero un tal sì,* idest, tam debile, *fuor della bocca, al qual intender fur mestier le viste,* quasi dicat: quod oculi Beatricis fuerunt necessarii ad intelligendum; sicut, ut faciam comparationem propriam, videmus sæpe de facto, quod virgo novitia tempore sponsaliorum interrogata utrum velit talem in virum; confusa timore et pudore, respondet ita tam plane, quod auris non posset judicare de affirmatione eius, nisi oculus videret nutum illius respondentis. Et declarat istum actum debiliter loquentis per pulcram comparationem sagiptantis, quæ de se patet, dicens: *sì scoppia' io sotto esso grave carco,* idest, pondere confusionis et timoris, *fuori sgorgando,* idest, ex gutture emittendo, *lagrime e sospiri,* et sic vide quod satisfactum est justitiæ prout Beatrix prædixerat (¹) in fine præcedentis capituli; *e la voce allentò per lo suo varco,* idest, transitu (²) per medium aeris, *come balestro frange la corda e l' arco da troppa tesa,* quia stetit prius (³) tensa, *quando scocca; e come l' asta,* idest, sagipta, *tocca il segno con men foga.* Et sic vide quod comparatio est propria; nam verbum recte assimilatur sagiptæ, quia volat irrevocabiliter. Sicut autem sagipta lente volat cum frangitur arcus in emissione, et debiliter venit quo tendit; ita nunc verbum poetæ emissum a fracto ore debiliter et tarde pervenit ad audientes expectantes. — *Ond' ella.* Hic poeta ponit qualiter

(¹) E. e 117, dixerat. (²) E. transitum. (³) 117, prius diu tensa.

Beatrix petiverit de causa sui erroris cum nulla fuerit justa quæ debuerit ipsum revocare ab amore eius (¹) ad amorem aliorum; et primo petit de causis impedientibus accessum ad eam et (²) de trahentibus ad accessum aliarum. Dicit ergo: *Ond' ella a me,* scilicet, Beatrix petivit, et dixit: *quai fosse attraversate o quai catene trovasti,* quasi dicat: quæ obstacula, quæ impedimenta invenisti tu in via, *per entro i miei desiri,* idest, inter desideria quæ habebas ad (³) me in pueritia tua, quando semper me sequebaris, *che ti menavano ad amar lo bene,* scilicet, summum, scilicet Deum, ad quod theologia ducit hominem, *di là dal quale,* scilicet bonum, *non è a che s' aspiri,* idest, non est aliud bonum ad quod tendatur, *perchè dovessiti così spogliar la spene,* idest, abiicere spem, *del passeggiar innanzi,* idest, procedendi ulterius in via recta, in quam te duxeram, quasi dicat: nullæ fossæ, nullæ catenæ debuissent interrumpere (⁴) tuum iter optimum. Et hic nota, lector, quod Beatrix arguit hic multum subtiliter et fortiter. Vult enim dicere tacite sive implicite, licet sacra scriptura videatur multum difficilis et habeat fortes passus, quia cogit hominem credere quæ non sunt nota per naturam vel ad sensum, et quia præcipit multa quæ dura videntur; tamen considerato fine optimo quia sola docet summum bonum et ducit in cognitionem Dei, debet videri facilis, et omnis labor pro ea acquirenda debet videri levis. Et e contra petit quæ commoda traxerunt eum ad amorem aliarum, dicens: *e quali agevolezze,* idest, facilitates, *o quali avanzi,* idest, et quæ prærogativæ, *si mostraro nella fronte,* idest, facie et pulcritudine, *dell' altre,* aliarum dominarum, idest, scientiarum, *perchè dovessi anzi,* idest, potius, *passeggiar loro,* idest, sequi eas? Et similiter vult dicere sub ista peti-

---

(¹) E. ipsius.

(²) E. et attrahentibus ad accessum aliorum.

(³) 117, de me.

(⁴) E. interrupisse.

tione, quod licet scientiæ sæculares videantur summe delectabiles, tamen effectus earum sæpe est vanus, quia non ad usum veræ virtutis, sed ad superbam gloriam, imo quod vilius videtur ad miseram cupiditatem. — *Dopo.* Hic [1] ponit suam responsionem ad duplicem petitionem Beatricis, in qua confitetur suum errorem, et tangit erroris causas, et præmittit difficultatem suæ responsionis, dicens: *A pena ebbi la voce che rispose,* quia timor et pudor invaluerat ipsa feriente punctim, *dopo la tratta d'un sospiro amaro,* quia tangebat me ad vivum, *e le labbra a fatica la formaro.* Et sic vide quod poeta satisfecit Beatrici, quæ dixerat supra quod confessio erat sibi necessaria. Et ecce, *piangendo dissi: le presenti cose,* sicut honores, dignitates, gloria et artes liberales et poetica, quæ habentur ad sensum et per rationes et non promittunt futura et invisibilia, sicut Beatrix, *volser miei passi,* idest, averterunt gressus meos a via vera [2] recta, *col falso lor piacer;* quia adulantur homini. Adulator enim est apparens amicus; sed Beatrix potius rigida increpat et minatur, sicut verus amicus, et dicit: *tosto che 'l vostro viso si nascose,* scilicet, adveniente pubertate, quando deseruit eam, ut dictum est capitulo præcedenti; in illa enim incipit homo dare se artibus et scientiis. — *Et ella.* Hic poeta ostendit quod Beatrix audiens confusionem eius dixit sibi quare requisiverit ab eo confessionem, et assignat confessionis causam. Unde dicit: *Et ella,* scilicet, Beatrix respondit: *la colpa tua non fora men nota,* idest, non esset magis patens et manifesta, *se tacessi, o se negassi ciò che confessi,* et ecce quare: *da tal giudice sassi,* quia scitur ab æterno Judice, qui non habet sicut confessor terrenus scrutari conscientiam peccatoris, sicut medicus vulnus, et judex causam. Et

---

(1) E. Hic poeta ponit. (2) E. vestra recta.

vult dicere Beatrix: Deus scit tuam culpam, et angeli sciunt et ego scio. Et quia forte poeta videbatur dicturus: quid ergo quæris? ideo subdit: *ma la ruota rivolge sè contra'l taglio,* quasi dicat, contemperatur divina ira, *in nostra corte,* scilicet, cœlesti, *quando l'accusa del peccato,* quæ fit per confessionem, *scoppia dalla propria gota,* idest, erumpit ex proprio ore hominis contritione extrudente. Est autem confessio legitima coram sacerdote peccatorum declaratio; et iste nunc confitetur coram sacra scientia quæ informat omnes confessores terrenos. Et nota quod contrarium accidit in mundo nostro, quia quando homo confitetur sponte peccatum ab humano judice citius condemnatur, sed uberius remittitur sibi a Domino Judice.

Tuttavia. Ista est secunda pars generalis huius capituli, in qua Beatrix nunc arguit contra Dantem, et pro salute eius convincit eum de errore suo ut reddat eum cautum in futurum. Et primo facit poetam attentum ad dicenda, dicens: *Tuttavia,* idest, nihilominus, *pon giù il seme del piangere,* quia tempus est medicinæ, non querelæ, *perchè me' vergogna porte del tuo errore,* cum recognoveris ipsum esse maiorem, *e perchè sii più forte,* periculo tuo factus providus, *udendo le sirene,* quæ incautos mergunt in medio tempestatum, idest, artes liberales, et poetica præcipue, quæ dulciter cantant et sua delectatione abducunt homines a sacra scriptura. Unde Hieronymus hoc expertus dicit: dæmonum cibus sermo poeticus, sæcularis scientia rhetoricorum pompa verborum. Et hic nota, quod Hieronymus hoc dicit, quia ad tempus amoratus pulcritudine dictarum scientiarum fastidiebat sacram scripturam, cuius sermo videbatur sibi incultus; unde postea cum animum convertit ad divina, sermo poeticus factus est cibus angelorum, sicut patet in epistolis et in aliis libris suis purpuratis floribus

poetarum, rhetorum et oratorum. Unde Ruffinus obiicit sibi: Iste doctor noster [1] qui fatetur se abrenuntiasse poetis, nescit dicere verbum, cum [2] dicat: Virgilius meus, et Horatius noster. Licet enim poetæ scripserint multa vana et lasciva, sicut de amore et similibus, quia non solum homines fuerunt, sed pagani, sicut dicit Petrarcha in quadam epistola, quam ad me scribit; tamen poetria æque bene potest cadere in bonam mentem, quæ materiam describat honestam, sicut fecerunt Martianus Capella, Boetius, Rabanus, Juvencius, Sedulius, Arator et alii multi. Et dicit: *et ascolta: sì udirai come mia carne sepolta,* postquam fui mortua, *doveati muover in contraria parte,* scilicet, ad deserendum alias et sequendum me; et tu tunc dedisti te vanis honoribus et amoribus, et tunc sacra scientia apud te mortua est et sepulta. — *Mai.* Hic Beatrix probat quod amor suus erat præferendus amori cæterarum ratione excellentiæ suæ, quam nulla alia potest attingere; unde dicit: *Natura ed arte,* idest, aliqua forma naturalis vel artificialis, sicut mulier pulcerrima [3] vivens in carne vel picta, vel sculpta, quæ maxime solet allicere oculos hominis, *mai non t' appresentò piacer,* tantum supple, *quanto le belle membra,* debite proportionata, *in ch' io rinchiusa fui,* in vita, *e che son terra sparte,* quia resoluta in terram sparsa sunt. Et nota quod ista litera potest intelligi historice pro muliere carnea quæ visa est sibi pulcerrima omnium, et anagogice pro sacra scientia pulcerrima scientiarum, sicut dicit Cassiodorus *quod omnis* etc. et tunc dicatur quod pulcra membra sunt pulcri libri qui constituunt corpus theologiæ, et sunt sparsi in terra ubique locorum. Quanto ergo fuit maior amor tuus erga me, tanto maior error; unde petit cum indignatione: *qual cosa mortale,*

(1) E. doctor vester. (2) E. quin dicat.
(3) E. pulcerrima juvenis in carne.

scilicet, temporalis, sive mulier, sive dignitas, sive scientia, *dovea poi trarre te nel suo disio,* idest, desiderium et amorem, *se 'l sommo piacere,* quod de me habebas, *sì ti fallìo per la mia morte,* quando facta sum mortua et neglecta tibi. — *Ben.* Hic (¹) Beatrix aggravat delictum poetæ, qui semel deceptus debebat resipiscere et non permittere se amplius decipi. Dicit ergo procedens in sua increpatione: *Ben ti dovevi levar suso,* idest, erigere te a terrenis infimis ad cœlestia alta, *diretro a me,* idest, exemplo mei, veniendo post me quæ ascenderam a carne ad spiritum, *che non era più tale,* quia facta eram immortalis. Aliqui tamen exponunt: quæ non eram amplius Thales, qui fuit primus de septem sapientibus, quod puto ridiculum; *per lo primo strale,* idest, ictum et percussionem, *delle cose fallaci,* quæ non servant quod promittunt (²), ut jam dictum est; et ita e contra amor aliarum mulierum non debebat trahere te deorsum. Unde dicit: *o pargoletta;* ista fuit juvencula virgo de civitate Lucana, cuius amore captus est aliquando post mortem Beatricis. Et potest intelligi de scientia poetica quæ maxime pulcra et delectabilis competit juvenilibus (³): *o altra vanità,* idest, alia mulier vana, vel dignitas vana, vel scientia vana, *con sì breve uso,* quia parum durat omnis gloria humana etiam quæ videtur durabilior, *non ti dovea gravar le penne in giuso,* idest, non debebat deprimere alas tuas ad inferiora ad ponendum spem in illis, *ad aspettar più colpi,* quia una adversitas et fallacia debuisset sufficere (⁴) ad reddendum te cautum. Et confirmat dictum suum exemplo avis quæ parvula non cito vel statim vitat insidias, sed avis matura sic. Dicit ergo: *nuovo augelletto,* inexperta, quæ habet parvas pennas, *aspetta due otte,* scilicet, percussiones antequam fugiat

(¹) E. Hic poeta dicit quod Beatrix.
(²) 117, promittere videntur.
(³) E. juvenibus.
(⁴) E. suffecisse.

vel evadat, *ma rete si spiega indarno,* ad capiendum, *o si saetta,* ad interficiendum, *dinanzi dagli occhi de' pennuti,* idest, magnarum avium. Et hic nota quod Beatrix sub similitudine avis respondet quæstioni tacitæ, ne poeta posset dicere ad excusationem suam: ego eram purus et simplex in talibus. Hoc excludit ipsa, quia jam Dantes erat legitimæ ætatis quando mortua est Beatrix; et bene assimilat eum avi (¹), quia erat aptus natus ad volandum ad alta, sicut postea apparuit. — *Quali.* Hic poeta ponit effectum istius argumentationis, quia scilicet recepit verecundiam magnam secundum quod sibi promiserat Beatrix, per unam comparationem pulcram et claram, dicens: *Tal mi stav' io,* scilicet, mutus cum erubescentia respiciens terram, *quali i fanciulli stannosi muti vergognando,* de fallo suo, *con gli occhi a terra ascoltando,* increpantem, *e ricognoscendo sè,* idest, errorem suum, *e ripentuti,* idest, pœnitentiam agentes de errore commisso cum pudore et dolore. Et subdit poeta quod Beatrix ex hoc provocavit eum ad multo maiorem verecundiam, quia videns ipsum stare cum oculis defixis in terram mandavit ut levaret faciem et respiceret eam ut magis confunderetur. Dicit ergo: *et ella,* scilicet, Beatrix, volens addere afflictionem afflicto, *disse: quando,* pro quia vel postquam, *se' dolente per udire,* idest, ex solo auditu verborum meorum, *alza la barba,* quasi dicat: leva vultum et vide pulcritudinem meam, *e prenderai più doglia,* idest, maiorem dolorem ultra pudorem, *riguardando,* quia tunc cognosces turpitudinem aliarum. — *Con men.* Hic poeta ostendit quod (²) difficulter erexerit oculos in faciem Beatricis per unam comparationem pulcram; et vult dicere, quod magna arbor facilius spoliatur foliis suis, quam ipse erexerit oculos in Bea-

(¹) E. avi, scilicet Dantem, quia. (²) 117, quam difficulter erexit.

tricem. Dicit ergo: *Robusto cerro,* idest, fortis quercus, *si dibarba,* idest, defoliatur, *ovvero a nostral vento,* idest, a borea, qui venit a nostro polo septentrionali, *ovvero a quel,* scilicet, vento austro, qui venit a polo meridionali, qui ventus transit per Africam; unde dicit: *della terra di Jarba;* Jarbas enim fuit rex Libyæ tempore Didonis, ut dicetur Paradisi capitulo IX, *con men di resistenza,* idest, minori labore, *ch' io non levai il mento,* idest, faciem, *al suo comando;* et sic bene recepi dolorem mihi promissum. Et hic nota quod comparatio est propria: quercus enim arbor fortis bene convenit huic viro forti, et sermo Beatricis bene convenit vento boreali et australi, quia nunc serenat, nunc turbat aerem. Et sicut violentia boreæ vel austri non faciliter spoliat arborem, ita nunc rigiditas sermonis Beatricis vix compulit poetam attollere faciem, ita quod facilius fuisset depilare sibi barbam. Et ostendit quid maxime turbaverit eum, scilicet, vocabulum barbæ, dicens: *e ben conobbi il venen dell' argomento,* quasi dicat, venenatum mottum, *quando chiese il viso,* scilicet, meum, *per la barba,* quasi dicat: bene intellexi, quod volebat dicere: ah senex delire, qui es barbatus jam per multos annos!

E come. Ista est tertia pars generalis huius capituli, in qua poeta ostendit quomodo pœnitens et confessus fuerit lotus in Lethæo et traditus virtutibus: et primo quidem ostendit qualiter angeli dederunt sibi locum videndi Beatricem, quia cessaverunt ab opere suo. Dicit ergo: *E quelle prime creature,* scilicet, angeli, qui primo rogaverant pro eo, *posarsi,* ab aspersione florum, sub quorum nube Beatrix latebat, ut dictum est præcedenti capitulo; *e l' occhio comprese di lor apparsion,* idest, apparitione, *come la mia faccia si distese,* versus faciem Beatricis. Et tangit quomodo viderit eam, dicens: *e le mie luci,* idest, oculi, *ancor poco sicure,* licet angeli red-

didissent sibi satis audaciæ et spei cum favore suo, *vider Beatrice volta in su la fiera,* scilicet, gryphum, *ch' è sola una persona,* scilicet, Christus, *in due nature,* scilicet, humana et divina. Et describit Beatricem quam tunc vidit ab excellentia pulcritudinis eius; et sententialiter vult dicere quod Beatrix nunc ostendit magis excellere se ipsam in pulcritudine antiqua, quam excelleret alias dominas dum viveret in mundo: quanto ergo in vita excellebat pulcritudinem cæterarum, tanto nunc excedebat pulcritudinem illam antiquam. Construe ergo sic: illa Beatrix, *pareami vincer più se stessa antica,* cum olim erat in mundo, *che vincer l' altre qui,* in mundo isto, *quand' ella ci era,* idest, erat hic in vita, *sotto suo velo,* quasi dicat: licet esset latens sub illo velo albo, *et oltra la rivera,* idest, et quamvis esset ultra flumen in altera ripa. — *Di pentir.* Hic poeta ponit effectum visionis Beatricis, quæ fuit tantæ virtutis et efficaciæ, quod subito convertit amorem quem habebat ad alias in crudele odium. Dicit ergo: *L' ortica di pentir,* idest, stimulum pœnitudinis, *mi punse sì,* idest, ita penetravit cor meum, *ivi,* idest, in illa ripa mea, *che qual,* idest, quæcumque res, *di tutte altre più mi torse,* idest, traxit, *nel suo amor,* propter pulcritudinem, *più mi si fe' nimica;* et per consequens, *tanta riconoscenzia,* idest, recognitio erroris, *mi morse il cuor,* idest, remordit (¹) conscientiam meam, *ch' io caddi vinto,* idest, convictus rationibus suis cecidi ad terram; nam visa tanta excellentia pulcritudinis cognovi quod verum dixerat. Et dicit, quod non potest describere tantam consternationem suam, quia perdidit sensum et intellectum. Dicit ergo: *e qual allora femmi,* idest, quam alienatus, *salsi colei,* idest, Beatrix scit sibi hoc non ego, quia ipsa me videbat non ego, *che mi porse*

(¹) E. momordit.

la cagion, quod fierem talis. — *Poi.* Nunc poeta ostendit quomodo post dictam [1] debitam pœnitudinem ipse fuerit mersus et lotus in flumine. Dicit ergo continuative: *Poi, quando il cor rendemmi vertù di fuori,* scilicet, sensitivam, quasi dicat: postquam virtute cordis recuperavi sensus perditos, quia nihil prius videbam vel sentiebam, *vidi sopra me la donna,* scilicet, Mathildim comitissam, *ch' io avea trovata sola,* in introitu istius paradisi cantantem et colligentem flores, ut supra patuit; *e dicea: tiemmi, tiemmi:* per hoc præsupponit quod Mathildis ceperat eum et trahens in aquam dicebat: tene me, tene me, ne mergaris. Et subdit modum trahendi et eundi illius dominæ, dicens: *tratto m'avea nel fiume,* scilicet Lethæum, *infin a gola e tirandosi me dietro, sen giva sovresso l' acqua,* cum plantis ita quod non mergebatur; quod declarat per similitudinem propriam, dicens: *lieve come scola:* est enim scola, prout hic accipitur, genus navigii longum, leve, aptum ad bella navalia, et talis fuit hæc mulier longa [2], levis, apta ad bella. Et describit orationem quæ cantata fuit in ista lotione sua, quæ multum competit materiæ [3], dicens: *quando fui presso alla beata riva,* scilicet, ad alteram ripam, ubi erat tota militia sancta cum curru super quo erat Beatrix, *udissi,* idest, auditum fuit cantari ab angelis et beatis, qui erant ibi, illud dictum prophetæ, scilicet: *Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor,* quæ verba quantum conveniant nunc nostro poetæ in isto [4] casu, quilibet videre potest. Et dicit: *sì dolcemente,* quia illa erat vox divina non humana, *ch' io nol so rimembrar,* idest recordari, *non ch' io lo scriva,* idest, nedum quod nunc describam reversus ad terram nostram. — *La bella.* Hic

---

(1) E. datam debitam.
(2) E. scilicet longa et levis et apta ad bellandum. Et.
(3) 117, ipsi materiæ. (4) E. in hoc casu.

poeta ostendit qualiter fuerit potatus aqua oblivionis et assignatus virtutibus. Dicit ergo: *La bella donna,* scilicet, Mathildis, *aprissi,* idest, aperuit se, *nelle braccia,* faciens eum dignum gratia et amore suo familiariter, *abbracciommi la testa,* ubi viget memoria, *e mi sommerse,* usque ad os, *ove convenne ch' io l'acqua inghiottissi,* idest, imbiberem (¹) de aqua illa; et subdit: *indi mi tolse,* scilicet, Mathildis postea extraxit me de aqua illa, *e m' offerse bagnato,* idest, lotum et mundatum in illa aqua purissima ab omni impuritate vitiorum, *dentro alla danza,* idest, tripudium et festum, *delle quattro belle,* scilicet, virtutum moralium, quæ erant a rota sinistra; et dicit: *e ciascuna del braccio mi coperse,* quia recepit me in amicum et servitorem suum. — *Noi.* Hic poeta describit orationem quam cantabant illæ quatuor pulcræ, quæ dicebant: *Noi siam qui ninfe,* idest, deæ fontium in ista sylva, quasi dicant: sumus peregrinantes in ista ecclesia militante, *e nel ciel siamo stelle,* illuminantes mundum. Unde poeta finxit se videre istas quatuor stellas lucentes in principio purgatorii; et fuimus ab initio prædestinatæ. Unde dicit: *pria che Beatrice discendesse al mondo,* scilicet ante incarnationem verbi Dei, *fummo ordinate a lei per sue ancelle,* quasi dicant: fuimus in genere hominum ab antiquo per multa sæcula ante Christum, sed imperfecte, quia expectabamus alias tres theologicas; unde dicit: *menerenti,* idest, ducemus te, * *agli occhi suoi,* quasi dicat: præsentabimus te * (²) coram ea: et bene dicit: quia prima pars theologiæ est de rebus humanis, sicut de virtutibus et moribus, sed alia pars nobilior est de divinis. Unde dicit: *ma le tre di là,* scilicet, aliæ tres pulcriores, *che miran più profondo,* quia vident occulta divinitatis, *aguzzeranno i tuoi,* scilicet, oculos tuos, *nel*

(¹) E. biberem.
(²) Le parole fra i due asterischi son supplite dal Codice 117.

giocondo lume, scilicet, oculorum eius, quod nunc videre non potes, quia (¹) habet oculos velatos, *ch' è dentro,* idest, quod lumen est intra oculos, et nondum pervenit ad tuos.

Così cantando. Ista est quarta et ultima pars generalis (²), in qua poeta noster describit quomodo pervenerit in perfectiorem cognitionem Beatricis; et primo ostendit quomodo illæ quatuor inviaverint eum versus Beatricem et invitaverint ad ipsam videndam. Dicit ergo continuative: *Così cantando,* illæ dominæ, *cominciaro,* supple, dicere, sicut jam dictum est, *e poi menarmi seco al petto del grifon,* qui stabat revolutus ad currum, tamquam ad suam pacem, ut jam dictum est supra, *ove Beatrice stava volta a noi;* et tamen non poteramus bene videre eam propter velum. Ideo subdit exhortationem illarum ad respiciendum bene illam cum se ostendet, dicens: *dissero: fa' che non risparmi le viste,* idest, nunc intende et exacue virtutem visivam, quia, *posto t' avem dinanzi alli smeraldi,* idest, ante oculos pretiosos Beatricis, *onde,* idest, a quibus, *Amor,* scilicet, Cupido filius Veneris, *già ti trasse le sue armi,* idest, olim immisit sua tela in te, quia percussit te utraque sagipta, primo aurea in pueritia, quando primo amoratus es de ea, deinde plumbea, quando postea deseruisti eam. — *Mille.* Hic poeta (³) ponit effectum exhortationis dictarum dominarum, quia scilicet statim ardentissime defixit intuitum in oculos smeragdinos lucentes (⁴). Unde dicit: *Mille desiri,* idest, desideria videndi, *caldi più che fiamma,* quia nullus ignis adeo ardens, sicut flamma amoris, *strinsermi gli occhi,* scilicet, meos, *agli occhi rilucenti,* scilicet, Beatricis, *che stavan saldi,* idest, firmi, *pur sovra 'l grifone,* et non respiciebant me; nam speculatio theologiæ maxime respicit

(¹) E. quia ipsa habet.
(²) E. generalis huius cantus, in qua.
(³) E. Hic poeta primo ponit.
(⁴) E. luculentos.

Christum. Et subdit quid viderit in illis oculis per nobilem comparationem, dicens: *la doppia fiera,* scilicet, gryphus, qui est aquila et leo, idest, Deus et homo, *vi raggiava,* per reflexionem, *dentro,* scilicet, intra oculos Beatricis, *non altrimenti,* idest, similiter, *come il sol in specchio,* supple, radiat; et est propriissima comparatio de (1) sole ad Christum, qui est sol justitiæ, et de oculis Beatricis ad speculum, quia oculus est de natura speculi. Et dicit: *or con uni, or con altri reggimenti,* idest, variis et diversis comparationibus (2), quia nunc humanis, nunc divinis, vel nunc literaliter, vel nunc figuraliter, quod videbatur mirabile oculis suis; ideo apostrophat invitans auditorem ad considerationem rei mirabilis, dicens: *o lettor, pensa s' io mi travagliava,* in mente, *quando vedea la cosa,* scilicet, gryphonem, *star queta in se,* quia non mutabatur, *e si transmutava nell' idolo suo,* apparente in oculis Beatricis: est enim idolum forma apparens in aqua vel speculo ex reverberatione in obiectum; nam ydos græce, latine forma: fiebat enim transmutatio in speculo, quia videmus in sacra scriptura quod Christus aliquando habebat actus humanos, scilicet, cum famebat, sitiebat; aliquando divinos, sicut cum pavit quinque millia hominum (3) etc. — *Mentre.* Hic poeta describit intercessionem aliarum trium virginum ad Beatricem, ut ostendat se plenius amico suo; et primo apparat eas ad orandum ostendens earum excellentiam. Dicit ergo: *L' altre tre,* scilicet, dominæ, *dimostrandosi di più alto tribo,* quia videbantur de nobiliori genere, quia aliæ sunt humanæ, istæ vero divinæ, *negli atti,* quantum ad operationes earum; quanto enim tribus Judæ, de qua fuit David et de qua descendit Christus, fuit altior aliis, tanto istæ tres sunt altiores illis quatuor; *si fero avanti,*

---

(1) E. scilicet de sole. (2) E. e 117, operationibus.
(3) E. hominum ex duobus piscibus et quinque panibus, et similia. — *Mentre.*

idest, traxerunt se ante conspectum Beatricis, *danzando al lor angelico caribo,* idest, ad gratulationem et cantionem angelicam ipsarum, vel ad cantum angelorum, ita quod conformabant motum suum voci suæ, vel voci angelorum, sicut solent facere tripudiantes et cantantes simul; *mentre che l' anima mia piena di stupore e lieta,* spectaculo [1] tam admirandæ rei, *gustava di quel cibo,* idest, tam dulci contemplatione, *che, saziando di sè, di sè asseta,* quia quanto magis reficitur mens hominis tali victu, tanto magis crescit fames et sitis eius. Et bene dicit, quia delectatio novem musarum nulla est in comparatione ad istas dominas novem honorantes currum triumphalem: erant enim septem virtutes, Mathildis et Beatrix. — *Volgi.* Hic Beatrix explicat formam cantilenæ ipsarum dominarum, dicens: *La sua canzon,* illarum trium, *era, o Beatrice, volgi gli occhi santi,* hoc dicebant, quia Beatrix tenebat tantum oculos fixos super gryphum, et non videbatur dignari respicere Dantem, *al tuo fedele,* qui est amicus virtutis et non fortunæ, sicut tu dixisti Virgilio, et qui est fidelis christianus, et pro fide laboravit plusquam unquam aliquis poeta, *che, per vederti, ha mossi passi tanti.* Et hic nota quod istud est verum tam historice quam allegorice, quoniam hic poeta cum concepisset accedere ad gloriam, ubi erat ista Beatrix, idest describere istud gloriosum opus, sentiens se satis habere philosophiæ et poetriæ, ivit Parisius jam factus pauper et exul, et magno ingenio et studio quæsivit theologiam: deinde cum mente descendit ad infernum, et inde ascendit ad purgatorium, in cuius summitate reperit eam in paradiso isto deliciarum; ideo bene post tot et tantos labores corporis et animi meretur amodo quietem felicitatis. Et petunt: *per grazia fa' noi grazia,* quasi

---

(1) E. speculatione tam.

dicant: ex gratia speciali supplicamus tibi, quia etiam multum nos coluit, *che disvele,* idest, detegas, *la vista tua a lui;* sicut enim patuit supra Beatrix erat velata velo albo supra vultum, et cincta corona olivæ circa caput; ideo rogant eam fides, spes et caritas, ut detegat visum suum, ita ut Danti pateat plenitudo et splendor faciei suæ, idest, profunditas sacræ scripturæ. Unde dicit: *sì che discerna,* idest, discernere possit, *la seconda bellezza che tu cele,* idest tegis sub velo. Et hic nota quod Beatrix habet duplicem pulcritudinem; nam primo tractat de rebus humanis, scilicet de vitiis et virtutibus, et istam primam pulcritudinem jam vidit poeta describendo infernum et purgatorium: secundo tractat de divinis et altissimis sicut de Deo et angelis, et istam pulcritudinem secundam statim ostendit hic Beatrix in confuso, quam paulo post videbit specialiter et gradatim semper crescentem in paradiso. — *O splendor.* Hic ultimo poeta ostendit qualiter Beatrix mota precibus illarum dominarum ostendit sibi pulcritudinem secundam oris sui, scilicet divinitatem: et volens ostendere excellentiam istius [1] pulcritudinis facit pulcram exclamationem cum admiratione ad excusandum se si non facit hic descriptionem huius pulcritudinis admirandæ. Et dicit sententialiter [2], quod nullus fuit unquam tam studiosus poeta et acutus, qui non videretur rudis et ignarus si præsumeret describere pulcritudinem quam nunc meruit videre. Dicit ergo: *O splendor di viva luce eterna,* idest, o Beatrix, quæ es quidam radius divinæ lucis, qua tota ista militia irradiatur [3], *chi,* idest, quis unquam poeta magnus, *si fece sì pallido,* præ nimio studio quod maxime macerat corpus poetarum, ut patet apud Persium et multos [4], *sotto l' ombra di Parnaso,* qui est mons poetarum, ubi coronabantur poetæ, *o bevve più in*

---

(1) 117, ipsius.
(2) 117, breviter.
(3) 117, illustratur.
(4) 117, multos alios.

sua cisterna, et qui poeta plus hausit de fonte Parnasi, qui dictus est Helicon, de quo dixit supra cum invocaret musas, *che non paresse aver la mente ingombra,* idest, impeditam, *tentando a render te,* idest, referre et repræsentare te Beatricem, *qual tu paresti,* in pulcritudine faciei, *là dove,* idest, in illo loco ubi, *il ciel t' adombra,* sub nube florum, *armonizzando,* cum eius dulci harmonia, quam sequuntur angeli cantando, ut jam supra patuit, *quando ti solvesti,* idest (1), detexisti faciem tuam, quæ prius erat ligata, cum vitta, *nell' aere aperto,* idest, puro, luminoso?

---

(1) E. scilicet quando detexisti.

CANTUS TRIGESIMUS SECUNDUS, *in quo tractat sicut secutus est currum cum dominabus et senioribus; et sicut aquila percussit currum, et de vulpe, et de vera significatione; et in fine de gigante et de meretrice, et de multis aliis.*

Tanto eran gli occhi miei fissi. Postquam in proxime præcedenti capitulo poeta noster ostendit plenam et perfectam pulcritudinem Beatricis, nunc consequenter in præsenti capitulo XXXII describit reversionem militantis ecclesiæ in patriam. Et totum [1] istud capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales. In prima quarum describit dispositionem illius exercitus. In secunda fundationem primitivæ ecclesiæ, ibi: *Forse in tre voli.* In tertia reditum illius exercitus ad cœlum, ibi: *Io non lo intesi.* In quarta et ultima describit sub figura notabiles persecutiones quas passa est ista militans ecclesia, ibi: *Qui sarai tu.* Ad primum ergo dico quod poeta describit dispositionem istius exercitus. Et primo pro continuatione præmittit suam magnam attentionem ad Beatricem; et in effectu non vult aliud dicere, nisi quod erat tantum firmatus et tam avide [2] in oculis Beatricis, quod nullam aliam rem poterat videre vel audire. Dicit ergo: *Gli occhi miei,* perspicaces, *eran tanto fissi et attenti,* in respiciendo oculos Beatricis, *a disbramarsi la decenne sete,* idest, ad sedandam aviditatem decem annorum; et vere desiderium videndi Beatricem erat decennale in MCCC, quando poeta inchoavit hoc opus, quia per decem annos ante Beatrix mortua erat; ideo tanta nunc erat sitis eius quod in decennio non fuisset extincta; *che*

[1] E. Et totum præsens istud. [2] E. avidus.

gli altri sensi, scilicet alii a visu et etiam visus cæterarum rerum, *m' eran tutti spenti,* idest, mortui, inutiles, quia nihil aliud videbat, audiebat, vel sentiebat. Et tangit quomodo, dicens: *et essi,* idest, oculi mei, *quinci e quindi,* a dextra et sinistra, *avean parete,* idest, obstaculum, *di non caler,* idest, curandi de aliqua (¹) re; unde non poterat visum flectere in aliquam partem, ita erat ligatus; unde dicit: *così lo santo riso,* idest, honesta facies istius sanctæ mulieris, *traelli a se,* idest, traxit eos ad se, *con l' antica rete,* idest, delectatione amoris quam (²) antiquitus habebat in ea, vel memoria antiqui amoris, qui diu extinctus nunc reaccensus est; licet autem esset sic dispositus, tamen violenter coactus est volvere visum sinistrorsum; unde dicit: *quando per forza,* rei auditæ, *mi fu volto il viso,* a dextera, ubi erat, *vêr la sinistra mia da quelle dee,* scilicet, fide, spe, et caritate, quæ sunt virtutes divinæ, *perch' io udia da loro,* idest, ab ipsis dicentibus, *un: Troppo fiso;* voluerunt dicere istæ tres quod Dantes nimis fixe respiciebat Beatricem, secundum consilium sibi datum superius ab illis primis quatuor, quæ dixerunt: *fa' che non risparmi* etc.: volebant ergo istæ tres quod poeta removeret visum a Beatrice ut videret exercitum redeuntem, ut statim sequitur. — *E la disposizion.* Hic poeta describit dispositionem suam qualis erat ad alia videnda cum removisset oculos a Beatrice: et sententialiter vult dicere, quod sicut oculus qui respexit aliquantulum solem remanet hebetatus, ita quod non potest videre alia sensibilia minora donec paullatim reformetur; ita a simili oculus poetæ qui respexerat Beatricem non poterat videre alias personas illius exercitus, nisi postea reformatione facta. Dicit ergo faciens comparationem nobilem et claram: *E la disposi-*

(¹) 117, aliqua alia re. (²) E. quem.

zion, scilicet, talis, *ch' a veder èe,* idest, quale est videre, *negli occhi,* alicuius hominis, *pur testè,* idest, tantum nunc, *percossi dal sole,* idest, a lumine solari, *alquantò esser mi fee sanza la vista,* idest, quasi excæcavit me; *ma poi ch' al poco,* scilicet, sensibilem, idest, ad splendorem aliarum substantiarum, *il viso,* scilicet meus, *riformossi,* quia illa obumbratio solis recessit; et corrigit dictum suum per colorem qui dicitur correctio, dicens: *io dico al poco,* non quia lumen aliarum substantiarum esset ibi [1] modicum, sed *per rispetto al molto sensibile,* idest, ad magnum splendorem Beatricis, *onde,* idest, a quo, *mi rimossi a forza,* quia compulsus ab illis dominabus removi visum a Beatrice, ut prædicitur: et bene dicit quia licet lumen aliarum substantiarum quæ ibi erant esset magnum, tamen videbatur parvum respectu maximi luminis Beatricis, quia ipsa est quæ dat intellectui humano omne lumen Dei, angelorum, virtutum, donorum etc. imo Christus relucet nobis in chartis sacræ scripturæ. Sic ergo reformatus, *vidi lo glorioso esercito,* illorum militantium, *rivolto sul braccio destro,* quia ad dexteram partem se revolverant, *e tornarsi,* versus orientem, *col sole,* scilicet, vero sensibili, *al volto,* idest, ante faciem, *e con le sette fiamme,* idest, cum septem luminibus [2] candelabrorum. — *Come.* Hic poeta describit revolutionem et reversionem exercitus per unam comparationem propriam, quæ breviter stat in hoc, quod sicut in mutatione exercitus volvuntur insignia et tota acies armatorum antequam ultimi moveantur, ita nunc tota militia illa erat revoluta cum luminaribus antequam currus flecteretur. Dicit ergo: *Quella milizia,* idest, gens militaris, *del celeste regno,* cui militat pro triumpho, *che precedeva,* idest, iverat ante cum luminaribus, scilicet viginti qua-

---

(1) E. esset sibi. (2) E. luminaribus.

tuor coronati etc., *tutta trapassonne,* circuendo currum tamquam polum suum pariter in se rotantem, *pria che 'l carro,* quem trahebat gryphus, *piegasse il primo legno,* scilicet, temonem ad gyrandum similiter, sicut illi fecerant; a simili, *come schiera volgesi,* stricta, *sotto li scudi,* servando ordinem aciei, *per salvarsi,* ne (1) recipiant detrimentum; *e sè gira,* idest, et volvit se in gyrum, *col segno,* idest, simul cum vexillo, *prima che possa tutta in se mutarsi;* idest, antequam posteriores possint omnes esse revoluti: sicut, verbi gratia, si acies vadens versus occidens aliquo casu vertat se ad oriens propter suam salutem, manifestum est quod illi qui sequuntur in fine non erunt revoluti simul et semel cum primis versus oriens, imo adhuc erunt respicientes versus occidens. Et hic nota quod per hoc poeta dat intelligi quod omnes prophetiæ et leges veteris testamenti erant adimpletæ antequam Christus firmaret primitivam ecclesiam; ideo dixit (2): consummatum est. — *Indi.* Nunc poeta ostendit quomodo currus moverit campum post exercitum, qui jam transiverat; et continuans se tangit præparationem factam, dicens: *Indi,* idest, deinde, *le donne,* scilicet, septem virgines, *si tornar alle ruote,* illius currus, quatuor ad unam, tres ad aliam, quæ prius recesserant et iverant ad Beatricem in favorem poetæ, *e 'l grifon mosse il benedetto carco,* scilicet, currum in quo erant angeli et Beatrix, *sì che però nulla penna crollonne,* alarum suarum, quia nihil de divinitate mutatum est, quamvis mutaretur forma ecclesiæ. Et subdit qualiter ipse secutus est currum cum paucis, dicens: *la bella donna,* scilicet, Mathildis comitissa christiana, *che mi trasse al varco,* per aquam fluminis ad se, *e Stazio,* poeta christianus qui occulte juverat christianos, *et io,* qui præ cæteris christianis ro-

(1) 117, ne reciperet.
(2) E. dixit in passione pretiosissimæ Crucis: consummatum est.

boravi poetice fidem, *seguitavam la ruota,* scilicet dexteram ad quam currus se volvit, ut supra dicitur; et figurat quod ecclesia volvitur supra novum testamentum; ideo bene isti christiani sequebantur illam rotam. Et specificat ipsam rotam per signum, dicens: *che fe l' orbita sua,* idest, vestigium quod facit rota in via, *con minor arco,* idest circulo, quam fecerit sinistra rota: et hoc videmus de facto quod quandocumque aliquis currus revolvitur, rota interior facit minorem circulum quam exterior, nunc autem rota interior erat dextra in ista revolutione: hoc etiam patet allegorice, quia novum testamentum facit multo minus volumen quam vetus, vel quia per novum testamentum facilius et citius ascenditur cœlum. Et subdit quod secundum motum ambulantium resonabat melodia angelorum * cantantium, dicens: *un' angelica nota,* idest, cantus angelorum * (1), *temprava i passi,* conformando pariter et proportionaliter (2), *sì passeggiando,* idest, nobis percurrentibus, *l' alta selva,* qua nulla est altior, quia propinqua cœlo, *vota,* idest, vacuata et privata habitatoribus, *colpa di quella,* scilicet, Evæ, *ch' al serpente crese,* idest, quæ credidit diabolo, et (3) sibi credidit vir; unde paulo infra ponit querelam de Adam: sed certe ad culpam continuo secuta est pœna; nam uterque factus exul, miser et pauper, omnium egenus, subiectus morti vidit omnia dura auditu nedum toleratu; et inter anxietates et inter angustias longam et fessam malis terminavit vitam. Si ergo prohibitio auxit concupiscentiam huius mulieris excelsæ, quid mirum si nullus metus mortis potest cæteras continere? quarum corpus molle, animus vilis præcipitat in omnem turpitudinem, nec fræno coerceri potest indomitum animal, cuius vir frequentius est in culpa.

(1) Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici 117 e Estense.
(2) 117, proportionabiliter. (3) E. et etiam sibi.

Forse in tre. Ista est secunda pars generalis in qua poeta describit fundationem primitivæ ecclesiæ militantis. Et primo ostendit qualiter Beatrix descendit de curru, cum appropinquarent ad arborem cui alligandus erat currus, quia remansura erat ad custodiam currus recedente grypho: et pro continuatione tangit quantum viæ fecerant quando pervenerunt ad arborem, per unam comparationem claram, dicens: *Saetta disfrenata,* ad tractum, *prese forse tanto spazio,* idest, transivit tantum viæ, *in tre voli,* idest, in triplici jactu arcus, *quanto eravam remossi,* idest, quantum eramus facti longinqui a loco unde moveramus; quasi dicat, nos tres, scilicet Mathildis, Statius et ego leves iveramus forte per tres balistratas sequentes currum; *quando Beatrice scese,* idest, descendit de curru prope arborem maximam spoliatam. Ideo subdit: *io sentia a tutti mormorare: Adamo,* redarguendo eum de inobedientia propter quam arbor erat ita spoliata, quasi dicentes: Adam, Adam ubi es, qui fuisti causa tanti mali peccando hic. Unde dicit: *poi cerchiaro,* idest, circumdederunt, *una pianta,* hæc erat arbor scientiæ boni et mali, *dispogliata di fiori e d' altra fronda con suo ramo.* Et sic vide, quod ista fuit prima duarum despoliationum de quibus dicit infra capitulo proximo quæ facta fuit per Adam. — *La chioma.* Hic poeta describit alte istam arborem ab altitudine sua per comparationem pulcram altissimarum arborum. Ad cuius intelligentiam est primo sciendum, quod sicut scribit Virgilius II Georgicorum, in parte Indiæ, quæ est juxta oceanum orientalem nascitur arbor tantæ altitudinis quod nulla sagipta valet attingere summitatem eius, licet sint ibi optimi sagiptatores. Et describit deinde Virgilius aliam arborem alterius provinciæ orientalis, scilicet, Mediæ, quæ est arbor simillima lauro in frondibus et odore, habet tamen maiorem odorem: hæc autem arbor mirabilis producit

pomum optimum contra omnem vim veneni, quod [1] habet saporem valde amarum; unde curat subito pueros quibus crudeles novercæ dederunt venenum pestiferum. Et sic vide quantum arbor hæc saluberrima conveniat cum arbore tali: differt tamen in hoc quod arbor paradisi per contrarium nostrarum arborum semper ingrossatur ascendendo. Dicit ergo: *La chioma sua,* idest, corona ramorum huius arboris, *che tanto più si dilata,* idest, ampliatur, *quanto più è su,* idest, ascendit sursum, *fora ammirata,* esset inspecta cum admiratione, *dagl' Indi,* idest, ab illis de India, *nei boschi lor per altezza,* quasi dicat, quod illa arbor quæ est altior in India est brevis respectu istius. Et hic nota quod hæc est illa arbor a qua excisa fuit illa arbor, de qua dictum est in circulo gulosorum, quæ habet partem superiorem ampliorem quia recipit nutrimentum a cœlo, ubi arbores nostræ recipiunt a terra. Nota etiam hic quod, teste Seneca, Virgilius magis voluit delectare lectorem quam docere agricolam. — *Beato.* Hic poeta quia dixerat, quod omnes culpaverant inobedientiam Adæ, nunc ostendit qualiter omnes commendaverunt obedientiam Christi qui renovavit arborem quam Adam spoliaverat. Dicit ergo: *Beato se',* *grifon, che non discindi,* idest, disrumpis, *col becco,* quasi dicat, qui non gustas, *d' esto legno,* scientiæ boni et mali; hoc dicit quia Christus factus est obediens usque ad mortem, ubi Adam non fuit obediens nisi per paucas horas; ideo bene dicit: *dolce al gusto,* sed amarum ventri; unde dicit: *poscia che 'l ventre mal si torse,* idest, amare torquetur et tormentatur, *quindi,* ab illo gustu, ut jam patuit in primis parentibus. Et tangit unde venerit istud dictum et confirmatio dicti, dicens: *gli altri,* scilicet, beati, *gridaron così,* sicut dictum est in laudem gryphi,

---

[1] E. quod pomum habet.

d' intorno all' albero robusto, magnam et fortem; *e l' animal binato,* scilicet, Christus qui est duarum naturarum, supple, clamavit, *sì si conserva il seme d' ogni giusto,* scilicet, per perseveratam obedientiam. Et tangit deinde qualiter hic justus jecit primum fundamentum ecclesiæ, dicens: *e volto,* ille gryphus, *al temo,* currus, *ch' egli avea tirato,* ad collum suum, *trasselo a piè della vedova frasca,* idest, ad arborem viduatam frondibus, ut jam dictum est, *e lasciò quel,* scilicet, currum, *legato di lei a lei,* quia scilicet cum ramo arboris alligavit currum arbori et ascendit in cœlum. Et hic nota quod aliqui dicunt * quod hæc ligatio est figura incarnationis, aliqui * (1) quod dictum lignum habet notare crucem; tu vero dic quod per hoc poeta notat quod Christus cum obedientia alligavit ecclesiam obedientiæ. — *Come.* Hic poeta describit effectum mirabilem illius ligationis per unam nobilem comparationem: et intendit summarie dicere quod ligato curru ad plantam continuo illa reviruit et refloruit in tempore gratiæ, sicut nostræ arbores adveniente vere reinduunt folia, frondes, et omnem ornatum suum, quo fuerant primo spoliatæ per totum tempus hyemis. Nunc expone et construe sic literam quæ subtilis est, et incipe ibi: *La pianta,* lignum illud, *che prima avea le ramora sì sole,* sine foliis et floribus, *aprendo,* idest, aperiendo se, *s' innovò,* idest, renovavit, *colore,* medium, *men che di rose e più che di viole.* Et hic nota subtilem fictionem poetæ per quam dat nobis intelligi (2), quod arbor quæ erat primo sic spoliata, fuit postea colorata quodam novo colore minus rubente quam rosæ et plusquam violæ; et hoc per passionem Christi et eius obedientiam. Sicut enim propter peccatum primi parentis inobedientis spoliata erat planta illa obedientiæ, et non salvabantur ali-

(1) Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici Strozziano e 117.
(2) E. intelligere.

qui quamvis justi; sic propter obedientiam Christi renovata fuerunt folia in planta ipsa, cum reconciliatum fuit genus humanum deitati; non tamen ita quod reduceretur ad primam gratiam, idest, ad statum innocentiæ, sicut erat prius; ideo bene dicit, quod folia erant colorata non ut rosæ, sed plusquam violæ. Sic ergo renovata est planta, *come le nostre piante,* generaliter et communiter, *fansi turgide,* idest, inflantur, impraegnantur, et pariunt flores, *quando la gran luce,* idest sol, *casca,* idest, cadit, sive descendit, *giù,* scilicet ad terram, *mischiata con quella,* idest, coniuncta cum luce arietis [1], *che raggia dietro alla celeste lasca,* idest, signum piscis; nam lasca est genus piscis; aries enim immediate sequitur signum piscium, *e poi ciascuna si rinovella di suo colore,* secundum suam speciem, *pria che 'l sole giunga li suoi corsieri,* idest, equos currentes plusquam aliqui [2] equi barbari vel arabes, *sotto altra stella,* idest, constellationem, quasi dicat: antequam intret aliud signum, scilicet, taurum, qui sequitur arietem.

Io non lo intesi. Ista est tertia pars generalis, in qua poeta describit reversionem illius beati exercitus ad cœlestem patriam; et primo ut præparet se ad talem materiam describit quomodo [3] obdormivit ibi ad dulcedinem cantus, eo modo quo Argus obdormivit ad delectationem [4] soni Mercurii. Ad cuius [5] rei evidentiam oportet primo scire quod Isis, quæ antea vocata fuerat Io, fuit olim regina clarissima ægyptiorum, et postea sanctissima et venerabilis dea: de cuius tempore et parentibus variæ et vanæ opiniones sunt apud illustres autores. Sed ut Ovidio faveatur, fuit filia Inachi primi regis argivorum et soror Phoronei magni legislatoris tempore Jacob. Hæc,

---

(1) E. aeris.
(2) E. alibi.
(3) 117, quomodo obdormiverit ibi.
(4) 117, dulcedinem soni.
(5) E. Ad cuius evidentiam sciendum quod.

ut omnium poetarum figmenta omittam, et historiam veram et allegoriam sequar, fuit mulier forma (1) decora, ingenio nobilis, quæ a Jove magno adultero deflorata virginitate facta est meretrix: ideo bene dicitur mutata in vaccam, et tradita Argo custodienda, rapta dicitur a Mercurio, quia nemo est tam argutus, oculatus et astutus qui mulierem valeat custodire ab insidiosis artibus Mercurii, qui viget eloquentia, astutia et omni genere furtivæ malitiæ: ideo bene dicitur apposuisse illi asilum sub caudam, idest, stimulum libidinis, quo pungente diu vaga discurrit. Est enim asilus apis quæ supposita caudæ bovis facit illum furiose currere per multa milliaria; ideo bene res non honesta colorata est sub honesta fictione et velamine fabulæ. Hæc igitur diu vagata per orbem, multis percursis provinciis, tandem devenit in Ægyptum; ubi femina græca sapiens docuit ægyptios homines imbecilles superstitioni aptos colere agros, et ex frugibus panem conficere: et quod longe nobilius fuit dedit novum usum literarum illis. Propter quæ tam excellentia opera non ex Græcia Isidem venisse, sed ex cœlo cecidisse sibi crediderunt; unde et illi adhuc viventi tribuerunt divinos honores. Modo ad propositum vult dicere poeta: sicut Argus audiens Mercurium pulsantem obdormivit nimia delectatione, ita ipse nimia dulcedine cantus auditi obdormivit. Et sic est optima comparatio de poeta nostro ad Argum, quorum uterque sopitus est dulcedine magna. Nunc ad literam: Poeta tangit ipsum cantum, dicens: *Io non lo intesi l'inno,* idest, laudem Deo debitam, *che quella gente,* quæ remanserat ibi circa currum, *allor cantaro,* præ gaudio magno, *e qui non ci si canta,* quia talis hymnus non cantatur in mundo isto, vel non cantatur hic, idest, non

(1) E. formosa et decora.

poetice describitur in isto libro, quia non possum. Per hoc notat poeta quod iste cantus fuit excellentissimus quem non potuit intelligere, quia immensum gaudium et festum ibi fiebat pro renovatione plantæ; nam si sæpe gaudium factum est pro purgatione unius solius hominis, scilicet, Dantis, quanto magis nunc pro salvatione humani generis. Unde dicit: *nè la nota soffersi tutta quanta,* quia scilicet somnus rapuit me ex nimia dulcedine, sicut contigit Argo. Unde subdit quod si posset describere modum obdormitionis hoc faceret exemplo Argi, quod multum facit ad propositum. Ordina sic literam et construe: *io disegnerei,* idest, describerem poetice, *com' io m' addormentai,* ad cantum, *come pintor che pinga con esemplo,* et est optima similitudo de pictore ad poetam, quorum uterque intendit repræsentare, *s' io potessi ritrar,* idest, repræsentare, *come gli occhi spietati,* scilicet, Argi qui impie tractabat Io commissam suæ (1) custodiæ, tenens eam sub arcta custodia, *assonnaro,* idest, repleti sunt somno, *udendo di Siringa,* scilicet, a Mercurio pulsante fistulam et narrante quomodo fistula illa facta fuerat de Siringa virgine quæ mutata est in cannulam; et repetit: *gli occhi,* dico, *a cui pur vegghiar costò sì caro,* quia Argus ex hoc perdidit lucem vitæ mactatus a Mercurio. Et volunt aliqui quod Mercurius sit sol, et Argus cœlum, cuius omnia lumina sol extinguit lumine suo. Et subdit excusans se quod non potest scribere (2) obdormitionem et transit ad evigilationem. Unde dicit: *ma qual vuol sia,* idest, quicumque poeta (3) magnus, *che ben finga l' assonnar,* quasi dicat: nullus posset bene fingere obdormitionem; *però trascorro a quando mi svegliai;* duo autem fuerunt excitantia ipsum, scilicet, lux magna, et vox; unde dicit: *e dico ch' un splendor,* scilicet, receden-

(1) 117, suæ curæ.
(2) 117, potest describere.
(3) 117, sit poeta magnus.

tium in cœlum, *mi squarciò il velo del sonno,* idest rupit mihi somnum, quod velabat mihi visum, *et un chiamar;* hæc erat vox Mathildis dicentis: *surgi, che fai?* quasi dicat, non est amplius tempus dormiendi, quia jam militia illa sancta rediverat in cœlum post gryphum. Et hic nota quod poeta more suo quando vult describere (1) aliquid pulcrum de novo, fingit primo se dormire, deinde in diluculo evigilare. — *Quali.* Hic poeta ostendit qualiter evigilaverit et quid viderit per nobilem comparationem. Et vult sententialiter dicere, quod sibi nunc accidit sicut discipulis Christi tempore quo se transfiguravit: nam excitatus a somno cum stupore vidit mutatam formam militantis ecclesiæ, quia scilicet tota militia illius exercitus præcedentis rediverat in cœlum post Christum qui resumpserat (2) suam veram figuram, sicut discipuli excitati cum stupore viderunt Moysem et Helyam disparuisse, et Christum resumpsisse (3) primam figuram. Nunc vide literam, quæ est satis fortis, et construe et incipe ibi: *Io tornai tal,* a somno in vigiliam, omnibus recedentibus remanente Beatrice, *quali,* supple, apostoli rediverunt, scilicet, *Pietro e Giovanni e Jacopo,* frater eius: istos enim tres assumpsit Christus, quia omne meritum fidei consistit vel credendo (4) cum Petro, vel supplantando vitium cum Jacobo, vel operando bonum cum Johanne in quo est gratia, *condotti,* scilicet, a Christo in montem Thabor, qui est quarto milliario a Nazareth, ubi Christus transfiguratus est coram eis, sicut et hic transfiguratus est in gryphum in monte excelso, *a veder de' fioretti del melo,* idest, summi boni. Bene dicit, quia tunc viderunt florem beatitudinis, postea visuri fructum, idest, maiestatem (5) divinitatis et essentiam Trinitatis in cœlo, sicut et

(1) 117, scribere.
(2) E. reassumpserat.
(3) E. reassumpsisse.
(4) 117, in credendo.
(5) E. maiestatis divinitatem, et.

poeta vidit hic in figura, postea vero in divina essentia; ideo dicit: *che fa gli angeli ghiotti del suo pomo,* quia pascuntur fructu beatitudinis, *e perpetue nozze fa nel cielo;* quia vescuntur æternaliter talibus epulis in cœlo non aliquando sicut in terra gustaverunt in monte. Et dicit: *e vinti,* a subito splendore, sicut nunc poeta, *tornaro alla parola,* scilicet Christi, qui dixit eis, surgite, sicut et nunc Mathildis dixit poetæ: surge. Et dicit: *dalla qual furon rotti maggior sonni,* scilicet, sanctorum patrum, quos aliquando excitavit Deus; vel dic, quod maior somnus, scilicet mortis, aliquando fuit victus ad verbum Domini sicut in Lazaro et quibusdam aliis. Et dicit: *e videro scemata loro scuola,* idest, societatem, *così di Moisè come d'Elia;* adduxerat enim Christus legislatorem Moysem et Dei zelatorem Elyam: dominus vivorum in Elya, et mortuorum in Moyse; *et al maestro suo,* scilicet, Christo, *mutata stola,* idest, veste; nam in illa transfiguratione resplenduerat facies eius sicut sol, et vestimenta eius facta erant sicut nix, non tamen assumens novam faciem vel figuram, sed candor ille vestium procedebat a candore faciei, ut ait Augustinus, postea autem vanuerat. — *E vidi.* Hic poeta ostendit qualiter reversus a se viderit ecclesiam remanentem post discessum Christi et exercitus, dicens: *E vidi quella pia,* scilicet, Mathildim, quæ pie me receperat per sylvam errantem; unde dicit: *che fu conducitrice pria de' miei passi lungo il fiume,* scilicet, Lethæum, *e tutto in dubbio,* quia non videbam Beatricem, *dissi: ov'è Beatrice?* quasi volens dicere: recessit ipsa forte in cœlum cum aliis, et non duxit me secum? et tamen non poterat hoc credere, quia totiens fuerat sibi promissum et prædictum; ideo bene dicit *in dubbio.* Et subdit responsionem Mathildis, dicens: *ond'ella,* scilicet, Mathildis, supple, dixit: *vedi lei sotto la fronda,* quam de novo produxerat dicta

arbor, ut prædicitur, *nuova sedersi in su la sua radice,* quia fundata est super radicem talis arboris sic renovatæ, et ministrat humorem sibi de quo vivit. Et addit: *vedi la compagnia,* scilicet, partem quæ remansit, *che la circonda,* scilicet, septem virtutes et septem dona, ita quod ista excelsa domina melius potest dicere quam Juno: *Sunt mihi bis septem præstanti corpore nymphæ: gli altri,* idest, reliqua pars militiæ, *sen vanno suso,* ad cœlum, *dopo 'l griffone,* scilicet, Christum, *con più dolce canzon e più profonda,* quam esset cantio remanentium; et merito quia cum Christo recedebant prophetæ, evangelistæ et doctores. — *E se.* Hic poeta ostendit qualiter redierit cum oculis et animo ad Beatricem, et qualiter viderit eam. Dicit ergo continuative: *E se più fu il suo parlar diffuso,* idest, et si plura dixit illa Mathildis, *non so,* quia alia domina maioris pulcritudinis et bonitatis vocabat (¹) me; unde dicit: *perocchè quella,* scilicet, Beatrix, *ch' ad altro intender m' avea chiuso,* scilicet, ad speculandum aliud de remanentibus, ita quod non poteram amplius audire de recedentibus, *già m' era negli occhi,* idest, jam contemplabar ipsam quæ remanserat loco Christi. Unde subdit: *sola sedeasi,* illa Beatrix, *in sulla terra vera,* ubi est arbor scientiæ boni, *come guardia lasciata lì del plaustro,* idest, currus qui remanserat ibi: et vere sacra scriptura est illa quæ post Christum custodit et conservat ecclesiam in terra, *che legar vidi,* idest, quem currum vidi ligari ad arborem, ut supra dicitur, *alla biforme fiera,* idest, Christo duarum formarum, scilicet, aquilæ et leonis. Et tangit nobilem comitivam istius nobilissimæ dominæ, quoniam septem virgines domicellæ ancillabantur sibi; unde dicit: *le sette ninfe,* idest, virtutes (²), quæ sunt tamquam deæ vagantes in terris, et in

(¹) E. vocat me. (²) 117, septem virtutes.

cœlis sunt septem stellæ lucentes, ut alibi dictum est, *le facean claustro di se in cerchio,* quia in modum coronæ circumstabant et claudebant eam; et dicit, *con quei lumi in mano,* idest, cum illis septem luminaribus ([1]) quæ reliquerant ibi in aere illa septem candelabra ardentia, quæ sunt septem dona Spiritus sancti, *che son sicuri d'Aquilone e d'Austro,* quia non extinguuntur aliquo vento, quia non a borea vel austro, qui sunt magis violenti quam zephyrus vel eurus. Solum enim velum culpæ non sinit illa lucere oculis nostris, ut jam patuit.

Qui sarai. Ista est quarta et ultima pars ([2]) huius penultimi capituli, in qua poeta describit magnam desolationem, quæ venit super currum triumphalem, quem Christus ligaverat ad arborem. Et primo ponit orationem Beatricis ad se quem ([3]) invitat ad videndum quædam terribilia affligentia et vexantia multipliciter currum. Dicit ergo Beatrix faciens poetam benevolum et attentum ad dicenda: *Tu sarai poco tempo silvano qui,* idest, habitator istius sylvæ delitiosæ, quia cras mecum eris in cœlo; unde dicit: *e sarai meco,* in æterna vita, *senza fine cive di quella Roma,* idest, supernæ patriæ, *onde Cristo è romano,* quia est imperator illius curiæ. Et nota quod potius facit mentionem de Roma quam de Jerusalem hic, quia Roma in tempore gratiæ fuit patria istius currus, sedes pontificum, terra fere tota madida sanguine martyrum, et quia statim tangit persecutiones quas fecerunt romani imperatores contra istum currum. Roma etiam fuit patria libertatis, unde omnis liber homo appellatur civis romanus in jure civili; vult ergo dicere Beatrix: tu qui nunc es civis terrenæ Romæ cito eris civis æternæ Romæ; quasi dicat: quia tu es ita electus et prædesti-

([1]) E. luminibus. ([2]) 117 e E. pars generalis.
([3]) 117, quæ invitat eum ad videnda quædam.

natus ut vivens venias ad hanc civitatem; *però tieni or gli occhi al carro,* quia si Christus fudit sanguinem suum pro eo, et successores sui diu fuderunt suum, *in pro del mondo,* idest, ad profectum et instructionem mundanorum, *che mal vive, e ritornato di là,* scilicet, ad mundum, *fa che tu scrive quel che vedi,* quia tu bonus in opere tuo intendis facere alios bonos. Et continuo ostendit qualiter obediverit sibi, dicens continuative: *così Beatrice,* supple, dixit mihi: *et io ch' era tutto divoto a' piedi de' suoi comandamenti,* præsto ad omnem famulatum, *diedi la mente e gli occhi,* idest, oculos mentales, *ov' ella volle,* scilicet, ad currum. — *Non.* Nunc poeta incipit [1] describere tribulationes ecclesiæ, et primo quidem describit figuraliter primam generalem maximam persecutionem quam ostendit per persecutionem unius aquilæ fulminantis. Sub hac autem dat intelligi persecutiones imperatorum romanorum, quorum signum erat aquila: multi enim post [2] Christum persecuti sunt ecclesiam, sicut Nero, Domitianus, Decius, Dioclitianus et alii: decem enim fuerunt persecutiones magnæ ad similitudinem decem plagarum Ægypti, ut ait Horosius, nec tamen putandum est ecclesiam non habuisse vel habituram esse alias, ut ait Augustinus de Civitate Dei. Ad literam ergo poeta tangit terribilem descensum unius aquilæ per comparationem propriissimam fulminis, dicens: *Fuoco non scese mai di spessa nube quando piove,* in hoc tangit generationem fulminis de qua alias dictum est et dicetur, *da quel confine che più è remoto,* idest, a remotiori parte Mediæ [3] regionis, ubi fiunt tales impressiones, *con sì veloce moto,* idest, tam repentino impetu. Fulmen ergo figurat altam su-

[1] 117, ostendit et incipit.
[2] E. post Dominum nostrum pretiosissimum Redemptorem Dominum Jesum Christum persecuti sunt eius ecclesiam, sicut.
[3] 117, Indiæ regionis.

perbiam potentum superborum quod facit tantas strages; *com' io vidi calar l' uccel di Giove,* idest, descendere aquilam, quæ dicitur avis Jovis, ut dictum est IX capitulo huius Purgatorii, et dicetur VI Paradisi, *per l'arbor,* cui erat alligatus currus, *giù, rompendo della scorza,* quæ erat durior, *non che de' fiori,* idest nedum de floribus novis qui erant teneriores [1], *e delle foglie nuove;* quia non solum christianos novellos nuper conversos, sed etiam jam firmatos in fide percussit: et hæc est secunda duarum despoliationum de quibus dicetur infra capitulo proximo. Deinde ab arbore convertit vires suas contra currum; unde dicit: *e ferio il carro,* scilicet, bigam, *con tutta sua forza,* ut exterminaret ecclesiam primitivam noviter pullulantem, sed subvertere non potuit, ideo dicit: *ond' ei,* ipse currus, *piegò come nave in fortuna,* tempore tempestatis, *vinta dall' onde,* idest, fluctuatione maris, *or da poggia or da orza,* idest, nunc ab uno latere, nunc ab alio; sunt enim duo fines. Et hic nota quod navicula Petri aliquando flectitur, sed nunquam mergitur: unde [2] mille crudelitates Neronis qui faciebat omne triste ludibrium de christianis, ut refert Cornelius Tacitus, poterant nunquam convincere illos, de quo mirabantur omnes. — *Poscia.* Hic poeta descripta persecutione facta per vim, nunc describit secundam persecutionem factam per fraudem; et similiter tangit sub figura generalem et pessimam persecutionem hæreticorum. Cessante enim persecutione principum per Constantinum, cœperunt pullulare hæreses multæ et variæ, quas [3] complectitur sub una vulpe fraudulenta. Dicit ergo: *Poscia vidi una volpe,* idest, versutam astutiam multorum hæreticorum, sicut Sabelli, Arii et aliorum, *avventarsi nella cuna,* idest, ventrem vel gremium, quia hæretici non

---

(1) E. tenuiores. (2) E. unde nullæ crudelitates. (3) 117, quas omnes.

agunt patenter sicut principes contra ecclesiam, sed occulte, *del trionfal veiculo,* idest, currus militantis ecclesiæ, quæ triumphaverat jam de imperatoribus, *che parea digiuna,* idest, famelica vel vacua, *d' ogni buon pasto,* idest, omni bona doctrina, sed omni pravo dogmate pasta. Et subdit resistentiam quam facit sapiens et potens domina contra vulpem de jure et de facto, dicens: *ma la mia donna,* idest, sancta scriptura, cuius imperio nunc eram deditus, *riprendendo lei,* scilicet vulpem, *di laide colpe,* idest, turpibus erroribus; nam Beatrix opposuit ad defensionem suam angelos qui erant in curru, idest, magnos doctores contra magnos hæreticos, sicut Augustinum contra Faustum, Hieronymum contra Jovinianum, qui posuerunt enormes errores, sicut ipse Jovinianus qui voluit virginitatem nullam [1] esse virtutem etc. et ita cum argumentis fidei, *la volse in tanta futa,* quia fugerit [2] a facie ecclesiæ; *quanto sofferson l' ossa senza polpe,* quia maceravit vulpem et spoliavit carnibus, ita quod remansit sola pellis extensa super ossibus; vel vult dicere quod remanserunt ossa combusta carne, quia ecclesia incinerat hæreticos quando invenit eos contumaces ne effundant venenum in alios credulos. — *Poscia.* Hic poeta tangit aliam persecutionem factam ab aquila imperiali, sed contrario modo, quia prima vice spoliaverat ecclesiam, nunc vero vestivit eam nudam de proprio Per hoc tangit dotationem quam fecit Constantinus quam poeta ponit pro magna persecutione ecclesiæ, quæ generaliter infecit prælatos avaritia quæ est fundamentum omnium malorum. Dicit ergo: *Poscia vidi l' aguglia,* quam Constantinus transportavit in Græciam, ut cederet [3] pastori apostolico, *scender per indi,* idest, per arborem, *ond' era pria venuta giù nell' arca,* idest, ventrem,

---

(1) E. naturalem esse virtutem. (2) E. quia fugerunt a facie.
(3) 117, redderet.

del carro, e lasciar lei di se pennuta, quia deplumavit se et depauperavit ut vestiret et ditaret ecclesiam. Et probat poeta quod dotatio [1] fuit magna persecutio ecclesiæ, quia tempore illius prodigæ donationis audita est vox de cœlis, dicens: Hodie diffusum est venenum in ecclesia Dei. Dicit ergo: *e tal voce,* tam amara et querula, *uscì del cielo,* audita a quodam sancto viro, *qual esce di cuor che si rammarca,* idest, qualis vox exit ex animo hominis dolentis qui conqueritur; *e cotal,* scilicet, vox, *disse: o navicella mia,* idest, ecclesia quæ dicitur navicula Petri, *com' mal se' carca,* idest, onusta malis mercibus, quas melius esset abiicere tempore tempestatis, quam simul perire cum illis. Et ipse poeta supra jam de hoc fecit amaram querelam Inferni XIX capitulo, ubi clamavit: *ah, Constantin* etc. — *Poi.* Hic poeta describit quartam pestem, quæ maius nocumentum [2] dedit ecclesiæ, quia detraxit magnam partem christianitatis vi et fraude, ita quod hic draco magnus plus mali fecit quam aquila prædando vel donando, et quam vulpes pravum seminando dogma, quia maiorem scissuram fecit, sicut plene notatum est Inferni capitulo XXVIII. Sed ulterius est sciendum pro maiori cognitione, quod Heraclio christianissimo imperatore romanum gubernante imperium, anno Domini DCXI, Machomettus christianæ fidei perfidus adversator, se Dei prophetam mentiens orientales plagas et maxime Arabiam labefecit; legem enim a diabolo dictatam ministerio Sergii monachi apostatæ et hæretici tradidit saracenis arabice scriptam. Fuit Machomettus vir luxuriosus, bellicosus, asserens se per gratiam Dei posse gignere plusquam quadraginta viri, habens multas uxores et concubinas; ideo tradidit leges immundas et vanas suis arabibus, quorum erat gens grossa sine lege,

---

[1] 117 e E. dotatio ista fuerit. [2] E. detrimentum.

sine domino. Cognovit et uxorem domini sui mercatoris ditissimi, quam post mortem illius duxit uxorem; tandem in ætate quadraginta annorum extinctus est veneno fraude suorum. Ad literam ergo, poeta describit istum sub figura draconis, dicens: *Poi parve a me che la terra s' aprisse,* ut pareret istum draconem diabolicum, quem vere visa est emittere ab inferno; fuit enim homo totus carnalis et terrenus, *tr' ambo le ruote,* idest inter duas rotas, scilicet vetus et novum testamentum; et bene dicit, nam Machomettus ex utroque testamento constituit legem saracenis; asserebat enim se missum ad declarandam legem Moysi judæis, et legem Christi christianis; et ut male intelligentes corrigeret et doceret, et necaret incredulos; unde dicit: *e vidi uscirne un drago;* draco dicitur serpens templi, et iste intravit templum Domini: fuit hic draco immensæ magnitudinis, maior serpente qui romanum vexavit exercitum sub Marco Regulo in Africa. Fuit hic draco alatus qui volavit ab oriente in occidentem; unde dicit: *che per lo carro su la coda fisse,* caudam venenatam, qua infecit magnam partem fidelium. Et quia fixerat caudam sursum contra Deum, subdit quomodo retraxit eam ad se cum præda per comparationem vespæ, dicens: *e trasse dal fondo,* illius currus, *la coda maligna,* idest, male ignitam, ille draco, *traendo a se,* idest, retorquendo ad se, *come vespa che ritragge l' ago,* idest, aculeum suum. Et est comparatio propria de vespa quæ est inimica api, et vastat dulcem fructum eius, sicut Machomettus Christi. Et dicit: *e gissen vago vago,* idest, recessit ille draco. Et hic nota quod Machomettus vagatus est postea per orbem terrarum, quia suis malis artibus arabes, syros, medos, persas, ægyptios, æthiopes et usque ad Hispaniam suo errore seduxit. Et breviter in ecclesia Dei tantus error factus est, quod ab infantia ecclesiæ usque ad eius senium, idest, usque ad

tempus antichristi, nec maior fuit unquam, nec futura videtur abominatio, desolatio, vel maius flagellum ecclesiæ Dei; ita quod de Machometto verificatum videtur quod [1] de Ismaele Genesis XVI: *Iste erit ferus homo, manus eius contra omnes, et manus omnium contra eum.* Et merito talis draco tantæ malitiæ et nequitiæ venit de Arabia; nam semper ab antiquo arabes latrocinantes insidiati sunt populo Dei, ut sæpe patet in sacra scriptura: et nunc Beatrix cum suis christianis poterat dicere Machometto et suis [2]: *Ignotum vobis, Arabes, venistis in orbem.* Nota etiam quod quidam periti per hunc draconem volunt intelligi Arium, quem sæpe Augustinus vocat serpentem; sed certe Machomettus fuit maior serpens; quidam etiam per vulpem intelligunt Machomettum, quod nullo modo habet veritatem. — *Quel.* Hic poeta ostenso quod draco asportavit secum in errorem magnam partem currus, nunc ostendit quod pars quæ remansit fuit multa vitiata cupiditate, unde revertitur ad donationem Constantini, dicens: *Quel che rimase,* idest, illa pars currus quæ non est secuta Machomettum, scilicet romana curia, ut papa et cardinales [3], quæ remansit in fide Christi, *si ricoperse della piuma,* idest, dicta dote, *offerta,* scilicet, a Constantino, *come terra vivace,* quæ est de se fertilis, supple, cooperitur, *di gramigna,* gramen enim de facili germinat et difficillime eradicatur. Et est comparatio propria: quanto enim terra est naturaliter melior, cum malo semine vel non culta efficitur peior, sicut supra dixit ipsa Beatrix pro ipso poeta. Et dicit: *forse con intenzion sana et benigna,* quia intentio Silvestri fuit bona forte ad defensionem currus et reintegrandum scissuras receptas. Intentio etiam Constantini fuit recta, licet ma-

---

[1] 117, quod dicitur de Ismaele.
[2] E. suis illud Lucani: *Ignotum.*
[3] E. et cardinales romanæ curiæ quæ.

lus sequeretur effectus, ut dicitur Paradisi capitulo XX; unde subdit: *e l'una e l'altra ruota funne ricoperta,* illa dote, *e il temo,* simul cum rotis fuit recoopertus, quasi dicat: tota ecclesia locupletata est, *in tanto,* idest, valde modicum cum illa bona intentione, *che più tiene un sospir la bocca aperta,* quasi dicat: parvo momento. — *E transformato.* Hic poeta describit sub terribili figura malum effectum huius dotationis, quia currus factus est velut animal monstruosum habens multa capita et cornua; dicit ergo: *E il dificio santo,* idest, currus fabricatus tot sanctorum manibus prophetarum et evangelistarum, *transformato così,* quia ex paupere habitu in divitem cultum *mise fuor teste,* idest, septem peccata mortalia quæ pullulare cœperunt in ecclesia crescente dote, *per le parti sue;* et ecce, *tre sopra 'l temo,* idest, principalibus prælatis regentibus currum: ista sunt tria vitia peiora et magis spiritualia, scilicet, superbia, invidia et ira, *et una in ciascun canto,* idest, quod quatuor erant in quatuor angulis currus, idest, in aliis prælatis sedentibus in curru per totum a quatuor plagis mundi; et ista erant alia quatuor vitia minora et magis corporalia, scilicet accidia, avaritia, luxuria et gula; et hoc ordine purgavit poeta ista septem vitia sicut patuit per totum verum purgatorium. Et distinguit dicta peccata capitalia per signum, dicens: *le prime,* scilicet, tres, *eran cornute come bue,* quia habebant duo capita ferientia sicut (1) bovis indomiti, quia faciunt duas offensas, scilicet, in Deum et in proximum; *ma le quattro avean per fronte un sol corno,* quia faciunt magis offensam in Deum quam in proximum, licet omnia offendant utrumque. Et sicut nata sunt septem capita, ita fugata sunt septem lumina ab ecclesia Dei; ideo concludit: *Simile mostro in vista mai non*

(1) 117, more bovis.

fue, quia si hydra Herculis habuit septem capita non habuit decem cornua. — *Sicura.* Nunc ultimo poeta describit novissimam persecutionem ecclesiæ, quam viderat tempore suo, qua nulla videtur fuisse turpior quamvis maior, scilicet, mortem Bonifacii, de qua jam sæpe dictum est. Introducit autem curiam romanam sub nomine meretricis, sicut alias fecit, et regem Franciæ sub nomine gigantis. Dicit ergo: *una puttana sciolta,* idest, lubrica, dissoluta [1]; hæc est enim meretrix magna, quæ sponte se subiicit principibus, et vendit honorem suum, *m' apparve seder sovresso,* scilicet currum, *con le ciglia pronte intorno,* prompta ad fornicandum cum procis ex omni parte; meretrix, dico, *sicura quasi rôcca in alto monte,* propter culmen sedis apostolicæ; et quia de rei veritate Bonifacius tunc reputabat se maxime securum, quia erat in sua patria Anagnia inter suos cum quingentis satellitibus ad custodiam sui corporis. Et subdit: *vidi di costa a lei dritto un gigante,* idest, regem Franciæ Philippum, qui fuit magnus corpore et regno, unde dictus est pulcer; et fuit recte gigas, totus [2] terrenus et insurgens contra Deum more gigantum, *di costa,* prope illam meretricem, *dritto a lei,* scilicet, ex opposito: *e come perchè non gli fosse tolta,* ne adhæreret alteri regi vel imperatori, sed esset sub custodia sua, sicut fuerat diu; unde dicit: *e baciavansi insieme alcuna volta:* et hoc fuit verum de facto, quia ante dissensionem alter favebat alteri; et aliquando Bonifacius faciebat gratias ipsi Philippo; sed postea Philippus factus est sibi hostis acerrimus. Unde subdit: *ma quel feroce drudo,* idest, crudelis procus, *la flagellò,* quia verberavit peius quam soleat fieri de meretrice, *dal capo infin le piante,* sicut est scriptum supra XX capitulo huius Purgatorii, *perchè l' occhio cu-*

[1] E. dissoluta. Talis enim est meretrix.

[2] E. quia totus.

pido e vagante a me rivolse, quasi dicat: quia Bonifacius voluit(¹) respicere ad gentem italicam, dimissa gallica, quia nolebat amplius pati servitutem Philippi.—*Poi.* Hic poeta subannectit aliud damnum, quod paulo post fecit ipse Philippus, quia cum magna fraude transportavit ecclesiam ultra montes in Galliam, ubi postea transivit de malo in peius, sicut plene scripsi capitulo XIX Inferni. Dicit ergo: *Poi di dispetto pieno,* ille gigas timens ne ecclesia perveniret amplius ad manus alterius Bonifacii, qui faceret vindictam de eo, *e d' ira crudo,* idest, crudelis ira, quia volebat facere vindictam de Templariis, *disciolse il mostro,* idest, currum illum monstruosum ab arbore cui erat alligatus, *e trassel per la selva,* non per istam sylvam delitiosam istius montis, sed per sylvam vitiosam quam descripsit in principio Inferni; *tanto che sol di lei,* scilicet, sylva, *mi fece scudo,* quasi dicat, quia inter me et monstrum interposita est sylva; nam tam a longe traxit currum quod amplius videre non poteram, *alla puttana,* scilicet, Bonifacium et cæteros, *et alla nuova belva,* idest, bestiam novam, scilicet currum qui factus erat animal monstruosum, quia traxit eum supra Rhodanum in Galliam, data sibi alia meretrice, scilicet pastore Clemente.

(¹) E. noluit respicere.

CANTUS TRIGESIMUS TERTIUS ET ULTIMUS PURGATORII, *in quo Beatrix declaravit omnia Danti, de aquila prædicta et de vulpe et de gigante et meretrice, et de multis fiendis per quemdam ducem venturum; et in fine visis quatuor fluminibus paradisi, exiverunt ad videndum stellas.*

Deus, venerunt gentes, alternando. Postquam in superiori capitulo poeta noster descripsit multipliciter persecutionem militantis ecclesiæ, nunc consequenter in isto XXXIII capitulo describit planctum quem fecerunt illæ dominæ cum Beatrice de persecutione ultima quam indigne patitur ecclesia romana a regibus Franciæ (1). Et istud præsens ultimum capitulum, quod non habet minus artis præcedente, sequitur ipsum in ordine dividendi. Habet ergo quatuor partes generales; prima (2) quarum continet comploratum dominarum, et suam præparationem et bonam dispositionem suam ad dicenda. In secunda Beatrix prædicit pro consolatione vindictam sequuturam in brevi, ibi: *Sappi che 'l vaso.* In tertia arguit negligentiam et ruditatem poetæ in intelligendo res visas, ibi: *Dorme lo 'ngegno.* In quarta et ultima poeta ostendit qualiter ipse pervenerit ad summam et ultimam perfectionem virtutis, ibi: *E più corrusco.* Ad primum ergo dico quod poeta primo describit comploratum illarum dominarum. Et sententialiter vult dicere quod illæ dominæ ex dolore plorantes cœperunt decantare unum (3) psalmum David qui incipit: *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam* etc. In quo quidem psalmo

---

(1) 117, francorum.
(2) E. in prima quarum continetur ploratus dominarum, et sua præparatio et bona dispositio sua ad dicenda. (3) E. unum ex psalmis Davidis.

propheta deplorat desolationem terræ sanctæ quam habituri erant [1], et ostendit quomodo iniusti et ingrati subiiciantur flagellis hominum. Et est oratio ad Deum quod corda convertat a malo. Tangit autem ordinem quo cantabant, et tu ordina sic literam: *Le donne,* scilicet, septem virgines, *incominciaro e lagrimando,* supple, clamare dolore extorquente lacrymas et dicere: *dolce psalmodia,* idest, cantum psalmi dulcem, licet esset de materia amara. Psalmus autem erat talis: *Deus, venerunt gentes;* et vult dicere propheta: o Deus, *gentes,* idest, gentiles vel alienigenæ, sicut syri, ægyptii, arabes venerunt in hæreditatem tuam, idest, in terram sanctam etc., et ita a simili istæ dominæ volebant dicere, sicut Deo volente gentiles invaserunt et oppresserunt terram sanctam propter peccata judæorum, ita nunc Deo permittente gallici occupaverunt et usurpaverunt ecclesiam sanctam Dei propter peccata romanorum; et dicit *alternando,* idest alternative per vices, *or tre,* scilicet dominæ, ex una parte, *or quattro,* scilicet, dominæ ex alia parte; ita quod tres incipientes dicebant primum versiculum, scilicet, *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam;* et aliæ quatuor ex opposito dicebant secundum versiculum, scilicet, *et polluerunt templum sanctum tuum* etc., sicut a simili quotidie cantant moniales [2] symbolum in choro, et ita clerici. — *E Beatrice.* Hic poeta ostenso qualiter se habuerint [3] dominæ ad tantam stragem ecclesiæ et pastoris eius, nunc ostendit quomodo se habuit ipsa Beatrix ad cantum illarum dominarum quæ erant ancillæ suæ. Et primo tangit perturbationem eius per comparationem devotissimam Mariæ, dicens: *E Beatrice sospirosa e pia,* idest, dolens et compatiens tantæ indignitati, *ascoltava quelle,* scilicet, dominas cantantes et

---

(1) E. erant gentiles, et ostendit.
(2) 117, sanctæ mulieres symbolum.
(3) E. habuerunt.

plorantes simul, *sì fatta,* idest, affecta dolore, *che Maria si cambiò poco più alla croce.* Christus enim in ara crucis immolabat carnem, Maria vero animam; ille patiebatur in corpore, Maria in corde; ipsa ad sanguinem filii sui optabat addere sanguinem carnis suæ. Et bene dicit: *poco più,* quia nunquam fuit dolor mulieris similis dolori Mariæ, et tamen comparatio est valde propria, quia Maria vidit Christum capi et occidi inter latrones, ita Beatrix Christum Domini [1], scilicet, Bonifacium. Et subdit dispositionem ipsius [2] ad dicenda, dicens: *ma levata,* ipsa Beatrix, *dritta in piè,* quæ primo sedebat super radicem plantæ, *poi che l' altre vergini,* scilicet, septem virtutes, *dier loco,* scilicet, decantato toto psalmo illo vicissim, *rispose,* illis virginibus, *colorata come fuoco,* idest, rubicunda, ardens verecundia de ludibrio facto de curru et rectore eius. Et ponit orationem Beatricis, quæ dicit eis verba quæ dixit Christus discipulis suis; unde dicit: *o sorelle mie dilette,* et vide quod vocat virgines istas sorores suas ex caritate, quæ [3] supra vocaverant se ancillas eius ex humilitate; et est curialis modus loquendi, sicut magnificus dominus vocat servum [4] amicum: *modicum, et non videbitis me,* quasi dicat, pauco tempore stabo sine vobis, quia parum durabit ista persecutio; et iterum respondit, *modicum, et vos videbitis me;* quasi dicat: cito sequetur vindicta, et ecclesia erit libera a fornicatione sicut dicetur paulo post, et postea sæpe in multis locis et capitulis Paradisi. — *Poi.* Hic poeta ostendit qualiter Beatrix post exhortationem factam ad septem virgines disposuerit alios tres et ipsum præcipue ad dicenda; unde dicit continuative: *Poi,* illa Beatrix, *le si mise innanzi*

---

(1) Così leggono i Codici; ma l' Estense in margine dubita debba dire: *Vicarium Christi,* scilicet, Bonifacium.

(2) 117, eius ad dicendum.

(3) E. quas supra vocaverat ancillas suas, seu quæ vocaverunt se ancillas eius ex.

(4) 117, servum suum amicum.

tutte e sette, sicut magnifica domina præmittit sibi pulcras puellas quando accedit ad locum honestum, *e mosse me dopo se,* scilicet, ut sequeretur eam, *solo accennando,* idest, solo nutu oris, non verbo vocavit me post se, de quo potissime curam gerebat, *e la donna,* scilicet, Mathildim, quæ habebat custodiam sylvæ, sicut Beatrix currus, *e il savio,* scilicet, Statium, *che ristette,* recedente Virgilio; nam Statius post exilium tot sæculorum nunc redibat in patriam. Et subdit quomodo invitaverit [1] eum specialiter ad loquendum secum, dicens continuative: *così sen giva,* illa Beatrix cum illis præcedentibus et nobis sequentibus, *e non credo che lo decimo suo passo fosse in terra posto,* quasi dicat, et modicum ambulaverat postquam recesserat a planta juxta quam primo sedebat, *quando mi percosse gli occhi,* scilicet meos, *con gli occhi,* scilicet suis, quasi dicat quod Beatrix sic ambulando iterum retroflexit se et nutu et verbo, ut redderet me attentum. Unde dicit: *e mi disse con tranquillo aspetto,* idest, benigno visu; ubi primo videbatur irata et inflammata, nunc facta erat placata: vel secundum aliam literam, *contra quello aspetto,* idest, ad contemperandum aspectum primum rigidum, narrando mihi vindictam de brevi, *vien più tosto,* ibat enim poeta aliquantulum a longe post eam pro maiori reverentia, *tanto che tu sii ben disposto ad ascoltarmi,* appropinquando mihi, *s' io parlo teco,* si pro quia; nam volo aliqua dicere tibi ad consolationem tui et aliorum zelantium statum ecclesiæ Dei. Et addit poeta quod Beatrix videns eum adhuc timidum et tacitum prævenit ad petendum præstando sibi audaciam; unde dicit: et illa Beatrix, *dissemi siccom' io fui com' io doveva seco,* quasi dicat, cum essem factus propinquus sibi, ita quod possem bene intelligere verba lo-

---

[1] E. quomodo invitavit.

quentis, non tamen ita quod irem par secum propter nimiam reverentiam: *frate,* vocat eum fratrem ut ostendat familiarius agere secum, *perchè non t' attenti,* deposito timore et pudore, *a dimandarmi omai venendo meco?* Scio enim quod valde cupis petere si tanta offensa facta Deo in vicario suo præteribit diu impunita. — *Come.* Hic poeta ostendit qualiter persuasus a Beatrice commiserit se totum arbitrio eius, adhuc primo timore et rubore durante, per unam comparationem domesticam et claram, dicens: *Avvenne,* idest, contigit, *a me come a coloro,* supple, contingit, *che sono troppo reverenti dinanzi al suo maggior,* sicut discipulus coram magistro, *parlando, che non traggon la voce viva ai denti,* et ecce quomodo, *che incominciai,* supple, respondere et dicere, *senza intero suono,* idest, cum tremula voce: *Madonna, voi conoscete mia bisogna,* idest, quid est necessarium mihi, *e ciò ch' ad essa è buono,* idest, et quid est utile necessitati meæ. Et hic nota bene quod poeta loquitur valde sapienter et caute: vult enim dicere tacite: o bona domina, ego possem forte petere de futuris quæ non liceret mihi scire, ita quod petitio mea non esset honesta; ideo vos quæ cognoscitis quid sit mihi bonum scire sine petitione mea prædicite mihi. Et subdit responsionem Beatricis, quæ ulterius non patitur tantam timiditatem [1] eius, dicens: *et ella a me,* supple, dixit: *voglio che tu omai ti disviluppe,* quia nimis diu involutus es, sicut totiens apparuit supra, *da tema e da vergogna,* quia meam gratiam meruisti et familiaritatem Mathildis sociæ meæ et ancillarum mearum, quæ singulæ te receperunt in amplexus suos, *sì che non parli più com' uom che sogna,* quasi dicat: non sub figura, non sub imagine sicut hucusque fecisti, immo loquaris de rebus veris. Unde vide quod numquam amplius poeta

(1) E. tantam tarditatem.

noster incurret somnum, vel faciet somnium in tota tertia parte Paradisi.

Sappi che 'l vaso. Ista est secunda pars [1], in qua nunc Beatrix prædicit poetæ vindictam sequuturam in brevi ad offensam ecclesiæ; et repetens illud quod dictum est in præcedenti capitulo de dracone, dicit: *Sappi,* idest, volo te scire, *che 'l vaso,* scilicet, currus, *che 'l serpente ruppe,* quando fixit caudam inter ambas rotas, quasi dicat, ecclesia quam Machomettus divisit et secum traxit maiorem partem, ita quod maior pars meliorem vicit, *fu e non è;* et hic nota [2] bene quod nonnulli peritissimi intellexerunt istam literam sic, quod ecclesia Dei fuerit ecclesia ante Bonifacium, sed tempore Bonifacii non fuerit ecclesia, quia, ut dicunt, non fuit recte papa, quia electus per fraudem. Sed quamvis ista expositio videatur subtilis, non est tamen sana; ideo dicendum est sic, quod ecclesia fuit simpliciter et nunc est secundum quid; quia fuit prius libera nunc vero serva sub tyrannide gigantis. Ideo statim subiungit vindictam, dicens; *ma chi n' ha colpa creda che vendetta di Dio non teme suppe.* Et hic nota quod ista litera potest intelligi dupliciter, scilicet, de Bonifacio secundum primam expositionem, qui fraude adulteravit ecclesiam; et sic Bonifacius bene luit pœnam dignam quia rabida morte perdidit papatum: potest etiam intelligi de Philippo rege, qui fecit ecclesiam servam paciscendo [3] turpiter cum Clemente; et sic Philippus etiam in brevi luit pœnam, sicut poeta describit Paradisi capitulo XIX. Nota etiam quod in Florentia solebat esse quædam opinio prava firma, quod si quis poterat comedere offam super corpus interfecti a se, numquam amplius fiebat vindicta de illo tali; et hoc fecerunt [4]

---

(1) 117 e E. pars generalis, in qua.

(2) 117, est advertendum bene. (3) E. pacificando turpiter.

(4) 117, fecerunt aliquando aliqui famosi.

multi famosi florentini, sicut dominus Cursius Donatus. Modo ad propositum dicit Beatrix quod vindicta Dei non timet suppas, quasi dicat, quod fraus vel malitia non valet contra Deum, qui est justus [1] judex et vindex iniuriarum. Nota etiam quod alii aliter exponunt illam literam *fu e non è;* et dicunt quod ecclesia non est in antiqua dispositione sua, sicut fuit ante Machomettum et post donationem Constantini; nam currus tunc transformavit se: sed ista expositio videtur nimis a longe: unde litera quæ statim sequitur ostendit quod loquatur de gigante. — *Non.* Hic Beatrix describit in speciali illum qui facturus est vindictam de iniuriis ecclesiæ; et in ista litera, quæ multis videtur fortissima, poeta non vult aliud dicere sententialiter in effectu, nisi quod non post multum temporis veniet ex alta providentia Dei et bona influentia stellarum quidam justus princeps romanus qui virtute et felicitate sua reformabit mundum restituendo ecclesiam pristinæ libertati, exterminando regem Franciæ. Dicit ergo: *l'aguglia,* idest, imperium romanum, nam per signum dat intelligi signatum, *che lasciò le penne al carro,* sub [2] Constantino qui dotavit ecclesiam, *perchè,* idest, propter quam dotem ipse currus, *divenne mostro,* cum septem capitibus et decem cornibus, *e poscia preda,* facta a gigante, *non sarà tutto tempo senza reda,* idest, sine successore imperatore, sicut nunc est; nam tempore Bonifacii nullus erat imperator, nisi Albertus vocatus qui non venit ad liberandam Italiam, de quo poeta conquestus est VI capitulo huius Purgatorii. Et hic nota quod caute loquitur hic poeta: vult enim dicere tacite: sicut unus imperator romanus dedit plumas, idest, divitias ecclesiæ, ex quibus nata est insatiata avaritia prælatorum, quæ est destructio mundi, ita quidam alius imperator roma-

---

(1) 117, justus rex, judex. (2) E. subaudi Constantino.

nus eripiet [1] sibi plumas, idest, temporales divitias, et dabit libertatem ecclesiæ. Et declarat ipsum principem futurum sub velamine verborum, dicens: *ch' io veggio certamente,* si astra non mentiuntur, *e però il narro,* scilicet tibi ut notes et scribas, *già stelle propinque,* idest, constellationem quæ erit de proximo; dicunt aliqui in ætate saturnali, quæ reditura est sicut rediit tempore Augusti, stellæ, dico, *sicure d' ogni intoppo,* idest [2], occursu, *e d' ogni sbarro,* idest, a transversamine, quasi dicat, quarum influentia nihil poterit obviare vel resistere, *a darne tempo,* felix, *nel quale,* scilicet, tempore, *un cinquecento diece e cinque,* idest, unus dux; nam D semel positus apud arithmeticos significat quingentos, V importat quinque, X decem, et istæ tres literæ constituunt istud nomen dux, *messo di Dio,* hic est ille veltrus sapiens justus, de quo tanta dixi primo capitulo Inferni, *anciderà la fuia,* scilicet, meretricem magnam, scilicet, prælationem pastorum ecclesiæ, quorum uxor est lupa, in eis enim viget avaritia: et sic dicit idem in effectu in isto ultimo capitulo Purgatorii quod dixit in primo Inferni; *con quel gigante,* scilicet, rege Franciæ, *che delinque con lei,* idest, peccat secum fornicando. — *E forse.* Hic Beatrix excusat se de obscura descriptione quia cito veniet effectus, qui declarabit eius dictum dubium; unde dicit: *E forse che la narrazion mia buia,* idest, obscura, *men ti persuade,* idest, persuadet me tibi obscure, *qual Temi e Sfinge.* Ad hoc intelligendum debes scire quod Themis fuit olim sacerdotissa, quæ dabat responsa in monte Parnaso valde obscura: unde post illud diluvium particulare quod fuit olim in Græcia respondit Deucalioni regi et Pyrrhæ eius uxori consulentibus de reparatione hominum perditorum ex aqua, quod jactarent ossa

---

(1) E. capiet. (2) E. idest, incursu.

parentis post terga sua. Hoc autem responsum obscurum Deucalion interpretatus est de lapidibus qui sunt ossa terræ etc. sicut scribit Ovidius primo de transformatis. Sphinx (1), sicut scribit Statius primo Thebaidos, fuit quoddam terribile monstrum, idest, ut multi dicunt, quidam monstruosus latro in monte apud Thebas, qui cuilibet transeunti proponebat unum problema cum tali lege et conventione, quod si ille solveret problema occideret ipsum; si vero solvere non posset interficeretur ab ipso. Problema autem erat tale: Dic mihi quid sit animal (2) quod primo incedit quatuor pedibus, deinde duobus, postea tribus et ultimo quatuor? Quæ verba Œdipus interpretatus est de homine: et solvens quæstionem interfecit monstrum. Modo ad propositum, vult dicere Beatrix, forte dictum meum non movet animum tuum ad prophetiam meam, quia non est intelligibile; et tamen fuit intellectum et verificatum per eventum rei. Ideo dicit: *perchè,* ipsa narratio mea *attuia,* idest, obturat et obscurat, *l' intelletto,* scilicet, tuum, *a lor modo,* scilicet, Themidis et Sphingis. Et hic nota quod comparatio est propriissima: sicut enim oraculum Themidis erat in se obscurum, et tamen Deucalion ipsum declaravit et reparavit genus humanum; ita nunc responsum Beatricis erat obscurum in se, sed princeps futurus in brevi declarabit ipsum reformando mundum: sicut etiam problema Sphingis erat dubium, et tamen Œdipus declaravit illud et interfecit monstrum; ita dictum Beatricis nunc erat dubium, et tamen princeps futurus ipsum declarabit destruendo monstrum, scilicet, capita et cornua currus, quæ extirpabit, et sanabit ecclesiam auferendo sibi plumas. Ideo bene subdit: *ma tosto fien le fata,* idest, constellationes, *e le Naiade,* idest, dicta dearum; Naiades

(1) 117, Sphinx autem, sicut. (2) 117, animal illud quod primo.

enim sunt deæ fontium, quasi dicat: cito nascetur dictus imperator romanus, *che solveranno questo enimma forte:* ænigma quidem est oratio aut impossibilis, aut difficilis ad unum aliquem certum intellectum, ut dicit Aristoteles in fine suæ poetriæ; ideo bene poeta appellat istud dictum difficile. Et dicit Averrois ibi quod istud frequenter invenitur apud poetas arabum. Et dicit: *sanza danno di pecore e di biade,* loquitur adhuc ænigmatice, et vult dicere quod cito manifestabitur dictum suum per experientiam facti, ita quod non expediet [1] inquirere fata in extis animalium, sicut [2] gentiles olim faciebant qui immolabant victimas ovium [3] et ponebant fruges inter cornua tauri, quem mactabant in sacrificio sicut scribit Lucanus de Arunte magno augure. Vult ergo dicere quod non erit opus augurio vel sacrificio ad investigandum quod prædicitur hic, quia cito per se patebit. — *Tu.* Hic poeta ponit præceptum Beatricis ad se circa prædicta tradenda memoriæ ad utilitatem viventium [4], dicens: *Tu nota,* quia notanda sunt, *e segna,* idest, signes vel doceas *queste parole,* prophetica, *a' vivi;* et restringit dictum suum dicens: *del viver ch' è un correre alla morte,* quæ est vivorum corruptio, quasi dicat, si nostrum vivere potest dici vivere; et dicit: *sì come da me son porte,* scilicet tibi, quasi dicat tacite: refer hominibus de mundo tuo verba mea in ea forma qua dicta sunt per me, quasi dicat: ita obscure sicut obscure dixi; nec quæras declarationem a me quam facere nolo. Et subdit quod non prætermittat ex oblivione offensam factam planctæ, dicens: *et aggi a mente,* specialiter inter alia scribenda, *quando tu le scrivi,* ista verba obscura, *di non celar,* idest, tacere, *qual hai vista la pianta,* idest, arborem scientiæ, *ch' è or due volte dirubata quivi,* primo ab

---

(1) 117, expedit.
(2) E. sicut et gentiles.
(3) E. eorum.
(4) E. juvenum.

Adam, secundo ab aquila. Et hic nota quod per hoc Beatrix non vult aliud dicere nisi: quando tu Dantes narrabis hominibus vindictam quam Deus parat facere contra illum gigantem qui temere attentavit violare ecclesiam Dei, narrabis pro optimo exemplo qualiter Deus fecit altam (1) vindictam de primo parente qui temere tentavit spoliare arborem divinam; quæ ergo facta erat arida per Adam, facta erat florida per Christum, et ita erit cito de ecclesia. Quod autem hæc sit intentio poetæ declarat statim litera sequens, in qua Beatrix dat conclusionem generalem, dicens, quod non solum Adam, sed omnis alius violator arboris incurrit indignationem Dei; unde dicit: *qualunque ruba quella,* scilicet, plantam, sicut Adam primo, aquila secundo, gigas nunc tertio, *o quella schianta,* sicut gigas qui solvit currum a planta, *con bestemmia di fatto offende Dio;* nam qui offendit ecclesiam offendit Deum, *che solo all' uso suo,* non ut serviret regibus terræ, *la creò santa,* sine ruga. Hoc confirmat quia primus offensor per tot millia annorum expectavit in anxietate redemptorem suum; unde dicit: *l' anima prima,* scilicet, Adæ, *bramò colui,* idest, optavit et vocavit Christum, *che 'l morso in se punío,* quia Christus punivit morsum Adæ in (2) se ipso, *cinquemila anni e più,* scilicet, centum nonaginta novem plus, *per morder quella,* idest, quia ipse Adam momordit ipsam plantam.

Dorme. Ista est tertia pars generalis, in qua Beatrix quia noluerat declarare poetæ amplius suam prophetiam, nunc declarat quædam dicta de arbore ipsa quæ videbantur obscura: et primo arguit ipsum de ruditate et negligentia, quia non videbatur intelligere per se, ex iis quæ dicta sunt, quare arbor ista sit tam alta et ita eversa. Dicit ergo: *L' ingegno tuo,* quod aliquando voca-

(1) E. aliam vindictam. (2) E. in semetipso.

sti altum, *dorme,* idest, videtur sopitum et hebetatum, *se non istima,* idest, coniecturat, *lei,* idest, dictam arborem, *esser tanto eccelsa,* idest, altam quantum dixi tibi supra capitulo proximo, ubi dixi quod excedit altitudinem omnium arborum Indiæ, *è sì travolta nella cima,* quia habet ramos recurvatos ad terram per contrarium nostrarum arborum, *per singular cagione;* altitudo siquidem arboris huius figurat quod scientia Dei est altissima in infinitum; revolutio autem figurat quod nullus potest ascendere vel attingere ad illam altitudinem; unde primi parentes quia voluerunt scire plus et altius quam esset eis permissum, ex altitudine scientiæ ruerunt in istam vallem ignorantiæ. Et subdit causam ignorantiæ poetæ, quia scilicet, vacavit aliis scientiis vanis; quæ induraverunt mentem suam ne cognosceret ista divina. Ordina literam sic: *e conosceresti la giustizia di Dio nello interdetto,* quasi dicat: et cognoscere posses quod juste Deus vetuit ascensum istius arboris, et juste punivit expoliatores eius; nam interdixit Adæ ne comederet de fructu illius ad innuendum quod manus inobedientium non extendantur ad tantam excellentiam, sicut superbus curiosus qui vult sapere plusquam oportet. Ideo dicit: *e l'alber moralmente;* hæc enim arbor fingitur in tali forma et figura contra modum aliarum arborum propter causam moralem jam assignatam. Alia autem causa quæ videtur magis naturalis assignata fuit supra, quia scilicet, hæc arbor habet radices in cœlo et ramos versus terram, et ita alimentum habet a cœlo ubi aliæ arbores habent e contrario; *per tante circostanze solamente,* quot vidisti et audivisti; nam circumstantiæ multum faciunt ad cognitionem facti, *se li pensier vani,* idest, si aliæ curæ tuæ circa scientias sæculares et honores temporales, *non fosser stati acqua d'Elsa intorno alla tua mente,* quasi dicat: non indurassent animum tuum sicut aqua Elsæ indura-

tur in petram, quasi dicat, nisi mens tua labilis esset saxificata eo modo quo aqua Elsæ. Ad quod clare [1] intelligendum volo te scire, quod sicut scribit Plinius in naturali historia libro septimo, et Seneca libro naturalium quæstionum, naturæ et proprietates aquarum sunt valde variæ et mirabiles in diversis partibus mundi; sed ne vadam per ambages longe a proposito in Italia in multis locis sunt aquæ quæ vertuntur in lapides sicut aqua fluminis Sarni, quæ a principio sui ortus efficitur lapis durissimus in brevi: unde incolæ loci de industria ponunt ibi sub aqua tabulas cum variis formis et figuris, super quibus fiunt lapides cum eisdem impressionibus. Est autem hic fluvius in Apulia, et non est Arnus Tusciæ, sicut quidam false scripserunt, sicut Horosius; sed est alius fluvius in Tuscia in agro florentino nomine Elsa, cuius aqua a principio convertitur in petram, et lapides pulcros facit accommodos domibus juxta castellum quod dicitur Colle, sicut [2] in aqua Sarni. Albertus autem libro Mineralium dicit mirabilius de aqua fontis Beotiæ, quæ omnia immissa vertit [3] in lapidem; quod expertus est Fridericus imperator mittens chirothecam suam [4], cuius medietas mersa in illam aquam versa est in lapidem, reliqua parte media remanente in prima materia etc. Ergo bene poeta dicit: nisi tua vanitas fuisset talis qualis aqua Elsæ. Dicit ergo: *e 'l piacer loro,* idest nisi delectatio curarum vanarum fuisset, *un Piramo,* idest, alter Pyramus, *alla gelsa,* idest, ad arborem mori, cuius poma alba convertit in rubea quando se occidit manu propria amore Tysbes, sicut plene scriptum est supra capitulo XXVII. Et est optima similitudo; nam Pyramus obcæcatus nimio amore Tysbis interfecit se; et Dantes amoratus pulcritudine musarum ad tempus occiderat

---

(1) E. sane.
(2) E. sicut et aqua.
(3) 117, convertit.
(4) E. suam in eo, cuius.

animam suam. — *Ma*. Hic Beatrix assignat causam quare velit ipsum referre secum ad mundum ea quæ sibi dixit obscure; quoniam licet non possit intelligere clare, neque aliis declarare, saltem reportabit verba nuda velantia factum, donec eveniat effectus rei; et sic saltem portabit signum, si non rem. Dicit ergo: *Ma voglio ancor,* idest, adhuc, *che te ne porti,* id quod dixi obscure, *almen dipinto,* idest, signatum per verborum difficultatem, *dentro a te,* in animo (1), *e se non scritto,* idest, quamvis non possis portare cum claro intellectu. Et ecce quare: ut facias more peregrinantium, qui vadunt ultra mare et reportant de palma in signum quod visitaverunt terram sanctam ubi abundant palmæ; et ita tu qui transivisti maria et montes ut visitares istam terram sanctam poteris referre verba mea in signum quod fueris in loco sancto ubi audiveris miranda, licet non intellexeris illa. Unde dicit: *per quel che si reca,* idest, propter illud quod portatur a peregrino, *il bordon cinto di palma,* unde tales peregrini vocantur palmerii; et hoc volo portes, *perch' io veggio te fatto di pietra nell' intelletto,* et non intelligis etiam quod dico de aqua Elsæ et Pyramo, *et in petrato tinto,* idest, video te nigrum in intellectu, *sì che 'l lume del mio detto t' abbaglia,* idest, ablucinat te ita quod materia non est disposita ad recipiendum lumen meum. Et subdit poeta suam responsionem asserens se habere signum affixum memoriæ juxta præceptionem eius, dicens: *et io,* supple, respondi, *lo mio cervello,* in quo est memoria et reminiscentia magna, *è or signato da voi,* quia verba habeo impressa menti, licet non intelligam, a simili, *sì come cera da suggello,* supple signatur, *che non trasmuta la figura impressa;* ita nec memoria transmutabit formam verborum vestro-

(1) 117, in animo tuo, *e se non.*

rum impressam sibi; et sic vides quod comparatio est optima. — *Ma.* Nunc poeta movet quæstionem circa prædicta, et petit cum admiratione unde sit quod non potest intelligere verba eius, dicens: *Ma vostra parola disiata,* idest, sermo vester dictus sub parabola, quem diu desideravi audire et intelligere, *perchè tanto vola,* idest, transcendit, *sopra mia veduta,* idest, cognitionem intellectualem, *che più la perde,* ipsa cognitio mea * verbum vestrum, *quanto più s' aiuta?* idest, magis nititur intelligere * (1) ipsum verbum? Et bene dicit, quia quanto quis magis conatur cognoscere divina eloquia per naturalia, tanto magis confunditur ignorantia. Et subdit responsionem Beatricis ad istam petitionem suam, dicens: *disse,* illa Beatrix, hoc ideo accidit tibi, *perchè conoschi quella scuola,* idest, poetarum et philosophorum, *c' hai seguitata,* recedendo a me, ut bene sequatur tibi, *e veggi sua dottrina,* idest, scientiam poeticam et philosophicam, *come po' seguitar la mia parola,* idest, meum loqui divinum, quod differt ab humano quantum cœlum a terra; unde dicit, *e veggi vostra via,* idest, processum scientiæ naturalis, *cotanto distar,* idest, differentem esse, *dalla divina, quanto il ciel che più alto festina,* idest, primum mobile quod velocius movetur in sua revolutione, *si discorda da terra,* idest, differt in qualitate, quantitate et motu. — *Ond' io.* Hic poeta ponit responsionem suam in qua pro sui excusatione videtur negare, quod tamen jam confessus est supra, scilicet, quod nunquam deseruit Beatricem propter alias; unde dicit: *Ond' io risposi lei,* scilicet, Beatrici: *non mi ricorda ch' io straviassi me giammai da voi,* quasi dicat, imo semper habui theologiam pro nobiliori scientia omnibus aliis, *nè honne coscienzia che rimorda,* scilicet, me: est enim conscientia lex intellectus nostri et dictamen

(1) Le parole fra i due asterischi sono supplite dai Codici Strozziano e 117.

rationis quæ judicat et ligat ad faciendum vel non faciendum. Et subdit poeta responsionem Beatricis ([1]) irridentis dictum suum et probantis quod deliquit; unde dicit: *e rispose,* illa Beatrix, *sorridendo, se tu ricordar non te ne puoi,* quia recordatio est de re bona, *or ti rammenta,* idest, recordare, *sì come beveste di Lete ancoi,* quando mersus fuisti a Mathildi in aquam eius, cuius potio tollit memoriam peccatorum. Et arguit a communiter accidentibus quod oblivio peccati præsupponit peccatum, dicens: *e cotesta oblivione,* generalis omnium malorum, *conchiude chiaro colpa,* idest, peccatum fuisse, *nella tua voglia attenta altrove,* scilicet, in aliis scientiis, *se dal fumo fuoco s'argomenta,* idest, arguitur a communiter accidentibus. Unde vide quod Beatrix breviter arguit sic: Lethe a memoria delevit quod erat in culpa, si ergo delevit hoc, fuit in culpa; sicut dicimus: si est fumus, est vel fuit ignis. Et ad confirmationem poetæ in bonam spem Beatrix promittit de cætero se loquuturam clare, et non sub ænigmate sicut fecit hucusque. Dicit ergo: *veramente,* quamvis usque nunc dixerim tibi obscura, *le mie parole ormai,* scilicet, per totum paradisum loquendo de divinis, *saranno nude,* idest, clara et aperta, sine velamine; et restringit dictum suum, dicens: *quanto converrassi scoprir quelle,* scilicet verba, *alla tua vista rude,* idest, intellectui grosso, quasi dicat, secundum capacitatem humanæ mentis infirmæ.

E più corrusco. Ista est quarta et ultima pars generalis huius ultimi capituli, in qua poeta ostendit qualiter pervenerit ad ultimam acquisitionem perfectæ virtutis. Et primo, ut procedat ordine magno, describit horam temporis, quia scilicet sol erat altus et ardens in meridie, quando pervenit ad ultimum terminum virtutis, qua

---

([1]) E. Beatricis respondentis ad dictum.

hora illæ dominæ firmaverunt [1] se. Dicit ergo: *E il sole,* scilicet, quartæ diei, *più corrusco,* idest, splendidus, sicut accidit in meridie, *e più con lenti passi,* quia tunc videtur tardius moveri, *teneva il cerchio di merigge,* idest, circulum meridianum de quo plene dixi II capitulo huius Purgatorii. Et tangit naturam meridiani, dicens: *che fassi qua e là come gli aspetti;* hoc glosant aliqui: idest, in hoc hemisperio et in illo, sed male; nam circulus meridianus fingitur esse ductus directe per ambos polos et zenith capitis, ita quod quælibet civitates et terræ æqualiter distantes ab oriente habent suum meridianum; et sic quot sunt aspectus terræ inæqualiter distantes, tot sunt meridiani ubicumque fueris sive in hoc sive in alio hemisperio, *quando le sette donne,* quæ præcedebant Beatricem, *s' affissero,* idest, firmaverunt se, a simili, *sì come si affigge chi va dinanzi a gente per iscorta;* ita enim septem virgines præcedebant tamquam duces prævenientes adventum istius imperiosæ dominæ, *se trova novitate,* idest, novam gentem, *in sue vestigge,* relicta a tali gente; istæ autem dominæ invenerunt rem novam arborum sub qua decurrebant duo flumina; unde dicit: *alfin d' un' ombra smorta,* idest, spissa, a simili, *qual l' Alpe porta,* idest, producit, *sotto foglie verdi e rami nigri sopra i suoi freddi rivi.* Et hic nota quod licet poeta noster hoc vidisset in multis partibus in Alpibus, tamen hoc præcipue viderat in montibus Apennini prope Florentiam in valle Arni desuper, ubi est ager pulcerrimus omnium inter Fæsulas et Aretium, unde transivit Hannibal, ut scribit Livius. — *Dinanzi.* Hic poeta describit ortum duorum fluviorum [2], quos jam descripsit supra, quibus irrigatur tota sylva sancta, scilicet Lethem et Eunoe, quos dicit ex eodem fonte nasci sicut illa duo flumina Euphrates et Tigris,

---

(1) E. firmaverant. (2) 117, fluminum.

quæ similiter dicuntur nasci ex eodem fonte. Ad cuius intelligentiam est breviter sciendum quod Tigris et Euphrates, sicut testantur clarissimi autores, Salustius, Plinius et alii multi, manant ex uno monte Armeniæ maioris, et ex eodem fonte a parte meridiei: et Tigris quidem plus respicit septentrionem et decurrit usque ad Babyloniam magnam Assyriæ, sed non intrat mœnia; Euphrates vero bene ingreditur civitatem. Ista autem duo flumina habentia unum caput iterum conveniunt in unum, ut dicit Boetius in quinto (1). Licet autem in sacra Scriptura dicantur oriri de paradiso deliciarum, hoc potest esse de primo ortu incognito, sed postea nobis apparent primo in Armenia. Ad literam ergo: dicit poeta: *Parvemi veder dinanzi ad esse,* scilicet, ante ipsas dominas, *Eufrate e Tigri uscir d'una fontana;* et hic nota quod poeta loquitur poetice et moraliter, quia fingit duo flumina tantum, scilicet, Lethem et Eunoe in isto paradiso deliciarum. Scriptura enim sancta (2) ponit quatuor flumina ibi, scilicet, prædicta Tigrim et Euphratem, et alia duo, scilicet Nilum et Gangem. Et dicit: *e dipartirsi pigri,* quasi amici: et est pulcra metaphora. Vult enim innuere (3) quod hæc duo flumina videbantur male libenter recedere ab invicem, sicut recte faciunt duo amici quando recedunt unus ab altero ituri ad loca longinqua; nam tamquam nati ex eodem utero amoris recedunt pigriter et cum lacrymis non revisuri se nisi post longum tempus. — *O luce.* Nunc poeta ponit suam orationem ad Beatricem petens quæ sit aqua ista; unde stupefactus novitate rei mirabilis exclamat captans benevolentiam, et dicens ad eam: *O luce, o gloria della gente umana,* quasi dicat: o Beatrix, scientia luminosa et gloriosa quæ illustras cognitione divinorum cultores tuos,

(1) E. in quinto de consolatione. Licet.
(2) E. sacra. (3) 117, dicere.

sicut Hieronymum, Augustinum etc., *che acqua è questa che si dislega,* idest, solvitur, vel secundum aliam literam, *si dispiega qui da un principio,* ubi est thesaurus et copia aquarum indeficientium, *e sè da sè lontana?* quia magno spatio elongantur ab invicem ista flumina, et alterum quidem tendit versus orientem, alterum versus occidentem? Et subdit responsionem Beatricis quæ committit vicem suam alteri dominæ quæ declarat ipsum de re petita; dicit ergo: *detto mi fu,* scilicet, a Beatrice, *per cotal prego,* idest, quia tam affectuose rogaveram ipsam, *prega Matelda,* dominam quæ sequitur me, *che 'l ti dica.* Et hic nota, lector, quod merito Beatrix committit istud negotium Mathildi tamquam suæ negotiorum gestrici, quæ jam merserat poetam in Lethæo, et nunc merget ipsum in Eunoe: fuit enim mulier activa multum et virtutum amatrix, de qua jam totiens facta est mentio et commendatio magna. Sed nunc hic ultimo expresse nominat eam de qua novissimus poeta Petrarcha in quadam epistola loquens de mulieribus claris dicit: apud nos nuper non exiguam Mathildis comitissa partem Italiæ possedit: et ipsa romani imperii non levis æmula et quæ virili animo bella tractaret, imperiosa in suos, in hostes acerrima, liberalissima in amicos, cuius profusam (1) fœmineam largitatem romana in primis testatur ecclesia. Ergo bene ista reponitur ministra sacrarum rerum ecclesiæ. Et subdit responsionem Mathildis ad Beatricem, dicens: *e la bella donna,* scilicet, Mathildis, *rispose qui,* idest, ad dictum Beatricis, *come fa chi si dislega di colpa:* vult dicere quod Mathildis respondit ad excusationem sui, ne negligens videretur, quod turpissimum esset in domina activa; et dixit: *questo,* quod petit de aqua, *et altre cose,* sicut de vento, *dette li son per me,* sicut pa-

(1) E. e 117, et plusquam fœmineam.

tuit supra capitulo XXVIII, ubi ista domina subtiliter disseruit multa de natura et virtute huius loci. Et quia (¹) forte videbatur posse dicere: quamvis ista dixeris mihi tamen quia potasti me Lethæo non memini; dicit ipsa: *e son sicura,* quasi dicat, scio firmiter, *che l' acqua di Leteo non gliel nascose;* quia tollit memoriam malorum tantum et non bonorum. — *E Beatrice.* Hic poeta ostendit qualiter Beatrix excusaverit eum alia ratione, et præceperit (²) quod mergeretur in alio novo flumine. Dicit ergo: *e Beatrice,* supple, dixit Mathildi: *forse maggior cura,* quia vidit postea tot mirabilia magna, sicut victorem exercitum, currum triumphalem, ducem triumphantem et talia multa; ideo dicit: *che spesse volte la memoria priva,* actualiter, *fatto ha la mente sua,* idest, fecit memoriam Dantis, *negli occhi oscura,* et quod habet in memoria videre non credit; sed de hoc non plura: *ma vedi Eunoè che là diriva,* contra Lethem, *menalo ad esso,* o Mathildis, *e ravviva,* idest, resuscita, revigora ut fiat susceptibilis summi boni, *la virtù sua tramortita,* non dicit mortuam, sed quia dormivit ad tempus, *come tu se' usa;* nam officium tuum est reducere memoriam bonarum operationum; ergo vade et lava ipsum et pota in hoc secundo flumine, sicut fecisti in primo. Et subdit qualiter Mathildis continuo fecit exequutionem mandati per unam nobilem comparationem, quæ breviter stat in hoc, quod Mathildis fecit sicut nobilis ancilla quæ non est serva a natura, vel fortuna, vel lege, sed solummodo ex vero et sincero amore quem habet ad reginam excelsam libenter et prompte sine ulla mora adimplet illius voluntatem, maxime quando præcipitur sibi res honestissima pro salute alterius, sicut erat in præsenti proposito. Dicit ergo: *la bella donna,* et cuius opera pulcra sunt, *mossesi poi*

(¹) 117, quia poeta forte. (²) E. præcepit.

che fui presso da essa, così com' anima gentil, non vilis, non servilis, *che non fa scusa,* quia habet pro gratia facere quod præcipitur; unde dicit: *ma fa sua voglia della voglia altrui,* quia confirmat animum suum voluntati præcipientis, *tosto che gli è dischiusa,* idest, statim cum est sibi aperta, *per segno,* idest, absque eo quod faciat verbum, sicut præcepit Virgilius nostro poetæ Inferni capitulo XXIIII. Et dicit: *e disse a Stazio,* ipsa Mathildis, *donnescamente,* more dominantis: *vien con lui,* scilicet cum Dante, quem jam sociasti per longum iter. Et nota quod Mathildis lavit et potavit utrumque in flumine Eunoe quod patet per sequentia, et est modus abreviandi poeticus. — *S' io.* Hic ultimo poeta concludens capitulum et claudens istum secundum librum excusat se si non describit dulcedinem huius potus, quia ordo libri non patitur. Unde apostrophans dicit: *O lettor, io pur canterei,* idest, poetice describerem, *lo dolce bere,* qui inebriat animam, *che mai non m' avria sazio,* quia quanto magis potatur, tanto magis accendit potatorem ad bibendum salubriter, sicut potio vini plus incitat ad bibendum mortifere. Per hoc innuit quod est summe delectabile operari virtuose homini habenti habitum virtutis, cuius dispositionis nunc erat ipse poeta, *s' io avessi più lungo spazio di scrivere,* idest, dilatandi materiam, *ma il fren dell' arte,* idest, ordo præconceptus, *non mi lascia più ire,* idest, ulterius extendi, quia hic liber excederet alios; unde dicit: *perchè piene son tutte le carte,* scilicet, scriptura, *ordite,* per XXXIII capitula, *a questa cantica seconda,* idest, ad secundum librum, scilicet, Purgatorium, in quo satis bene cantavi cantionem nunquam ab alio decantatam; ideo animum præparo ad novum altissimum cantum, Statio evolante in cœlum empyreum. Unde dicit: *Io ritornai dalla santissima onda,* quæ facit homines sanctissimos; et facit comparationem pulcram, dicens: *rifatto,*

idest, renovatus mente, *sì come piante novelle, rinnovellate di novella fronda,* sicut dictum est supra de planta scientiæ boni, ad quam alligatus fuit (1) currus. Et nota quod comparatio est propriissima: sicut enim planta quæ steterat quasi arida per totum tempus hyemis, adveniente vere reviviscit et efficitur tota pulcra; ita anima poetæ, quæ fuerat diu inutilis sine fructu, nunc incipiente vere refloruit ad verum fructum. Unde dicit: *puro,* idest, purgatus ab omni rubigine vitiorum, *e disposto a salire alle stelle,* idest, ad cœlos, quasi dicat: aptus ab actione perfecta virtutum ascendere ad perfectam contemplationem cœlestium, cuius participes nos faciat qui poetam ipsum adhuc in carne viventem per tam arduam scalam ad se rapere dignatus est. Amen.

Hactenus ipse suas vidi tolerantia pœnas
Crimina, et afflictas mediis cruciatibus almas
Concinuisse tamen gentes; nam roborat illas
Venturi spes quippe boni pacisque futuræ.
Est mons qui celsus ventos contemnit et imbres
Ima tenent segnes, primis radicibus errant
At juga per septem cinguntur in ordine gyros
Purgat quisque suos, summo sed culmine currum
Milite cum sacro conspexi et mystica signa;
Me nunc astra vocant sedes et regna beatum.

Explicit (2) 24 decembris 1409.

(1) E. fuerat.
(2) E. Explicit comentum magistri Benevenuti de Ymola super Purgatorium Dantis.

FINIS PURGATORII.

COMENTUM PARADISI.

Incipit expositio super tertiam partem Dantis, quæ PARADISUS dicitur.

CANTUS PRIMUS, *in quo ponitur prohemium.*

Bonum est cribrare modium sabuli ut quis inveniat unam margaritam, inquit Averrois in suo Colligeth; quod elegantissime fecisse dignoscitur curiosissimus indagator poeta Dantes in divino poemate suo. Primo (1) cribravit unum modium sabuli, ubi solum invenit dispositionem evadendi ab ima valle tenebrarum, ubi est centrum omnium miseriarum, sicut patuit libro primo, in quo venatus est omnia genera vitiorum et supplicia eorumdem. Secundo cribravit alium modium sabuli, ubi (2) tamen reperit viam inveniendi margaritam, sicut apparuit libro secundo, in quo minore cum labore per montem altissimum quæsivit omnia genera virtutum, quæ faciunt viam ad beatitudinem; nunc tertio reperit ipsam margaritam pretiosissimam præmium (3) omnium laborum suorum, scilicet, æternam gloriam. Ideo ascensurus cœlum, in quo hæc desiderabilis gloria potissime viget et lucet, ipsam nobis alte et magnifice describit. Videtur autem appetitus gloriæ insitus a natura mentibus (4) hominum virtuosorum. Gloria enim, ut sapientibus placet, est quasi quædam umbra virtutis, illam comitatur, illam sequitur, illam quandoque etiam antecedit, sicut vide-

---

(1) E. Primo enim.
(2) E. ubi tantum reperit.
(3) 4, et præmium.
(4) 4, mentibus omnium.

mus in adolescentibus claræ indolis, quos ante virtutem perfectam spes hominum (1) præconcepta de illis claros facit. Veram igitur qui vult gloriam, veram virtutem petat; quam qui habet, velit nolit, claritas illum sequitur. Intra hominem enim sic oportet quod illum faciat gloriosum; nam duces et principes, philosophi et poetæ tot laboribus bellorum et studiorum gloriosum sibi nomen facere curaverunt. Unde illustrium romanorum inclita gesta miranda et per sæcula memoranda, cupiditate laudis, honoris et gloriæ facta sunt. Hanc enim gloriam, ut dicit Augustinus, ardentissime dilexerunt, pro hac vivere voluerunt, pro hac mori non dubitaverunt, pro huius unius magni vitii cupiditate, cætera vitia comprimentes. Laudis enim avidi erant pecuniæ liberales; unde ipse Augustinus in de Civitate Dei longo discursu ostendit ardua multa quæ romani magnanimiter fecerunt pro sola terrena gloria vana, ut sic nobis ingeneret (2) appetitum cœlestis gloriæ veræ. Si igitur gloria brevissimo (3) terræ pugillo arctata tantopere (4) ab omnibus affectatur, quid gloria amplissimo (5) cœli spatio dilatata, quam nunc dignissime poeta sibi assumit pro materia describenda? Ego vero exoneratus utroque humero tertium opus onerosum incumbens capiti, dignante Deo, cuius res agitur, libens et lætus explanare conabor. Iste ergo liber gloriosus distinctus in XXXIII capitula (6), ut de se patet sua primaria divisione, potest dividi in duas partes magnas; in quarum prima poeta Dantes describit septem species gloriosorum spirituùm apparentium in septem speris sub virtute septem planetarum, et durat usque ad XXIII capitulum huius Paradisi. In secunda describit tres orbes universales cœlorum, scilicet, octavam speram, quæ dicitur firmamentum; et nonam, quæ appel-

(1) 4, spes omnium. (2) E. ingereret. (3) E. brevissima.
(4) E. tanto tempore. (5) E. amplissima. (6) E. capitulis.

latur primum mobile, et cœlum empyreum quod dicitur paradisus, in quibus figuraliter et moraliter describit gloriosissimam (1) civitatem Dei, videlicet ecclesiam triumphantem, et durat usque ad finem libri. Primum capitulum prohemiale tam nobile quam sublime dividitur in quatuor partes generales. In prima quarum poeta Dantes proponit. In secunda invocat, ibi statim: *O buono Apollo.* In tertia ostendit qualiter opera Beatricis fuerit dispositus et habilitatus ad ascendendum cœlum, ibi: *Surge ai mortali.* In quarta et ultima probat longo discursu qualiter naturali cursu et rationabili ordine ascenderit (2) cœlum, ibi: *La novità del suono.* Ad primum veniens dico quod autor primo proponit materiam, circa quam aperit intentionem suam. Volens autem hic poeta gloriosus describere superexcellentiam cœlestis regni, quod nunc parat poetice repræsentare, pro exordio præmittit unam maximam, quæ est communis conceptio omnium animorum, cui omnis homo sanæ mentis acquiescit, scilicet, quod cœli et terra plena (3) sunt maiestate gloriæ æterni regis, qui omnia regit potenter, sapienter et benevolenter. Dicit ergo litera: *La gloria,* quæ est clara cum laude notitia, *di colui,* scilicet, omnipotentis Dei, qui est primus motor, *che tutto muove,* et a nullo movetur. Licet enim intelligentiæ moveant orbes, et animæ corpora, non tamen per se moventur, sicut clarum exemplum habemus de navi. Licet enim in magna navi aliqui moveant remos, aliqui trahant funes, aliqui vacuent sentinam, et alii (4) ministri intendant circa diversa opera, tamen unus est gubernator, qui tenens temonem regit totum, de cuius manu pendet salus totius multitudinis. Ideo Varro doctissimus romanorum dixit quod Deus est animus motu ac ratione mundum gubernans, ut refert

(1) E. gloriosam.
(2) 4, ascenditur. — E. ascenderunt.
(3) E. pleni sunt.
(4) E. aliqui.

Augustinus in de Civitate Dei, sicut nauta navim. Et si obiicitur de terra quæ est immobilis, dicendum est quod est verum quoad partem, non quoad totum. Ex quo confunditur nescio quis Brutus philosophus, qui asserit terram falso moveri, ut dicit Macrobius; sed non mirandum, quia ante prandium erat phreneticus, post prandium ebrius ex consuetudine, ita quod sibi videbatur circumferri quicquid oculis occurrebat. Et sic vide quod fere omne verbum istius literæ habet in se magnum mysterium inclusum; *penetra e risplende,* in hoc tangit amplissimam potestatem huius gloriæ, quæ (1) pro capacitate rerum replet omnem creaturam, *per l'universo;* universum dicitur quod continet omnia, scilicet, cœlum et terram, aliter tamen et aliter; ideo prudenter addit: *in una parte più, e meno altrove.* Unde volo hic te notare, lector, quod quemadmodum dicit Boetius in suo de unitate et de uno: si tres vel plures fenestræ vitreæ una post aliam contra radium solis recte disponantur in ordine, constat quod secunda minus recipit de luce quam prima, et tertia minus quam secunda, et sic usque ad ultimam fit defectus luminis, non propter lumen, sed propter elongationem fenestræ vitreæ a lumine; ita gloria æterni solis plus relucet in novem ordinibus angelorum, minus in novem speris cœlorum, minus in speris elementorum, et ita de cæteris. Quamvis enim prima causa existat in rebus omnibus secundum unam dispositionem, tamen unaquæque res recipit eam secundum modum suæ potentiæ; nam quædam recipiunt eam receptione unica, quædam multiplicata; quædam recipiunt ipsam receptione æterna, quædam temporali; quædam recipiunt eam receptione spirituali, quædam corporali: et diversitas quidem recipientis non fit ex prima causa, sed propter

(1) S. quoniam.

recipiens quod diversificatur. Non ergo inveniuntur res omnes in prima causa per modum unum; ideo bene et notanter dixit poeta, quod gloria divina plus resplendet in una parte et minus in alia. — *Nel ciel.* Hic autor præmissa maxima universalissima, proponit ipsam materiam nobilem et mirabilem; profitetur enim se fuisse in cœlo cum adhuc viveret in carne, et vidisse ea quæ impossibile est referre hominibus. Dicit ergo: *Io,* idest, ego novus poeta Dantes qui fueram in inferno et purgatorio cum uno poeta magno antiquo, *fu' nel cielo,* scilicet, mentaliter non corporaliter, cum una muliere clarissima christiana, *che prende più,* quia plus recipit, *della sua luce,* idest, de ipsa gloria Dei, quam mundus elementaris in quo hactenus fuerat: nam mundus iste inferior regitur a superiori, ut vult philosophus primo Methaurorum; unde Ovidius: *et quod regit omnia cœlum:* et quia fui in loco mirabili, ideo miranda vidi; unde dicit: *e vidi,* vivacissimo oculo mentis, *cose,* scilicet, aliquas, ut statim dicit, *che,* idest, quas res, *chi discende di lassù,* idest, revertitur a cœlo ad ipsam terram, sicut ego redii finita longa via profundæ speculationis meæ, *nè sa, nè può ridire,* quamvis velit, sicut accidit Paulo, qui raptus vidit multa quorum oblitus est cum rediisset ad carnem. Et reddit rationem sui dicti probans demonstrative quare hoc fieri non possit, quia scilicet intellectus plus videt et cognoscit, quam memoria meminisse possit; unde dicit: *perchè nostro intelletto,* scilicet, humanus animæ rationalis qui est separatus a corpore, sicut ostensum est XXV capitulo Purgatorii, *appressando sè al suo disire,* idest, approximando summo bono, quod omnes naturaliter desiderant, ut probat infra versus finem istius capituli, *si profonda tanto,* idest, figitur tantum ad intra, *che retro la memoria non può ire,* non potest sequi ipsum intellectum. Et tamen nota quod nullo intellectu, nulla

scientia Deus comprehendi potest; est enim immensus, incomprehensibilis, innominabilis, ineffabilis. Nota etiam quod huius dicti causa est, quia intellectus non est virtus organica sicut memoria, ideo est vicinior primæ causæ quam sensus; et sic intellectus habet in se plures nobilitates et bonitates, quibus accedit ad conformitatem primæ causæ. Ideo bene Aristoteles secundo de generatione animalium dicit: relinquitur autem intellectum solum de foris advenire et divinum esse solum. — *Veramente.* Hic poeta aperit intentionem suam circa prætactam materiam, protestans se dicturum de ea secundum possibilitatem suam; unde dicit tantum: *Quant' io potei far tesoro,* idest, caram acquisitionem, quia solum refert quædam pretiosa, *nella mia mente,* idest, memoria, quæ est thesaurus inventionum, ut dicit Tullius, *veramente,* idest, non somniando vane, *sarà ora,* scilicet, de præsenti, *materia del mio canto,* idest, istius meæ poeticæ descriptionis, *del regno santo,* idest, de cœlo, quod est regnum sanctorum. Poeta enim descripsit primum regnum damnatorum, secundum purgatorum; nunc ultimo intendit describere tertium regnum (1) beatorum. Vult ergo dicere breviter et clare: ego tractabo amodo de dicta materia secundum facultatem memoriæ meæ; quæ tamen fuit capacissima in ipso autore, ut dictum est secundo capitulo Inferni circa principium. Et hic nota bene quod sicut distinxi duplicem infernum in prohemio primæ canticæ, et duplicem purgatorium in prohemio secundæ canticæ; ita nunc dico in prohemio huius tertiæ canticæ duplicem esse paradisum. Est enim paradisus moralis cum anima adhuc in corpore vivens dat (2) se speculationi, et in excessu mentis ascendit usque ad divinam essentiam per omnes speras cœlorum et ordines ange-

(1) E. regnum, scilicet beatorum. (2) 4, dans se speculationi.

lorum. Paradisus autem essentialis est ipse locus ubi Deus ostendit se contemplandum intelligentiis separatis et animabus beatis, qui locus cœlum empyreum appellatur.

O buono Apollo. Hæc est secunda pars generalis in qua poeta Dantes facit suam invocationem, et invocat de more poetico Apollinem deum (1) poetarum, deum sapientiæ, quem bene vocat bonum. Apollo enim est ipse sol, de quo bene Tullius in libro de republica dicit; sol dux, princeps et moderator luminum reliquorum, mens mundi et temperatio tota. Unde Orpheus, ut dicit Macrobius, vocat ipsum boni consilii Deum, quia ab eo manat principium intelligendi; cuius multiplicem virtutem extollit Plinius primo naturalis historiæ, dicens: sol medius amplissima magnitudine et potestate non solum terrarum, sed ipsarum stellarum et cœli rector; hunc decet (2) credere esse animum et mentem mundi, et principale regimen et deum naturæ; hic lucem rebus ministrat, et aufert tenebras; hic reliqua sidera occultat, hic vices temporum et annum semper renascentem ex usu naturæ temperat; hic cœli tristitiam removet, et nubila humani animi etiam serenat; hic suum lumen cæteris sideribus donat, præclarus, eximius omnia videns etc. Ad literam ergo; poeta (3) petit gratiam et favorem Apollinis, dicens: fac me ita valentem, ut digne possim coronam lauream promereri. Construe sic literam: *O buono Apollo,* Apollo dicitur quasi sine pollutione, sine macula; non enim habet in se umbram sicut soror sua luna: vel dicitur Apollo quasi exterminans omne malum, omne superfluum et nocivum, *fammi sì fatto vaso,* idest, fac me ita capacem more vasis continentis liquorem optimum balsami, vini vel olei, *del tuo valore,* idest, virtutis et sapientiæ, *all' ultimo lavoro,* idest, huic tertio operi laborioso et artifi-

(1) E. deum sapientiæ et poetarum, quem.
(2) 4, docet.
(3) 4, E. e S. poeta in effectu petit.

cioso valde, *come dimandi,* idest, sicut exigis et requiris hominem sufficientem, *a dar l' amato alloro,* idest, laurum arborem dilectam Apollini. Ad quod sciendum quod laurus dicta est a laude per quam intellige lauream coronam, qua ornabantur poetæ, ut patebit paulo post; quam vocat amatam, quia respicit ad fictionem quam tangit paulo post. Nam Apollo dicitur adamasse Daphnem filiam Penei fluminis, quæ conversa dicitur in laurum, cuius frondibus adornavit citharam et pharetram suam. Poetæ enim attribuunt Apollini lyram septem chordarum, quia sol tot sperarum cœlestium motus moderatur. Pharetra vero est vis et virtus radiorum solis, quos tanquam jacula mittit et (1) omnia penetrat; unde ad habendam sapientiam rex Pyrrhus, ut scribit Plinius, gestabat in digito achatem lapidem in quo mirabiliter erant sculptæ novem musæ et Apollo deus sapientiæ in manu tenens citharam. — *Insino a qui.* Hic poeta assignat causam petitionis factæ per eum, et vult sententialiter dicere, quod ex duobus diis poetarum unus suffecit sibi in duobus primis voluminibus facilioribus; nunc vero in isto tertio difficillimo (2) indiget favore amborum. Ad cuius literæ intelligentiam oportet præscire, quod Parnasus est mons Græciæ in regione Beotiæ, olim famosissimus, toto orbe terrarum celebratus carminibus omnium poetarum, etiam (3) historicorum testimonio notissimus; qui altissimus ad cœlum habet duo cornua, in altero quorum colebatur Apollo, in altero Bacchus. Unde Justinus breviator Trogi religiose describit templum Apollinis, dicens quod est positum in monte Parnaso in saxo, quod templum et civitatem delphicam non muri sed præcipitia, nec præsidia manufacta sed naturalia defendunt, ita ut incertum sit utrum munimentum

(1) E. et in omnia. (2) 4, difficiliori. (3) 4, et historicorum.

loci an maiestas (1) Dei plus habeat admirationis. Medium autem saxum cavatum est in forma theatri intra quod clamor hominum et sonus tubarum cum magno roboatu (2) ibi fit personantibus saxis, quod stuporem et terrorem facit ignaris. Nam et quasi in media altitudine cavati montis est parva planities, et in ea profundum terræ foramen, per quod exit ventus inspirans virgines, de quo Lucanus (3): *ventosque loquaces.* Modo ad propositum dicit poeta, quod unum jugum Parnasi deputatum Baccho suffecit sibi hucusque; nunc vero et illud et aliud consecratum Apollini est sibi necessarium: per Bacchum autem figuratur scientia naturalis, quæ haberi potest per acquisitionem humanam, sicut physica et ethica, idest, philosophia naturalis et moralis: per Apollinem vero scientia supernaturalis et divina, sicut metaphysica, idest, sacra scientia. Sol enim est qui virtute sua facit viros sapientes et excellentes doctores, sicut autor ponit infra ubi tractat de spera solis; ideo scientia naturalis (4) suffecit sibi in duobus præcedentibus libris; nunc in isto tertio indiget scientia divina. Ad literam ergo dicit poeta: *l'un giogo,* istud jugum vocatur Nyssa, et est Bacchi, *di Parnaso,* bene convenit nomen; dicitur enim Parnasus quasi parans noy sensum, idest menti sapientiam, *assai mi fu,* idest, suffecit mihi, *insino a qui,* scilicet, in primo libro Inferni et secundo Purgatorii, *ma or,* idest, nuper de præsenti, *m' è uopo,* idest, expedit mihi, *entrare nell' arringo rimaso,* idest, cursum et tractatum tertii libri, qui dicitur Paradisus, qui restat describendus, *con ambedue,* idest, utroque jugo, quasi dicat, nunc in ista ardua materia egeo auxilio duorum deorum, scilicet Apollinis et Bacchi. Sed hic est opus magna speculatione: quare autor dicat se egere utroque Deo; quia, dicunt commu-

(1) E. maiestatis Dei.
(2) 4, roboratu.
(3) E. Lucanus ait: *ventosque.*
(4) S. e E. naturalis humana suffecit.

niter exponentes, quod per Bacchum poeta intelligit eloquentiam, quæ hucusque suffecit sibi; nunc autem indiget sapientia quæ per Apollinem figuratur. Sed parcat mihi reverentia talium sapientum qui vanam ratiunculam adducunt, dicentes, quod vinum facit linguam disertam; nam talis eloquentia non est artificialis, nec meretur laudem. Dico ergo quod per Apollinem et Bacchum autor intelligit unum et eumdem deum sub diversis nominibus, sicut curiose et copiose demonstrat Macrobius libro Saturnalium, ubi dicit inter alia multa, quod sol cursus stellarum et ordinem rerum humanarum vel disponit vel significat; ideo poetæ effectus solis varios sub nomine diversorum deorum notaverunt. Potissime autem duo nomina attribuunt soli, scilicet, Apollinem et liberum Bacchum: solem quidem vocant Apollinem, in quantum infundit intellectum sapientiæ mentibus hominum; Bacchum vero, in quantum producit effectus rerum naturalium. Quod autem Apollo et Bacchus sit unus et idem deus probat Macrobius per manifestissimum argumentum, dicens: quod Beotii Parnasum montem Apollini consecratum memorantes, simul tamen in eodem et oraculum delphicum et speluncas bacchicas uni deo consecratas colunt; unde Apollini et libero patri in eodem monte res divina celebratur, quod testatur Varro et alii multi; unde Orpheus sacer poeta in sacris liberalibus demonstrat liberum patrem et solem esse unum et eumdem deum: similiter Virgilius in prohemio Georgicorum. Ideo bene petit quod ipse qui dedit sibi vitam det sapientiam. — *Entra.* Hic Dantes implorat singulariter supremum favorem Apollinis, et petit ut infundat spiritum sapientiæ in eum perfectissimo modo, sicut olim ostendit virtutem sapientiæ suæ contra quemdam vanum superbum. Ad cuius rei intelligentiam oportet præscire, quod hanc fictionem tangit Ovidius succincte VI Maioris, sed diffu-

sius libro Fastorum. Dicit ergo breviter quod Marsyas fuit rusticus silvanus de genere satyrorum, qui præsumpsit temere provocare Apollinem ad certamen in arte musica, volens superare illum (1) pulsantem lyram cum tibia sua quæ fuerat Palladis; sed victus ab Apolline fuit excoriatus ab eo, ita quod detracta pelle Marsyas (2) remansit totus sanguineus, quia rubeus et pudore confusus et totus tremens; et sanguis eius calidus conversus est in aquam frigidam: nam conversus in aquam fecit fluvium purissimum phrygiæ regionis. Si vis recte videre allegoriam istius (3) fabellæ recurre ad ea quæ scripta sunt de Arachne, * Purgatorii capitulo XII; utrobique enim figuratur idem effectus: sicut enim Arachne * (4) femina per superbam gloriam attentavit provocare Palladem deam sapientiæ in opere textrino, sed victa et confusa conversa est in vermen facientem telam etsi subtilem, tamen fragilem, caducam et inutilem; ita Marsyas vir irritavit Apollinem deum sapientiæ in opere musico, sed victus et superatus fuit spoliatus pelle, idest, apparentia exteriori et superficiali qua erat inflatus, et evanuit inanis jactantia eius. Est ergo bene consona fictio; nam si respicis duos utres, alterum plenum, alterum inflatum, sunt eiusdem quantitatis, sed non bonitatis; alter enim est plenus vento, alter vino vel oleo. Ideo bene bonus et sapiens poeta Dantes optat et petit fieri vas plenum optimo et dulci liquore sapientiæ, ut more Apollinis possit confundere æmulos ignorantes in cantu poetico in ista tertia Cantica, sicut et musæ converterunt Pierides in picas, ut pulcre exposui primo cantu Purgatorii; sicut calidus et superbus sanguis Marsyæ conversus est in aquam frigidam et labilem fluvii velocissimi, quem describit Quintus Curtius libro secundo, ubi dicit: Alexander

(1) E. eum. (2) E. Marsyas ipse remansit. (3) S. e E. istius fabulæ.
(4) Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri tre Codici.

ad urbem Celænas adduxit exercitum, cuius mœnia interfluit Marsyas amnis fabulosis Græcorum carminibus inclytus. Livius tamen dicit quod Menander est fluvius grandis navigabilis ortus ex summa arce Celænarum, quæ quondam fuit caput Phrygiæ et Marsyas amnis, non longe a Menandri fontibus oriens, in Menandrum cadit; et fama tenet Marsyam apud Celænas certasse cum Apolline tibiarum cantu, et plus credo Livio quam Curtio; unde Lucanus sequens Livium dicit, quod Marsyas velociter descendens recto cursu intrat Menandrum flexuosum valde. Ad literam ergo dicit poeta: *O Apollo entra nel petto mio,* idest, cor, et ipsum fac audax, *e spira tue,* pro tu, quia spiritus ubi vult spirat; unde multi volunt quod poeta intelligat hic de Christo, qui est vera sapientia Patris; tamen litera sequens ostendit per fabulam, quod autor loquatur poetice, *siccome,* supple, spirasti, scilicet tam valenter et efficaciter, *quando traesti Marsia,* loquacem, fallacem, qui usurpaverat sibi fistulam Palladis, *della vagina delle membra sue;* idest, de pelle, quam per pulcram metaphoram appellat vaginam, quæ continet, conservat et custodit carnem, sicut vagina gladium. — *O divina virtù.* Nunc poeta Dantes ut reddat Apollinem propitium et favorabilem sibi circa petitionem suam, promittit illi remunerationem, scilicet laureationem sui (1). Ad cuius rei declarationem est alacri animo considerandum, quod laurus habet de sui natura plures laudabiles proprietates: primo, quia eius natura est calida et sicca, ideo bene competit poetis et principibus, qui calore ingenii et animi avidissime petierunt laudem, honorem et gloriam: secundo, quia semper viret, et ita fama principum et poetarum semper viget; imo si tantum dimidia bacca lauri plantetur germinat:

(1) E. suam.

tertio, quia nunquam fulminatur, ita nulla vis, potestas, vel vetustas potest delere famam istorum. Et nota, lector, quod solum duo genera hominum coronam lauream promerebantur, scilicet, principes triumphantes et poetæ scribentes: ex quo colligere potes quod nulla artium fuit unquam tantum honorata ut poesis. Nam antiqui sapientissimi primo græci, deinde romani cultores virtutum, scientiarum, legum, morum et omnium laudabilium bonorum voluerunt ut poetæ pari præmio honorarentur cum principibus victoribus. Non ergo dicat aliquis: et unde est quod hæc scientia est hodie ita neglecta, nisi quia visa est inutilis, inhonesta? Certe hoc solum fecit avaritia et ignavia modernorum, quia nunc solum vacatur commodo lucrativo, unde viget decretalis honoratur et sublimatur per sacerdotes, de quo poeta Dantes conqueritur hic et alibi. Ulterius volo te scire quod sicut laurus arbor Phœbi dabatur poetis in præmium studiorum, ita hedera arbor Bacchi aliquando dabatur eisdem poetis, quæ est calida valde et firmissime adhæret arboribus et muris quos rectos (1) tenet. Est autem hedera ex una parte pallida, quod significat pallorem poetarum ex nimio studio, ex altera viridis, quod significat viriditatem famæ. Unde Martianus Capella in libro de nuptiis Mercurii dicit, quod Homerus, Virgilius, Linus, Orpheus, et Musæus erant ornati hedera: dabatur et tertio alia corona poetis, scilicet, ex myrtho, quæ est arbor Veneris ad insinuandum calorem ingenii poetarum et amorem qui semper (2) fervet in pectoribus eorum; vel claritatem poetarum, quia Venus est clarissima stella, vel quia poeta divino quodam spiritu inflammatur, ut testatur Tullius. Ad literam ergo: Dantes ex magna fiducia sui ingenii tamquam poeta magnus promittit Apollini

(1) E. rectos dicunt. Ex hoc autem.
(2) S. e E. semper ferbuit. — 4, fervuit.

præmium magnum, scilicet [1], propagationem gloriæ suæ, dicens: *O divina virtù;* idest, o Apollo, cuius virtus est multa et multiplex, ut jam dictum est et dicetur; *se mi ti presti,* scilicet, tam favorabilem ut possim perficere istud sacrum opus, *tanto ch' io manifesti,* idest, explicem scriptura, *l' ombra del tuo regno,* scilicet, cœlestis; et notanter dicit umbram, quia veram essentiam nec scit nec potest referre, *segnata nel mio capo,* idest, descriptam in mea memoriali cellula, *vedra'mi venire al piè del tuo diletto legno,* idest, apud arborem laurum, quam paulo supra vocavit amatam: et paulo post dicet quomodo hæc arbor fuerit dilecta Apollini, *e coronarmi delle foglie,* sicut tu te coronasti et ornasti frondibus lauri. Hoc autem optabat poeta facere in Florentia sicut ipse tangit uno capitulo libri huius tertii, *che,* idest, quibus, *la materia e tu mi farà degno,* quasi dicat, opera mea qui [2] assumpsi tam nobilem materiam et gratia tua faciet me meritum; quasi dicat, si feceris mihi istam [3] gratiam, ego reddam tibi hanc [4] gloriam, quod assumam statim lauream coronam quam nullus jam per tot sæcula annorum consecutus est. — *Sì rade volte.* Hic Dantes sumpta occasione ex dictis facit justissimam querelam de ignavia modernorum, quorum nullus porrigit manum ad laurum, non princeps, non poeta. Dicit ergo indignanter et dolenter: *o padre,* scilicet, Apollo, qui est magnus pater, de quo dicit capitulo huius libri tertii, *colui che padre d' ogni mortal vita: sì rade volte se ne coglie,* de frondibus lauri, *per trionfare Cesare,* qui de multis bellis clarissime triumphavit. Vocat autem omnem imperatorem Cæsarem ab ipso Cæsare primo, sicut volunt fere omnes autores gentiles; sed christiani dicunt quasi omnes quod imperium cœpit ab Augusto, quia plus auxit rempubli-

---

[1] E. scilicet, ex propagatione.
[2] E. hanc.
[3] E. quia.
[4] E. istam.

cam, salubrius gubernavit, et diutius tenuit: tantum enim imperavit quantum Cæsar vixit, scilicet quinquaginta sex annis. Cæsar ergo videtur esse (¹) quidam præcursor imperatoris, sicut Baptista fuit præcursor Salvatoris. Et hic nota bene quod poeta hic merito conqueritur, quod sic cessaverit gloria triumphorum; nam romano imperio, ut multi illustres historici scribunt, nihil defuit nisi modicum orientis; hodie vero nihil habet nisi modicum occidentis, et illud magis nomine quam re; cum tamen magnam materiam habeamus triumphorum, cum hostes fidei teneant quasi totum orientem et maxime terram sanctam, de quo (²) conqueritur alibi in isto eodem libro. Romani autem pagani ultra trecentos triumphos olim egerant, quando Titus ille amor hominum triumphum duxit de Hierosolyma, quo nullus clarior fuit in orbe, ut scribit diffuse et clare Josephus de bello judaico. Noster vero imperator liberum patrem colit. Est autem triumphus honor debitus duci pro victoria a triplici genere pompæ, quia imperator in curru tracto a quatuor equis intrabat urbem indutus tunica Jovis, juxta illud Ovidii: *quatuor in niveis aureus ibat equis;* et omnes captivi ibant ante currum triumphalem, et sibi veniebant obviam cum magno plausu et lætitia senatus populusque romanus. Nunc vero sacerdotes nostri temporis sine bello triumphant, sicut vidimus multos cardinales intrare Bononiam non est diu. De triumpho non dico plura, quia multa jam dicta sunt Purgatorii capitulis, ubi dicitur de triumphis Cæsaris, et ubi dicitur de triumphis Scipionis et Augusti, et adhuc dicetur alibi in isto libro. Et dicit: *o Poeta.* Ad quod est ulterius notandum quod Dantes convenienter dat poetam in socium principi sub eodem honore, quia illa fama erit in brevi de magno

---

(¹) E. fuisse quasi. — 4, fuisse quidam. (²) E. de quo poeta.

× Carolus IV. Imp. 1346-1378, vel
Wenceslaus " 1378-[illegible].
v. Benv. da Imola and his Comment [illegible], in An English Miscellany, presented to Dr. Furnivall in honour of his seventy-[illegible], Oxford [illegible]

duce quæ de asello, nisi scriptoris beneficium subveniret. Scientia ergo multum honestat nobilitatem, et bene stant simul. Unde scientia literarum et armorum militia semper inventæ sunt apud græcos et latinos: ideo bene Scipio Africanus clarissimus cupidissimus gloriæ poetas sui temporis maxime coluit et dilexit, et ante alios habuit carum Ennium poetam, quem semper habuit socium in omnibus bellis, et testem suarum rerum semper lateri suo hærentem; et demum die triumphi duplici Carthagine victa ascendens Capitolium victor laureatus laureatum illum secum retulit. Insuper et illius senis effigiem sculpi fecit in sepulcro Scipionum juxta imaginem suam et fratris: vir certe dignior Homero et Virgilio præcone quam Ennio; quoniam, ut ait Ovidius, *Ennius ingenio maximus, arte rudis.* De cuius dictis carpens Virgilius fertur dixisse: *lego aurum in stercore Ennii.* Sed ecce coluit quos potuit; sed Dei gratia principes nostri temporis de hoc parum curant. Augustus vero, quo sol clariorem non vidit in orbe, et ipse magnus poeta poetas summe amavit et honoravit; ideo tunc multi et magni poetæ claruerunt, sicut Virgilius Maro, Marcus Varo, Horatius Flaccus, Ovidius Naso, Quintilius Varus, Cornelius Gallus, Asinius Pollio, et alii plurimi. Ergo nobilissima scientia nobilissimorum principum temporibus fuit in pretio. Poetria igitur quæ, teste philosopho, ab animi nobilitate manavit, viguit primo in Græcia omnium disciplinarum fonte ante philosophiam et omnem scientiam: prior enim fuit Homerus et Pronapides magister eius, Pindarus et Sophocles, quam Aristoteles, Plato, Pythagoras, Anaxagoras et alii philosophi: * similiter apud romanos diu fuerunt in honore poetæ prius quam philosophi * (1), ut asserit Tullius, primo Tusculanarum; et

(1) Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici 4 e Estense.

post tempus gratiæ magni [1] theologi poetriam coluerunt, sicut Lactantius, Rabanus, Juvencus, Sedulius, Arator et alii multi. Et assignat causam huius erroris, dicens: *colpa e difetto dell'umane voglie.* Hoc notanter dicit Dantes quoniam voluntas hominis est causa omnium malorum non influentia cœli, quod ipse nobiliter improbavit principio huius capituli: omne enim peccatum adeo est voluntarium, quod nihil est peccatum nisi voluntarium, ut ait Augustinus. Bene ergo nunc dolet autor quod virtus et scientia careant præmio suo, quoniam virtutes et scientiæ liberaverunt animam a captivitate naturæ. Culpa ergo hominum nullum habemus imperatorem, et defectu eorum nullum habemus poetam. — *Che partorir.* Hic poeta reddit causam suæ querimoniæ, et vult dicere sententialiter quod magnum gaudium et festum deberet fieri, cum aliquis poeta apparet tempore nostro, quod pro se dicere videtur. Est enim singularissima laus nostri poetæ, qui solus in orbe non spe alicuius præmii temporalis nunc affectabat et sperabat lauream, cum dicere poterat una cum Josepho, ipsam puto genuisse virtutem tantum licere vitiis deflens. Dicit ergo: *Che la fronda Peneia,* idest, corona laurea; nam laurus arbor dicitur fuisse filia fluminis Peneii. Est autem Peneius fluvius magnus et famosus Græciæ admittens in se multa flumina, cuius vallis tota est plenissima lauris; ideo bene Apollo fingitur adamasse laurum, quia sol hanc arborem ibi, plusquam in cæteris locis producit et fovet, ita quod suum amorem ostendit in eam, quando dedit sibi tantum honorem, ut ex ea principes et poetæ coronarentur; *devria partorir letizia,* quia poetria est delectabilissima scientiarum, ut probat Aristoteles in sua poetria, *in su la lieta delfica deità,* quod est dicere in templo

---

[1] E. magni philosophi, theologi.

Apollinis in monte Parnaso apud civitatem Delphorum. Ad quod nota quod hic locus fuit olim venerabilis toto mundo; nam in hoc templo, ut dicit Justinus, erant donaria magna et opulenta regum et populorum; unde multi cupiditate prædæ invaserunt civitatem Delphorum, sed nunquam sine ultione offendentis: unde Xerses potentissimus rex persarum, inde infeliciter repulsus est; et Brennus gallorum regulus, qui Italiam, Græciam et urbem oppresserat, ibi sacrilegii pœnas luit, deleto exercitu suo cum haberet peditum quinquaginta quinque millia; Delphi vero cum sociis quatuor millia, tamen(1) deo propitio potiti sunt victoria. De hoc dicit Plinius intra terram Beotiæ liberum oppidum Delphos sub monte Parnasi clarissimi in terris oraculo Apollinis. Livius vero dicit: Delphos, commune humani generis oraculum, umbilicus orbis terrarum. Et dicit: *quando alcun di se asseta,* idest, sitibundum et desiderosum de se lauro facit, quasi dicat: quando accendit appetitum poetandi (2) in alium. Hoc dicit pro se qui nunc erat ita sitibundus poetandi (3) de templo magni Apollinis, idest, Christi. — *Poca.* Hic poeta post conquestionem subiungit ultimo aliqualem consolationem; et dicit quod forte post eum venient excellentiora ingenia: et præmittit unam sententiam vel proverbium generale, dicens: *Poca favilla,* idest, parvulam scintillam, *gran fiamma seconda,* idest, sequitur, quasi dicat autor: ego modicum excitavi favillam sopitam et extinctam, sed forte sequetur magnus ignis, idest, clarior poeta me; unde dicit: *forse si pregherà,* scilicet, ab aliquo poeta venturo, *diretro a me,* qui primus omnium aperui viam ad talem materiam, *perchè Cirra,* idest, Apollo, qui colitur in Cirrha altero jugo montis Parnasi, *risponda,* idest, responsum det, sicut olim solebat (4) dari responsa in Cirrha

(1) 4 e E. millia tantum.
(2) E. potandi.
(3) E. potandi.
(4) E. solebant.

per ora virginum, ut jam dictum est supra, *con miglior voci,* idest, facundiori sermone, quasi dicat: forte veniet alius poeta eloquentior me, qui magis movebit Apollinem [1]; et dicit, *forse,* dubitative. Et hic nota quod poeta pro parte videtur dicere verum; nam tempore quo florebat Dantes novissimus poeta Petrarcha pullulabat, qui vere fuit copiosior in dicendo quam ipse. Sed certe quanto Petrarcha fuit maior orator Dante, tanto Dantes fuit maior poeta ipso Petrarcha, ut facile patet ex isto sacro poemate.

Sorge ai mortali. Ista est tertia pars generalis in qua poeta Dantes ostendit qualiter opera Beatricis ipse ascenderit cœlum; et primo præmittit optimam dispositionem temporis, qua intravit cœlum, sive implevit istud optimum opus. Et vult sententialiter dicere quod sol oriebatur sibi in ariete: et tangit primo generaliter multiplicem ortum solis, dicens: *La lucerna del mondo,* idest, sol sic dictus solus super omnia lucens; est enim oculus mundi, *sorge ai mortali,* idest, oritur super homines, *per diverse foci,* idest, partibus vel signis. Ad quod notandum quod sol non semper oritur nec occidit in eodem loco, sed alius est ortus eius et occasus in æquinoctiali, quia aries et libra: alius est ortus et occasus in solstitio hyemali, quia finis sagiptarii et principium capricorni: alius est in solstitio æstivali, quia finis geminorum et principium cancri. Sol autem principalius oritur in ariete; unde dicit: *ma da quella,* scilicet, fauce oritur potissime, *che giunge quattro segni con tre croci,* scilicet, in ariete, ubi quatuor circuli coniunguntur in unum facientes tres cruces, qui sunt æquinoctialis, zodiacus, horizon et colurus, sicut demonstratur aperte in spera materiali ad oculum: potest tamen intelligi allegorice, quod sol justitiæ

[1] E. Apollinem me; et dicet.

Deus, qui est lux mundi, oritur hominibus per diversas vias, sed potissime per quatuor virtutes cardinales et tres divinas. Et hic nota bene quod rectitudo animæ perfecta requirit, quod ipsa rectificetur secundum duplicem faciem, scilicet, superiorem et inferiorem, et respectu finis et respectu eorum quæ sunt ad finem; ideo necesse est animam quantum ad superiorem faciem in qua consistit imago Trinitatis æternæ rectificari per tres virtutes theologicas, ita quod fides dirigat in summe verum credendo et assentiendo; spes in summe arduum imitando et expectando; caritas in summe bonum desiderando et diligendo. Necesse est etiam quantum ad inferiorem faciem rectificari per quatuor virtutes cardinales, quæ ordinant actus morales, de quibus tractatum est totiens libro Purgatorii in prohemio, et in aliis multis locis et capitulis. — *Fatto.* Hic poeta superextollit talem ortum suum probans quod sol in tali signo maxime exercet virtutem suam, quia facit nobis temperiem magnam; unde dicit: et illa lucerna mundi, *esce congiunta con miglior corso,* quia tunc currit sol per medium cœli, quia pervenit ad circulum æquinoctialem, *e con migliore stella,* idest, constellatione: est enim aries signum constans ex decem octo stellis; et nota quod signa eodem loco oriuntur et occidunt, non sic sol, sicut scribit Iginius de astrologia poetica. Et probat per effectum, dicens: *e tempera e suggella la mondana cera,* idest, materiam elementalem inferiorem, quam autor metaphorice appellat ceram, et dignissime: sol enim tamquam sigillum æternum immutabile imprimit virtutem suam in talem materiam mutabilem ad modum ceræ. Sicut enim cera non nimis dura nec nimis liquida, sed æqualiter temperata recipit sigilli impressionem, ita ista materia adveniente temperie veris recipit infusionem solis, et tunc terra recipit diversa signa, et dicit: *a suo modo,* idest, suo moderamine. Et hic

nota quod secundum diversos ortus sol facit diversos effectus: nam a principio arietis usque ad principium cancri est calidus et humidus, generans et augens; a principio cancri usque ad principium libræ est calidus et siccus maturans; a principio libræ usque ad principium capricorni est frigidus et siccus, faciens declinare mixta ad diminutionem; et a principio capricorni usque ad principium arietis est frigidus et humidus humido putrefacto et putrefaciente, ut dicit Ptolomæus. Potest etiam ista litera exponi moraliter, scilicet quod sol justitiæ Deus temperat et sigillat plus suo modo mundanam ceram, idest, ipsum hominem, in quem magis infundit suam gratiam per istam coniunctionem septem virtutum, quam quando homo habet tantum unam virtutem, vel duas vel paucas, quamvis qui habet unam virtutem perfecte habeat omnes, qualis nunc erat autor noster. Et ex præmissis poeta elicit horam temporis, dicens: *tal foce,* scilicet, aries in quo erat sol, tam bona, tam temperata, *avea fatto mane,* idest, diluculum diei, *di là,* scilicet, in illo hemisperio * inferiori, *e sera di qua,* scilicet in nostro hemisperio * (1) superiori opposito illi; unde dicit: *e quello emisperio,* scilicet, prædictum inferius, *era quasi tutto bianco,* dicit *quasi,* quia dies erat in fieri, *e l'altra parte nera,* idest, et aliud hemisperium nostrum superius erat factum nigrum, quia nox erat in fieri. Potest etiam dici allegorice, quod in illo hemisperio luminoso erat claritas veritatis quia erant inter immortales; in nostro vero hemisperio tenebroso erat obscuritas ignorantiæ inter mortales. — *Quando.* Hic Dantes tacto ortu solis describit dispositionem Beatricis erga ipsum solem, quæ acutissime respiciebat in ipsum. Unde dicit: *Quando,* idest, in qua tam bona hora temporis, *vidi Bea-*

(1) Le parole fra i due asterischi son supplite dal Codice Estense.

trice, quæ parabat ducere me ad beatitudinem, *rivolta in sul sinistro fianco,* ubi primo erat a dextera currus, ut patuit in fine Purgatorii; vel hoc pro tanto dicit, quia erant oppositi nostro situi, ita quod sol ibat eis ad sinistram, ubi nobis vadit ad dexteram eundo versus orientem, *e riguardar nel sole,* idest, æternum solem justitiæ Deum. Et tangit perspicuum modum suæ intuitionis per nobilem comparationem aquilæ respicientis nostrum solem sensibilem. Et est hic fixa mente animadvertendum quod Dantes videre [1] meo non poterat facere perfectiorem comparationem nec magis propriam, si volumus colligere nobiles proprietates aquilæ. Aquila enim primo est avis magna valde, talis est hæc sacra scientia, et habet alas valde magnas, rostrum magnum, et fortes ungues, ita ista aquila nobilis est regina aliarum avium [2], ita ista est super omnes quia divina imperat et dominatur humanis. Aquila ultra cæteras aves volat altius et videt acutius, ita [3] Beatrix sola ascendit cœlum et videt Deum; inquisitio enim theologiæ est causa cognoscendi Deum; unde theologia vocatur scientia post naturam, quæ est finis scientiarum et perfectio earum; ipsa enim est finis ad quem tendit omnis inquisitio et in ea quiescit. Aquila sola inter aves non fulminatur, teste Plinio, sicut nec laurus inter arbores; ita ista [4] inter scientias non potest eclipsari, sicut ostensum fuit II capitulo Inferni. Aquila sola intueri potest radios solis, et filios non valentes hoc facere non nutrit sed expellit; et ita Beatrix. Aquila est avis boni augurii non solum apud poetas, sed etiam apud historicos, et adhuc una penna aquilæ coniuncta multis pennis anseris consumit eas; et dicit Albertus se fuisse ex-

(1) 4, videri meo.

(2) E. avium, sicut est ista scientia super omnes humanas scientias, quia divina imperat et.

(3) E. ita ista scientia Beatrix.

(4) E. ita ista scientia inter scientias.

pertum hoc in pennis alarum, ita volatus istius altissimæ aquilæ deprimit volatum aliarum scientiarum quæ sunt tardæ, sicut anseres respectu aquilæ [1]. Est etiam quædam nobilissima aquila, quæ non depascitur nisi corda aliarum avium, quas capit in nutrimentum sui; ita ista nobilissima scientiarum solum capit quædam principia aliarum. Ad literam ergo dicit poeta: *aguglia sì*, idest, tam firmiter, *non gli s' affisse unquanco*, quasi dicat: quod aquila corporalis non tam fixe intuetur solem corporalem, sicut ista scientia spiritualis solem spiritualem qui Deus est. Et hic nota bene quod autor optime dicit; quoniam aquila non posset bene respicere rotam solis ex sola oculi puritate, quia lux solis fortissima, calidissima super oculum spericum et politum facit multas reflexiones radiorum ad medium oculi, ubi est humor glacialis, in quo sigillantur formæ visibilium, et reflexio illa calefacit et dissolvit humorem illum; ideo oculi lacrymantur quando quis videt lucidum excellens. Oculus enim est quasi speculum animatum convexum; sed natura solers et sagax dedit aquilæ pupillam nigram et cilia grossa, ut melius resistat; et tamen non posset hoc facere diu, quia humor ille frigidus dissolveretur et corrumperetur: sicut simile videmus in salamandra quæ aliquandiu vivit in igne, quia frigidissimæ naturæ extinguit ignem sicut glacies; sed si diu steterit in igne vincitur et moritur. Bene ergo dicit poeta quod aquila nunquam respexit solem, sicut nunc Beatrix: nam oculus intellectualis purissimus istius dominæ quanto diutius et fixius respicit solem æternum, tanto fortius vigoratur et convalescit. — *E sì come*. Hic poeta ostendit quomodo factus est potens ad respiciendum solem virtute Beatricis per comparationem pulcram et propriam; et

---

(1) E. aquilæ, scilicet scientiæ huius theologiæ. Est.

sententialiter vult dicere quod factus est unus ex nobilibus pullis istius altæ aquilæ; nam oculus eius respiciens oculos Beatricis, vigoratus cœpit respicere solem, quod prius facere non potuerat, a simili sicut radius solis refractus in speculo resalit sursum versus corpus solis, quasi volens redire ad locum unde prius venerat; ita intellectus autoris quasi quidam radius solis justitiæ volens nunc redire ad ipsum unde venerat, respiciebat ad oculos Beatricis, idest, contemplationem et speculationem theologiæ; et isto modo resalibat ad cœlum, et incipiebat posse videre solem æternum, quod facere non poterat nisi mediante ista sacra scientia. Ordina (1) literam quæ est fortis et construe sic; cape illud *e,* et descende inferius ubi dicit *il mio,* et dic: *E il mio,* supple, actus, *infuso dagli atti suoi,* scilicet, Beatricis, *per gli occhi,* scilicet, meos, *si fece nell' imagine mia,* idest, in imaginativa mea, *sì come raggio,* scilicet, solis, *suole uscir del primo,* scilicet, mediante speculo vel aqua, et sicut solet, *risalir insuso,* scilicet, versus ipsum solem, *pur come peregrin che tornar vuole,* scilicet, ad locum unde venerat; et hoc vult naturali intentione, intelligas, quia aliam voluntatem non habet radius solaris, ita autor noster, qui diu fuerat peregrinatus a Deo, volebat reverti ad eum. Unde subdit: *e volse il viso,* scilicet, intellectualem, *al sole,* scilicet Deum, *oltre a nostro uso,* idest, ultra usum humanæ scientiæ, quia hucusque iverat per terram cum Virgilio. Et respondet continuo quæstioni tacitæ, quia poterat petere lector: quomodo oculus humanus poterat pati quod aquila diu (2) non potest? respondet: *molto è licito là,* in illo loco felici, *alle nostre virtù,* scilicet, humanis, sicut visui, auditui et aliis, quasi dicat, quod homo perfectius potest videre ibi, *che qui non lece,* quod

(1) E. Ordina nunc. (2) E. pati diu non potest?

non est licitum in isto nostro mundo misero; et reddit causam: *mercè del loco,* idest, virtute et bonitate paradisi deliciarum, *fatto per proprio dell' umana spece,* et non pro alia specie vel corporali creatura, quia Deus hunc locum deputaverat primis parentibus, sicut plene dictum est in fine Purgatorii: nec dicas sicut multi mercede loci, idest cœli, quia nondum autor erat in cœlo, sed statim incipiet ascendere, ut patebit. — *Io.* Hic Dantes describit effectum suæ fortis vigorationis, quia scilicet statim vidit solem splendidiorem et ardentiorem solito per comparationem claram et propriam, dicens: *Io nol soffersi,* scilicet, illum solem, *molto nè sì poco,* quasi dicat, subito, in instanti, *ch' io nol vedessi sfavillar,* idest, scintillare et radiare talem, *qual ferro che bollente esce dal fuoco;* ferrum enim quod prius erat frigidum et obscurum in igne efficitur calidum et splendidum. Et subdit excessum luminosæ claritatis, dicens: *e di subito parve giorno esser aggiunto a giorno,* quasi dicat: et subito visa est duplicari dies, velut si duo soles essent simul in cœlo. Unde dicit: *come Quei che puote,* idest, Deus, qui posset et sciret facere alium solem si vellet, *avesse adorno il ciel d' un altro sole,* qui esset magnum ornamentum (¹) cœli, quod tunc haberet duos oculos, ubi nunc habet unum, qui illuminat universum; ideo alium non fecit quia sufficiebat unus, nam terra posset dicere solo necor sole. Et hic nota, quod hic divinus poeta tam longa, tam laboriosa peregrinatione per profundam vallem, per arduum montem pervenerat ad locum perfectæ virtutis, ubi purgatus igne, lotus aqua, indutus amplissimis alis virtutum et scientiarum volabat in cœlum; ideo bene dicit quod videbat solem maiorem et pulcriorem solito. Nota etiam quod aliqui dixerunt hic quod

(¹) 4, ordinamentum.

autor intravit hic cœlum per speram ignis, quod mihi videtur frivolum, quia paradisus deliciarum, secundum fictionem autoris, est supra speram activorum et passivorum, sicut sæpe patuit circa finem Purgatorii. — *Beatrice.* Hic poeta Dantes incipit nunc ostendere qualiter factus est habilis ad ascendendum cœlum; et primo præmittit qualiter Beatrice intenta totaliter in cœlum ipse reduxit oculos in eam; unde dicit: *Beatrice stava tutta fissa con gli occhi,* idest, speculatione et contemplatione, *nell' eterne ruote,* idest, speras cœlestes, quia ibi maxime miratur creatorem suum, *et io fissi,* idest, firmavi, *le luci rimote di lassù,* idest, oculos meos remotos a sole, *in lei,* expectans tacite quid ista imperiosa domina deinceps esset actura. Et subdit continuo effectum huius inspectionis, scilicet, mirabilem (1) transmutationem suam per unam comparationem, quæ mirabiliter facit ad suum propositum; et vult sententialiter dicere, quod ex homine factus est deus * sive divinus, eo modo quo Glaucus factus est deus * (2). Ad huius literæ intelligentiam volo te scire, quod autor congruentissime fingit se in aspectu Beatricis factum fuisse similem Glauco, qui, sicut scribit Ovidius XIII sui Maioris, ex homine mortali factus est deus immortalis. Fuerat enim piscator græcus, qui diu in mari angusto Euboico piscatus fuerat pisces, nunc cum rete nunc cum hamo; tandem semel pisces captos posuerat in herba prati, quod nullus intraverat ante eum, cuius herba nunquam fuerat tacta dente bestiæ, vel manu hominis; de qua pisces gustantes cœperunt statim moveri et vigorati saltaverunt in mare; quo miraculo Glaucus stupefactus, et ipse gustavit de herba illa, et subito motus interius quadam nova dulcedine saltavit in mare et factus est statim deus desuper partim piscis ab

(1) E. mirabilem inspectam transmutationem.
(2) Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri tre Codici.

inguine infra, et precibus deorum marinorum lotus primo multa aqua dulci fluviorum factus est deus marinus mutata in melius omni prima figura. Hac brevi præmissa fabella, nunc considera, lector, quantum bene repræsentet mentem nostri autoris: nam Glaucus piscator figuraliter est poeta Dantes, qui diu fuerat piscatus in aqua inferni et purgatorii, et tandem pervenerat ad pratum virens, ubi nunquam fuerat alius poeta, scilicet ad paradisum deliciarum, et ibi tamquam piscator bonus posuerat homines captos sermone suo, qui (1) facti avidi, gustata nova herba, idest doctrina, quæ hucusque fuerat inviolata et intacta, intraverunt mare; et ipse novus Glaucus relicta terra more Glauci factus est primo semideus, et plene et perfecte lotus dulci aqua fluviorum paradisi deliciarum factus est deus in magno mari paradisi cum aliis beatis mutata forma primæ naturæ et vitæ; et ubi parva navi hactenus ceperat pisces parvos, nunc cum magno navigio, idest alto ingenio intrat mare magnum, idest, profundam materiam, in quo capit pisces magnos, idest homines sapientes, sicut ipse protestatur (2) in principio capituli secundi sequentis. Nunc ad literam dicit autor: ego Dantes, *mi fei tal dentro,* scilicet, intellectu, quia in corpore mutatus non est, *nel suo aspetto,* idest, in aspectione Beatricis, *qual si fe Glauco,* piscator marinus, *nel gustar dell'erba,* insolita et mirabili, *che 'l fe consorte degli altri dei in mar;* quæ herba fecit eum participem divinitatis et immortalitatis. — *Trasumanar.* Hic poeta superextollit hanc suam mirabilem transmutationem, quæ non potest sermone explicari, nec dari alteri intelligi; et ad huius literæ satis obscuræ declarationem est primo præsupponendum, quod nullum animal in rerum natura tantum recedit et elon-

(1) 4, qui statim facti. (2) 4, testatur.

gatur a natura sua, quantum homo in bonum et in malum. Homo enim de sui natura est perfectissimus animalium, et perfectissimum corpus hominis invenitur proportionatum cœlo et mundo; ideo solus homo, ut inquit Hermes, est nexus Dei et mundi, eo quod intellectum divinum in se habet, per quem aliquando elevatur supra mundum; unde homo perseverans in culmine mentis trahit ad se corpus et mundum, quia anima nata est principari corpori et mundo, et naturalis ordo est quod anima contineat corpus ne dissolvatur: sic nunc poeta noster per contemplationem stans in terra erat in cœlo; fortunam negligebat et vivens erat in paradiso. Aliquando vero e contra homo per electionem facit se inferiorem mundo supponens se corpori, et tunc jam quasi honore humanitatis exutus accipit proprietatem bestiæ, cum accidentia corporis transmutent animam: unde per imaginationes et passiones accipit corruptiones corporis, sicut Avicenna dicit quod imaginans colores rubeos auget motum et fluxum sanguinis; et multum tristis timens lepram erit aliquando leprosus. Modo ad propositum dicit Dantes, quod non potest nunc referre verbaliter, sed exemplariter tantum, suam intrinsecam occultam transmutationem, de hoc se excusans; unde dicit: *trasumanar,* idest, quomodo homo fiat plusquam homo, vel aliud quam homo, *non si poria significar,* idest, manifestari, *per verba,* scilicet, poetæ vel oratoris, ideo nunc describo hoc metro isto materno (1), *però l'esempio,* scilicet prædictum Glauci, *basti,* quia plus movent exempla quam verba, *a cui grazia serba esperienza,* idest illi, cui divina gratia concedet experiri hoc, sicut autor experiebatur nunc, et sicut multi magni doctores theologi experti fuerunt ante eum in vita (2). — *S'io era.*

(1) E. metro isto minimo. (2) E. in vita sua.

Nunc ultimo poeta describit quid primo viderit et audiverit in ingressu cœli; et præmittit more apostoli se ignorare si erat cum corpore vel sine corpore; unde apostrophans ad Deum, dicit: *O amor,* scilicet, divine, *che 'l ciel governi,* quod ego nunc intrabam, *tu 'l sai,* quasi dicat: ego nescio, tu scis, *che,* idest, qui, *mi levasti col tuo lume,* idest, tua gratia rapuisti me ad cœlum, quia gratia tua me prævenit, et excitavit in me liberum arbitrium, et promovit ad tam altum gradum contemplationis, *s' io era sol di me quel che creasti,* idest, si eram solus cum animo quem creasti de nihilo; corpus enim non potest proprie dici creatum, sed generatum ex elementis, quia datur a parentibus, *novellamente,* idest, de præsenti in ista mea novella ascensione: ita recte dicebat Paulus loquens de raptu suo ad cœlum sive in corpore, sive extra corpus etc. Et hic nota quod autor non immerito fingit se non recordari suæ mirabilis transmutationis, quoniam, ut bene ait Augustinus, sicut stilla aquæ multo infusa vino deficere in se tota videtur, dum saporem vini induit et colorem; sic hominis affectio quodam ineffabili modo liquescens transfunditur penitus in Dei amorem, et quodam quasi modo oblitus sui per cœlestes speras mentaliter scandens ad æternum Regem perduci festinat, mente jam ebria suavitate gratiæ infusæ. Ex dictis (1) patet quod autor nunc loquitur de paradiso morali non essentiali, sicut supra notavi: anima enim adhuc juncta corpori interdum felicitatur sicut interdum damnatur, interdum purgatur in mundo isto: viri ergo perfecti jam ante mortem degustant aram æternæ felicitatis. Et subdit quid viderit et audiverit insolitum sic levatus lumine (2) supernæ gratiæ; et tangit duo miranda, quæ fecerunt ipsum attentum, scilicet dulcissimum so-

(1) E. Ex prædictis patet. (2) 4, in lumine.

num et maximum lumen. Unde dicit: *quando la ruota,* idest, spera cœli, quod tu [1] æternaliter et semper moves et regis, tu, dico, *desiderato,* a sanctis et beatis; vel dic melius, quod loquitur physice, scilicet, quod primum movens movet tamquam amatum et desideratum, *mi fece atteso,* idest, attentum, *a sè,* idest, ad ipsam rotam; et ecce quomodo: *con l' armonia,* idest, melodia, quæ causatur a motu cœli, *che temperi e discerni,* inter tot speras diversas correspondentes ad se invicem. Est autem hic notandum delectabiliter, quod ultra ea quæ mirabilia scripsi Purgatorii capitulo II de potentia et efficacia musicæ in bonum et in malum, maiora restant dicenda. Musica enim dicitur esse in novem ordinibus angelorum, qui cantare non cessant in novem speris cœlorum, quæ motu suo faciunt mirabilem harmoniam. Musica movet et delectat omnia animalia: videmus enim de facto quod equi magis accenduntur et exultantes fiunt animosiores in prœliis audientes sonum tubarum et aliorum instrumentorum. Musica maxime regnat in avibus nobilibus, ut de se patet. Dulcedo etiam musicæ tangit pisces, sicut narratur de delphine Arionis, qui Arion tam mirabiliter cantavit cum lyra in navi quod delphin veniens ad dulcem sonum recepit eum in tergo suo et incolumem portavit ad litus, sicut narrant multi non solum poetæ, sed etiam historiographi, sicut Ovidius libro Fastorum, Augustinus in de Civitate Dei, Tullius et Herodotus magnus magister græcæ historiæ. Quid ergo miramur si musica dominatur in hominibus et exercetur in divinis? Nonne [2] in illo templo mirabili Salomonis, quod Dominus sibi ædificari fecit tanto sumptu et tempore, semper fuerunt sacerdotes celebrantes solemnia cum cantoribus, citharis, organis, et aliis musicis in-

---

[1] E. tu Deus æternaliter. [2] E. Numne.

strumentis? Musica siquidem quadam participatione letitiæ mentes humanas trahit ad societatem angelorum, cuius suavitas tanta est, quod expellit curas ab animo, morbos a corpore, labores temperat; unde Pythagorici utebantur cantilena in studio scientes quod compositio animæ et corporis est coniuncta per musicam; unde Democritus dicitur ostendisse pulsus cordis Hippocrati medico. Immo musica expellit dæmones; unde cum David pulsabat citharam, Saul socer eius minus vexabatur a maligno spiritu. Ideo bene dicit Isidorus quod sine musica nulla disciplina potest esse perfecta. Pythagoras vero dicebat hunc mundum esse conditum per musicam et per (1) musicam gubernari: quare Boetius in prohemio musicæ concludit: *apparet igitur musicam ita nobis naturaliter esse coniunctam, ut non possimus esse sine ea etiam si velimus.* Musica igitur vitæ condimentum, suavitas animi, jocunditas divinæ laudis, jubilatio devotionis, gratiarum actio, fuga dæmonum, exercitium angelorum. Nunc audita est a poeta cum intraret cœlum cum Beatrice multo perfectius et dulcius quam quando intravit purgatorium cum Virgilio: et tacta dulcedine (2) soni, tangit poeta claritatem luminis, dicens: *parvemi allor,* dum starem sic attentus ad sonum, *tanto del cielo acceso dalla fiamma del sole,* qui jam visus fuerat sibi duplicari, ut patuit paulo supra: et declarat cœleste per terrestre simile, dicens: *che pioggia o fiume non fece lago alcun tanto disteso.* Aliquando enim pluvia auget flumina, quæ inundant campos vicinos; et aliquando ipsa flumina redundant de sui natura etiam sine pluvia, et faciunt magnas valles et lacunas sicut Padus in Lombardia.

La novità del suono. Ista est quarta pars generalis huius prohemialis capituli, in qua poeta Dantes probat

(1) E. et per eamdem gubernari. (2) E. dulcedine viæ soni.

longo discursu, qualiter naturali ordine et rationabili cursu ipse ascenderit cœlum; et primo fingit se concepisse magnum dubium ex novitate rei mirabilis et incredibilis, unde factus est avidissimus sciendi causam; unde dicit: *La novità del suono,* idest, dulcis harmoniæ nunquam alias auditæ. Et hic nota quod ista litera non videtur vera de virtute sermonis, si sic simpliciter intelligatur: non enim videtur concedendum quod musica sit in cœlo, quia Aristoteles hoc impugnat, primo cœli et mundi: ideo dicendum est quod autor per istam harmoniam intelligit mirabilem proportionem cœli, quod semper uniformiter movetur, ita quod omnis pars respondet omni parti, sicut ipse poeta dixit in Inferno. Sed posito quod Dantes juxta sonum literæ realiter intelligat quod musica sit in cœlo, tamen non erit irridendus; nam magni autores ante Aristotelem, sicut Pythagoras et Plato, et post eum sicut Tullius, Boetius, et Macrobius comentator Tullii super somnium Scipionis, et Chalcidius comentator Platonis super Timæum affirmant hoc pro certo. Unde dicit Chalcidius: *Musica procul dubio exornat animam rationabiliter ad naturam antiquam, revocans et efficiens talem demum, qualem ab initio opifex Deus fecerat.* Albertus tamen in suo de cœlo et mundo adducit multas rationes ad probandum quod sonus non fit in cœlo: et in libro de proprietatibus elementorum facit demonstrationem maioris certificationis; unde (¹) dicit: *e il grande lume,* quod nunc videbat maius solito, *m' accesero un desio,* idest, desiderium in mente mea, *di lor cagione,* idest, sciendi causam istius soni et luminis, *mai non sentito di cotanto acume,* quasi dicat, quod nunquam habuerat intensius dubium in animo sive desiderium quandiu fuerat cum Virgilio. Et subdit subitum

(¹) E. unde ipse autor dicit.

succursum Beatricis, quæ continuo promisit se satisfacturam desiderio suo, dicens: *ond' ella,* scilicet Beatrix, magna magistra secretorum cœli, *che vedea me, sì come io,* idest, cognoscebat acutum desiderium meum, *aprio la bocca,* supple, ad loquendum ne perderem tempus, *pria ch' io,* scilicet, aperirem os, *a dimandar,* de causa utriusque rei novæ, *ad acquetarmi l' animo commosso,* stupefactum novitate insolita, ne teneret (1) animum meum diu suspensum inutiliter, *e cominciò,* supple, dicere ridenter: *tu stesso ti fai grosso,* contra naturam et bonam dispositionem tuam, cum deberes amodo esse subtilis, *col falso imaginar,* quia scilicet imaginaris esse adhuc in terra in paradiso terrestri, quod tamen est falsum, quia jam es in cœlo, *sì che non vedi ciò che vedresti,* scilicet, causam soni et luminis, *se l' avessi scosso,* idest, remotum a te illud falsum imaginari; sed statim quietabo animum tuum inquietum. — *Tu non se'.* Hic Beatrix assignat causam, quare Dantes incipit audire tantum nunc novum sonum, et videre novum lumen. Et vult finaliter (2) dicere quod ipse ideo audit (3) sonum cœli, non quia sit ibi factus de novo, sed quia dum staret in terra non poterat ipsum audire. Similiter videt lumen maximum non quia non esset prius ibi, sed quia non poterat ipsum videre dum esset in terra. Dicit ergo: *tu non sei in terra,* sicut fuisti hactenus, *sì come tu credi;* et ostendit quod nunc poeta naturaliter ascendit cœlum per unam comparationem naturalem et subtilem fulminis, quod non tam velociter * descendit ad terram, quam poeta nunc velociter * (4) ascendit ad cœlum. Ad quod notandum quod Beatrix exquisitissime hoc dicit, quia fulgur a calore solis non trahitur nisi usque ad mediam regionem aeris, et ibi repellitur a frigore ad terram cum summa velo-

(1) 4, ne tenerem. (2) E. sententialiter. (3) 4, audivit.
(4) Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri tre Codici.

citate. Iste vero homo nunc trahebatur calore æterni solis a terra ad cœlum subito et (1) instanti. Præterea fulgur veniens ab alto ad terram facit multa mirabilia et incredibilia homini; quare antiqui putaverunt ipsum esse rem divinam, ideo attribuebant fulmen Jovi deo deorum: quanto magis homo ascendens a terra ad cœlum facit mirabilia, quia efficitur deus sive divinus, subtilius et fortius penetrando corpora cœlestia, quam fulmen terrestria. Dicit ergo: *ma folgore,* fulgur est illuminatio ignis, qui apparet nube jam scissa vel rupta; fulmen vero est ignis expulsus et cum impetu jactus; *fuggendo el proprio sito;* bene dicit: licet enim ignis per se sit ascendere, ut dicitur paulo infra, non tamen secundum Aristotelem ascendit in materia aliena, sicut in ferro ignito vel titione; in coruscatione autem est vapor terrestris cuius est descendere, ideo descendit in illo; secundo, quia inter omnia inanimata ignis maxime nutritur; virtus autem omnis nutriti sequitur naturam et motum materiæ ex qua nutritur, sicut videmus in candela: tertio quia percutitur et proiicitur a nube et a frigore loci, ideo descendit cum impetu; ideo dicit: *non corse,* scilicet, cum tanto impetu, *come tu,* supple, curris, *ch' ad esso riedi,* idest, reverteris nunc ad ipsum proprium situm tuum, quia scilicet venisti originaliter a cœlo, nunc redis in ipsum; cœlum enim est naturaliter (2) locus spirituum sicut terra corporum. Homo autem est maxime intellectus et ratio; ideo nunc Dantes cum virtute et scientia volabat sursum, sicut ignorantia et vitium trahebant eum deorsum, quando a principio voluit ascendere montem, ut patet (3) primo capitulo Inferni. — *S' io fui.* Hic Dantes tangit aliud dubium, quod natum est ex solutione primi dubii; et videtur velle dicere in

(1) E. subito in instanti. (2) 4 e E. naturalis locus. (3) E. patuit.

effectu: bene cognosco ex verbis tuis quare cœperim nunc audire novum sonum, et videre novum lumen, sed non possum cognoscere qualiter nunc cum corpore ponderoso transeam per ista corpora levia. Et hic nota, lector, quod hoc est dignum longa discussione (1) super ista admiratione autoris; nam Dantes nunc contractus in arcem suæ mentis speculabatur simul vilitatem et sublimitatem humanæ naturæ. Nam, ut perstringam plurima paucis, nihil miserius homine, nihil felicius; vilitatem quidem considerabat ratione (2) materiæ corporis pergravantis, ut eleganter et sæpe scribit Plinius in naturali historia: quid enim miserius homine qui conceptus in fœtore luxuriæ, nutritus fœdissimo alimento, quod nominare pudor prohibet; quem antequam nascatur interdum fœtor candelæ extinctæ interficit, et natum morsus culicis necat, imo pilus in lacte suffocavit nobilem poetam græcum: homo miserrimus animalium, hospitium miseriarum, receptaculum sordium, subiectum morborum, egens omnium, nihil secum portat (3), inter dolores, pœnas et pericula: inter incommoda tanta tam naturæ quam fortunæ, vitam agit brevissimam, quam auspicatur a planctu; semper inquietus, sollicitus de gloria, de pecunia, semper mortem timens, qua nihil melius dedit natura homini, cum homo homini faciat tot mala, et insidietur vitæ brevissimæ per tot genera tormentorum, mortium et ludibriorum. Quid quod pediculi aliquando roserunt regem et vermes imperatorem? Unde quibusdam visum est optimum esse homini (4) non nasci, vel cito mori. E contra autem considerabat Dantes sublimitatem hominis quantum ad intellectum quasi divinum. Nonne contra tot genera miseriarum homo se armat per tot genera artium imitando naturam? Nam si

(1) E. distinctione. (2) E. ratione corporis prægravantis.
(3) E. portat nisi dolores, labores, pœnas et. (4) E. hominem.

natura provida cæteris animantibus dedit cutem duram, ungues et cornua; homini dedit unum reparatorem omnium, scilicet intellectum. Bruta ergo læsa non habent remedium, nisi conferatur ab homine: elephas, camelus, bos, equus et alia cum senuerint spernuntur, cum obierint non sunt; solum hominem virtute dotatum, quæ solius hominis est propria, senectus facit venerabilem, mors gloriosum et felicem, quem transfert non extinguit: et cum animalia multa sint armata fortitudine, velocitate et aliis, solus homo fuit curæ Creatori suo, cui dedit caput spericum, in quo posuit oculos sidereos in quibus relucent secreta animi, dedit rationem et orationem; ideo merito omnia famulantur illi: ipse omnia domat et trahit ad commoda sua; bovem sub jugum, equum sub frænum etc. Per intellectum igitur homo dominatur cunctis, et vivens fruitur luce veritatis æternæ, clarus virtute inter homines, futurus clarissimus et beatus inter electos. Ex his notatis clare patet quod dubitatio Dantis nunc (1) erat rationabilis, qui mirabatur quomodo vivens ascenderet cœlum, considerata vilitate humanæ naturæ, quæ trahit hominem deorsum; et responsio Beatricis est verissima considerata nobilitate animæ rationalis, quæ trahit ipsum sursum, et facit (2) similem Deo, si sit dispositus sicut nunc erat poeta noster. Sicut enim animal cadens nimis ab alto exanimatur antequam perveniat ad terram; ita homo nimis alte ascendens amittit quodammodo corpus, et quasi vivit in cœlo. Nunc ad literam veniendum est. Dicit poeta movens secundum dubium: *S' io fui del primo dubbio disvestito,* quod mens mea induerat pro novitate soni et luminis, *per le sorrise parolette brevi,* scilicet, quia Beatrix breviter responderat mihi subridens de ruditate mea, qui credebam adhuc esse in terra, cum

(1) E. non erat. (2) E. facit ipsum similem divino spiritui.

tamen jam pervenissem ad cœlum, *più fui irretito,* idest, illaqueatus in rete, *dentro ad un nuovo,* supple, dubium; *e dissi: già requievi contento,* sicut jam prædixerat ad quietandum animum commotum, *di grande ammirazione,* soni et luminis magni, *ma ora ammiro,* maiori admiratione, *com' io trascenda questi corpi lievi,* idest, corpora cœlestia, cum sim adhuc cum corpore terrestri gravi. Et hic nota quod cœlum non est calidum, nec frigidum, nec siccum, nec humidum, nec leve, nec ponderosum, sicut elementa subiecta sibi quæ movet, permiscet et complexionat; sed autor appellat cœlum leve, quia est super omne leve; nam ignis est simpliciter levis; vel dic leve, quia purum immateriale velocissime movetur, vel expone leve pro leviter. — *Ond' ella.* Hic Dantes ponit responsionem Beatricis quæ solvit ipsum dubium. Et primo tangit dispositionem Beatricis erga se, quæ ad primum dubium ostenderat indignationem, quia arguerat ipsum de ruditate; nunc vero ad secundum dubium ostendit compassionem, quia arguit eum de errore: et hoc facit per propriam comparationem matris ad filium. Dicit ergo: *Ond' ella,* scilicet, Beatrix, *appresso d' un pio sospiro,* ubi primo riserat nunc suspiravit ex pietate condolens humano generi, quod videtur ignorare se esse aptum natum ad felicitatem, cum tamen hic sit finis hominis, *drizzò gli occhi,* in quibus consistit pulcritudo et decor istius dominæ, sed nunc respexit torve, quia erat irata; unde dicit: *con quel sembiante,* idest, aspectu turbato ex affectione cara, *che madre fa sopra figliuol deliro,* idest, qui delirare videtur ad modum senis. Deliri enim proprie appellantur senes in quibus distemperata est harmonia virtutum animalium, sicut in lyra dissona discordant chordæ a proportione debita; et nunc poeta delirabat tamquam discipulus discolus a doctrina matris suæ. Volens autem ista pia mater revocare filium delirum, in-

tendit ostendere pulcra ratiocinatione quod ascensus eius ad cœlum est naturalis, quia homo naturaliter inclinatur ad summum bonum. Incipit autem parum a longe præmittens, quod omnia tendunt in bonum quodam mirabili ordine naturæ. Unde dicit: *e cominciò,* supple, dicere illa (1) beata Beatrix, *le cose tutte quante hanno ordine tra loro;* est autem ordo parium dispariumque rerum suo loco collocandarum debita dispositio, ut ait Augustinus; per quem: *singula quæque locum tenent sortita decenter,* ut dicit Horatius; et loquitur autor de ordine naturali; unde dicit: *e questo,* scilicet, ordo, *è forma che l' universo,* scilicet totum mundum, *fa simigliante a Dio,* ideo bene nihil melius, nihil pulcrius in rerum natura ipso ordine, ut dicit philosophus. Sicut ergo dictus ordo est a Deo, ita res mundanæ sunt a dicto ordine, et secundum illum recipiunt distinctionem et diversitatem in earum operationibus. Et probat hoc primo in spiritualibus, deinde in naturalibus, dicens: *l' alte creature,* idest, angelicæ substantiæ, *veggion qui,* scilicet, in dicto ordine, *l' orma,* idest, vestigium vel exemplum, *dell' eterno valore,* idest, divinæ bonitatis, *il quale,* scilicet, valor, *è fine,* scilicet, ultimus, *al quale è fatta la toccata norma,* ad quem finem tendit dictus ordo propter quem est factus. — *Nell' ordine.* Hic Beatrix ostendit ordinem esse in rebus naturalibus; unde dicit: *Tutte nature,* idest, omnium rerum et specierum, *sono accline,* idest, acclinatæ vel inclinabiles, *nell' ordine ch' io dico,* scilicet, prædictum ordinem universalem. Et hic nota quod tantus est ordo naturæ, ut quod est venenosum et inconveniens uni est utile et conveniens alteri; sicut jusquiamus qui est cibus passeris licet homini sit venenosus; et sicut napellus interficit hominem solum portatus, et mulierem prægnan-

(1) E. illa Beatrix.

tem non læsit manducatus, teste Galieno; et mus qui pascitur napello est tiriaca contra napellum. Similiter tantus est ordo providentiæ divinæ quod nullum est tam magnum malum, quod inde non eliciat aliquod bonum. Unde Augustinus in (1) Enchiridion dicit: Deus omnipotens non sineret fieri mala sive naturæ sive culpæ, sive pœnæ, nisi esset ita potens, quod ex quocumque malo posset elicere optimum bonum. Et dicit: *per diverse sorti,* quasi dicat, aliter et aliter, illæ naturæ, dico, *più e men vicine al principio loro,* scilicet, Deo, qui est primum principium movens, sicut jam bene declaratum est in principio capituli; aliter enim lucet sol in aere, aliter in nube, aliter in luto. Ideo subdit: *onde si muovono,* illæ naturæ, quia natura est principium motus secundum se non per accidens, quoniam omne corpus habet proprium motum, ut ignis sursum, terra deorsum, *a diversi porti,* quia veniunt ad ortum, *per lo gran mar dell' essere,* per magnitudinem et profunditatem essentiæ naturæ rerum, *e ciascuna,* supple, natura movetur, *con istinto a lei dato che la porti,* idest, dirigat in finem suum. Unde nota quod non est aliqua natura quæ non habeat formam essentialem constituentem sibi esse; et hæc forma habet aliquam essentialem operationem, et hæc operatio essentialis finitur ad aliquid; et ideo operatio hæc finita ad id ad quod est essentialiter, est bonum illius naturæ. — *Questi.* Hic poeta probat et declarat dictum ordinem particulariter in quibusdam rebus naturalibus; et est litera clara, unde dicit: *Questi,* scilicet ordo, *ne porta il fuoco invêr la luna,* quia ignis velociter et uniformiter imitatur motum cœli, aer autem imitatur ipsum, sed non uniformiter; aqua (2) non uniformiter nec complete; terra numquam mutatur (3), sed perpetuo in suo loco quiescit;

(1) E. in libro Enchiridion. (2) E. aqua vero non. (3) E. imitatur.

questi, scilicet, ordo, *è permotore nei cor mortali,* quia cor hominum est semper in motu, et præstat motum omnibus membris et animali secundum istum ordinem naturalem, quo motu cessante cessat vita; movent (1) etiam corda hominum ut naturaliter appetant summum bonum; *questi,* scilicet, ordo, *stringe et aduna la terra in sè.* Ad quod est sciendum quod elementa inferiora sunt sicut materia respectu superiorum, et superiora sunt formalia (2) et spiritualia respectu inferiorum; ideo multo plus habent de loco quam inferiora: unde ignis spiritualissimus et subtilissimus corporum implet totum concavum cœli, et aer minus spiritualis implet concavum minus scilicet ignis: aer quidem habet humidum fluens (3) extra se ipsum ad siccum ignis; sed aqua materialis valde non potest complere locum alicuius concavi, cum humidum eius fluat in se ipsum et sic contrahitur materia eius in quantitate. Terra autem materialissima minimum capit locum, et ideo partes eius contendunt in centrum et comprimunt se circa ipsum; ideo propter sui minimam quantitatem tota terra dicitur centrum totius speræ cœli et mundi. Et addit autor quod non solum ista corpora naturalia hic ordo disponit, sed etiam rationalia, dicens: *nè pur questo arco,* idest, ordo, et bene vocat arcum, quia dirigit omnia in finem suum, sicut sagipta dirigitur in signum ab arcu sagiptantis, *saetta,* idest, dirigit, *non pur le creature che son fuor d' intelligenzia,* sicut bruta quæ sunt extra rationem, *ma quelle,* scilicet, creaturas dirigit, *che hanno intelletto e amore,* sicut angelos et homines. — *La providenzia.* Nunc Dantes ex præmissis elicit suam conclusionem principaliter intentam. Vult enim conclusive dicere quod providentia divina quæ dedit ordinem optimum omnibus rebus naturalibus ordinavit

---

(1) E. movet etiam. (2) E. formativa. (3) 4, fervens.

præmium meritorum homini, scilicet felicitatem æternam, quam constituit electis suis in paradiso, ad quem modo tendebat Dantes. Dicit ergo Beatrix: *La providenzia,* scilicet, Dei, *che colanto assetta,* idest, ordinat et disponit universitatem creaturarum in mundo, sicuti jam dictum est, *fa il ciel,* idest, unum cœlum super omnes alios, cum maiori ordine, scilicet, empyreum, *sempre quieto,* ubi alii cœli infra ipsum sunt semper in motu, *del suo lume,* quia cœlum empyreum totum est lux et amor, *nel quale,* scilicet, cœlo quieto, *si volge quel,* scilicet, illud cœlum, scilicet primum mobile, idest, nova spera, *c' ha maggior fretta,* quia velocius movetur, ut dicetur capitulo sequenti et alibi plenius. Et subdit(1): *et ora,* scilicet nunc de præsenti, *la virtù di quella corda,* scilicet, ordo divinæ providentiæ, *che ciò che scocca,* ab arcu suo, *dirizza in segno lieto,* idest, dirigit in bonum finem præfixum, sicut sagiptator sagiptam in signum præfixum, *cen porta lì,* scilicet, ad illud cœlum quietum per scalam novem graduum, *come a sito decreto,* idest, tanquam ad locum præordinatum meritis tuis et aliorum virtuosorum. Ideo bene dicit Augustinus accipiens dictum Virgilii, si poetæ dicere licuit: *trahit sua quemque voluntas,* non necessitas sed voluntas, non obligatio sed delectatio, quanto nos fortius dicere debemus trahit hominem ad Christum, qui delectatur veritate (2), beatitudine, justitia, et sempiterna vita? Et alibi idem Augustinus allegans aliud dictum poeticum, dicit: *Non hi qui pecudum pertractant corque jecurque, Sed quorum emundat prudens præcordia virtus, Excludens positam subter labem vitiorum Remigio poterunt cœlum penetrare secundo, Æthera nec vacuum lætis transcurrere pennis;* qualis recte nunc erat poeta Dantes. — *Ver è.* Hic Beatrix facit antiphoram,

---

(1) E. Et subdit, dicens: *et ora.* (2) E. virtute.

idest respondet quæstioni tacitæ, quia poterat statim obiici: unde est quod tam pauci [1] perveniunt ad cœlum, si sic naturaliter inclinantur et trahuntur, ut dicis? Respondit, quod hoc est accidentaliter et præter intentionem naturæ; et hoc ostendit per similitudinem artis, quia licet faber intendat introducere formam cultelli in ferrum, tamen non facit si materia non est bene disposita ad receptionem illius formæ. Ordina sic literam: *Ver è che la creatura,* scilicet, rationalis, idest homo, *c' ha potere di piegare,* a cursu recto, *così pinta, in altra parte,* scilicet, falsam, fortuitam felicitatem, hanc potestatem habet propter liberum arbitrium, quo nullum maius donum Deus dedit homini, sicut ipse autor dicit infra capitulo V huius libri, *si diparte da questo corso,* scilicet, ordinis providentiæ [2] Creatoris, *talor,* imo frequentissime propter aliquid apparens bonum, *così come forma non s' accorda,* idest, non convenit, *molte fiate all' intenzion dell' arte,* idest, artificis, *perchè la materia è sorda a risponder,* idest, indisposita, inobediens, sicut quando ferrum non est bene ignitum, ita homo non ignitus amore divino non respondet ordini prædicto. Et hic nota bene quod eleganter dicit Chalcidius super Timæum Platonis: *omnis anima* [3] *particeps divinitatis naturali appetitu semper quidem bonum expetit.* Errat tamen aliquando in judicio bonorum et malorum; nam alii nostrum summum bonum voluptatem putant, alii divitias, alii gloriam, et omnia magis quam ipsum verum bonum. Huius ratio est quia statim ipso ortu venimus in lucem cum dolore ex loco calido in frigidum, ideo statim solertia obstetricis fovet natum aqua calida, qua infans continuo delectatur, et sic in prima origine percipit delectationem sensibilem; deinde sugens lac magis incipit delectari;

---

(1) S. pauci pervenerunt. (2) 4, providentis. (3) 4, *animal.*

deinde propter multiplicem indigentiam appetit divitias instrumentum voluptatis: deinde gloriam amplectitur: natura quidem omnis homo laudis et honoris est appetens, quia honor est testimonium virtutis. Et addit: ægritudo, servitus, inopia rerum necessariarum abducit (1) nos a cultu virtutis, ideo est opus sapientibus præceptoribus: ideo Socrati a puero dicitur datus angelus comes agendorum, ut prohiberet quæ fieri non expediret. Et confirmat dictum suum per unam comparationem pulcram et propriam: et vult sententialiter dicere, quod sicut ignis qui naturaliter est aptus natus ascendere sursum, contra naturam suam violenter tendit deorsum; ita homo qui naturaliter est aptus natus ascendere ad cœlum, accidentaliter reclinat ad terram præter intentionem naturæ. Dicit ergo bene: *e siccome veder si può cadere fuoco di nube,* scilicet, ignis fulminis inclusus in ventre nubis expulsus a frigore loci, sicut probatum fuit supra, *se l' impeto primo,* idest, motus primæ voluntatis potest, supple, videri cadere deorsum, *a terra è torto,* idest, carne hominis cum impetu depulsa, *da falso piacere,* idest, a complacibilitate rei quam amat tamquam bonam, cum tamen non sit, in qua est falsa felicitas, sicut subtiliter probavit poeta in Purgatorii capitulo, ubi tractavit de amore. — *Non dei.* Hic ultimo poeta repetit conclusionem probatam ad veram exclusionem dubii, scilicet, quod eius ascensus ad cœlum est naturalis, non accidentalis, per unam comparationem naturalem et propriam, quæ de se patet, dicens: *Non dei più ammirar,* istis bene consideratis, *lo tuo salire,* idest, ascendere in cœlum, *se bene estimo,* si, pro quia, *se non come d' un rivo,* scilicet, aquæ currentis, *se d' alto monte scende giuso ad imo,* idest, ad bassum, quasi dicat: tuus ascensus in

---

(1) 4, obducit.

altum est ita naturalis et proprius sicut descensus aquæ [1] in bassum, quia animus tuus est igneus et cœlestis. Et subdit: *meraviglia saria,* potius e contra, *se privo,* pro privatus, *d' impedimento,* ignorantiæ, *giù ti fossi assiso,* idest, locasses te in terra, a simili, *com' a terra quieto fuoco vivo,* idest, sicut esset mirum videre aliquam materiam combustibilem stare quietam sine aliqua mutatione in igne accenso ardenti. Et claudit poeta capitulum primum, dicens: *quinci rivolse,* illa Beatrix, *invêr lo cielo il viso,* ut dirigeret meum visum intellectualem in illud. Et hic ultimo nota, lector, quod vere non erat mirum sicut dicit ista domina, si iste homo veloci et facili motu currebat nunc in cœlum, et ferebatur in Deum, qui calcatis omnibus vitiis, purgatus omnibus peccatis pervenerat ad montem celsum tangentem cœlum, ubi fuerat lotus duplici aqua mundissima, quarum altera induxerat oblivionem malorum, altera memoriam bonorum in animam depuratam ab omni affectionum perturbatione, sine superbia et cupiditate, quæ sunt duæ radices omnium peccatorum, receptus et investitus a septem virtutibus quibus revolabat in patriam, ubi felix victor infestissimorum hostium, gloriosissimum triumphum suis meritis prædestinatum jam sperabat. Quid mirum, inquam, si divinus hic poeta tanto cursu promissum bravium properanter petebat? ad quod nos tandem pervenire dignetur qui autorem viventem per omnes regiones cœli ad se trahere [2] dignatus. Amen.

---

(1) E. ex alto in bassum.

(2) E. trahere est dignatus.

CANTUS SECUNDUS, *in quo continetur ascensus in speram lunæ, ubi ponitur quædam quæstio de obscuritate quæ apparet in luna.*

O voi che siete in piccoletta barca. Postquam in superiori primo capitulo prohemiali poeta Dantes tractavit et determinavit de eius generali ascensu ad cœlum, nunc subsequenter in isto secundo capitulo agit et tractat de eius speciali ascensu ad primam speram lunæ. Et præsens capitulum potest dividi in quatuor partes generales. In prima quarum autor facit pulcrum et breve exordium, in quo dat suum consilium auditoribus servandum in sua doctrina. In secunda ostendit quomodo intraverit (1) speram lunæ, et describit corpus lunæ, ibi: *La concreata.* In tertia tangit dubium circa umbram quæ apparet in luna, et impugnat communem opinionem, quæ habetur de hoc, ibi: *Ma ditemi.* In quarta et ultima adducit suam opinionem, quam credit veram, ibi: *Or come ai colpi.* Ad primum veniens, dico, quod autor dat suum consilium auditoribus; et primo alloquitur minus scientes, quorum est turba magna; et vult sententialiter dicere: o vos parum intelligentes, qui legistis infernum et purgatorium meum, revertimini ad materiam eorum, et non intromittatis vos in istum paradisum. Dicit ergo: *O voi,* scilicet, lectores modicum intelligentes, *che siete in piccoletta barca,* idest, in parva capacitate ingenii; unde in principio purgatorii poeta assimilavit ingenium suum naviculæ: et vere plus est opus magno ingenio, quam magna scientia ad intelligentiam huius libri, sicut

---

(1) 4, intravit.

ego expertus sum dum legerem librum istum Bononiæ; *desiderosi d' ascoltar,* idest, avidi audiendi [1] tertiam canticam, sicut jam audistis duas, *seguiti,* idest, sequuti, ita quod est participium, et non verbum, ut multi ignoranter intellexerunt, *retro al mio legno,* idest, ingenium, *che varca,* idest, transit et intrat novam et profundam aquam, *cantando,* scilicet, poetice describendo, *tornate a riveder li vostri liti,* idest, prædictos duos libros, in quibus non est profunditas sicut nec in littore, ad quod navigat navicula. Et subdit excludens eos a studio huius libri [2]: *non vi mettete in pelago,* cum vestra parva barcha; et ecce causam: *chè forse, perdendo me,* per [3] impossibilitatem sequendi, *rimarreste smarriti,* quia cum vestro parvo ingenio non possetis intelligere meam profundam materiam, et possetis errare a via rectæ fidei; ita recte Boetius in libro, *quomodo Trinitas unus Deus,* dicit in simili: cæteros ita submovimus, ut qui capere ea nequiverint, ad ea etiam legenda videantur indigni. — *L' acqua.* Hic poeta assignat rationem dissuasionis quam fecit, et causam quare ipse audet intrare; dicit ergo primo: *L' acqua ch' io prendo,* idest, materiam quam nunc assumo describendam, *giammai non si corse,* idest, nunquam ab alio descripta fuit poetice intelligas; et sic est quasi mare oceanum non navigatum amplius ab alio quam ab eo. Et nota quod poeta bene dicit. Quis enim unquam excogitavit facere unum cœlum artificiale, quale hic poeta mirabilis? Et in hoc tangitur eximia commendatio nostri poetæ, quia nemo unquam ante eum poetice descripsit paradisum, similiter nec purgatorium; et sic non habuit quem imitaretur in duabus partibus sui poematis. Infernum vero si Homerus scripsit græce, et Virgilius latine, tamen multum nude, breviter et con-

---

(1) 4, ad audiendum. (2) E. libri, dicens: *non.* (3) E. propter.

fuse; sed hic poeta novum fabricavit infernum ([1]) summo artificio mirabiliter fingendo nova genera suppliciorum. Quis enim unquam punivit decem genera fraudium sicut ipse? quis descripsit talem arenam violentorum cum tam diversis pœnis? et talia multa, quæ non sine magna utilitate et delectatione audientium quotidie leguntur: unde inferni liber plus habet artis, ut mihi videtur. Nota etiam quod aqua quam autor nunc primo assumit percurrendam est profundissima omnium aquarum, ut testatur Augustinus. Audivi tamen quosdam ridenter dicentes, quod theologia, nisi moderni theologi admiscerent sibi philosophiam, tota staret in parvo libro parvi pretii. Sed indignanter respondeo quod nimis impudenter mentiuntur, quoniam in nulla scientia invenitur tam immensum volumen, sicut Biblia in sacra scientia; imo forte in cæteris facultatibus non invenitur tantus numerus librorum, quantus in divina scriptura. Quis enim posset in vita tantum legere, quantum Augustinus scribere, qui circa mille volumina edidit, etsi non fecisset nisi magnum volumen super Psalterium? ut nihil dicam de Origene qui multa millia fecit, et de aliis infinitis. Et quia posset quis quærere: unde venit tibi audacia intrandi istam magnam aquam? respondet autor: quia habeo bona auxilia, scilicet, Palladis, Apollinis et Musarum. Ad quod est præsciendum quod, sicut patet apud diversos autores, Minerva fuit femina, cuius origo ignota fuit; sed dicta est absque matre ex cerebro Jovis nata propter eius cœlestem sapientiam; unde et vocata est Athena, idest, immortalis. Hæc semper virgo fuit inventrix multarum artium; nam prima reperiit lanificium ignoratum antea omnibus, et opus texendi mira arte composuit; adinvenit ([2]) prima olivam et olei liquorem optimum;

([1]) E. infernum suo artificio summo.
([2]) E. adinvenit etiam prima olivam et oleum.

similiter artem militarem, peritiam armorum, calculum numerorum; ideo merito totum fuit celebrata per orbem, et præcipue apud Athenas. Modo ad propositum dicit poeta: ego navigo istam aquam, quia habeo ventum prosperum, scilicet, favorem Minervæ; unde dicit: *Minerva spira,* idest, infundit mihi spiritum sapientiæ, *e conducemi Apollo,* quasi dicat: habeo bonum nautam et gubernatorem meæ navis, scilicet, Apollinem deum poetarum, cuius auxilium imploravit in præcedenti capitulo; et tertio habeo magnetem et acum [1], quæ ostendunt mihi tramontanam, ad quam navigo in isto magno mari. Unde dicit: *e nove muse,* musæ dicuntur novem deæ poetarum, de quibus plene dixi primo capitulo Purgatorii, *mi dimostran l' Orse;* nam in nostro polo septentrionali sunt duæ constellationes, scilicet ursa maior et minor, in qua est tramontana, ut dicetur clare XV capitulo huius libri; vel expone subtilius, *nove muse,* idest, novellæ, quia de novo incipio poetare de vero Deo æterno, non de aliis [2] gentium, sicut fecerunt antiqui poetæ, qui, teste Aristotele, fuerunt primi theologizantes de diis. — *Voi altri.* Nunc poeta invitat provectos et intelligentes ad studium huius libri; unde dirigens sermonem ad eos dicit: *Voi altri pochi.* Bene dicit [3], quia sapientes sunt pauci, imo paucissimi, *che drizzasti il collo,* idest, caput in altum, *al pan degli angeli,* idest, ad doctrinam divinæ scientiæ [4], quæ scripta est manibus angelicis, ut ipse poeta scripsit Purgatorii cantica, *del qual vivesi qui,* idest, pascitur in isto mundo mortali, *ma non sen vien satollo,* idest, non ad satietatem, quia non quietatur animus humanus in ista vita. Nam de rei veritate vera felicitas non habetur inter tot miserias humanas: aut enim homo ponit felicitatem in for-

---

(1) E. arcum.
(2) E. non de diis gentium.
(3) E. dicit *pochi,* quia.
(4) E. sapientiæ, seu scientiæ.

tuitis, et sic videtur (1) felix errore suo; aut in virtute animi, nec ista est perfecta felicitas, sed est via ad felicitatem. Licet enim felicitas secundum philosophum sit operatio hominis secundum virtutem optimam in vita perfecta, tamen qui secundum virtutem vitam agunt, qui felices appellantur, non felices, sed proximi felicitati dicendi sunt. Semper enim sunt expositi periculis et tentationibus infinitis, nunquam securi usque ad exitum. Et dicit notanter: *per tempo;* per hoc enim innuit diuturnitatem temporis quæ requeritur ad perfectam sapientiam. Sed o nefas, o pudor! hodie fiunt pueri magistri in theologia, qui nihil noverunt nisi sophistice garrulari; *potete ben mettere vostro navigio,* idest, ingenium, *per l' alto sale,* idest, mare magnum salsum et sapidum, per quod pervenire possitis ad portum tranquillum æternæ felicitatis et gloriæ, *servando mio solco dinanzi,* idest, sequendo meam viam, quam facio ante, *all' acqua che ritorna eguale.* In hoc tangit actum navis transeuntis per mare, quæ scindit aquam, et tamen aqua continuo revertitur ad primum statum et æqualitatem, quia navis non relinquit vestigium vel scissuram in aqua, ut ait Salomon. Vel dic quod autor habuit respectum ad mare quod crescit et decrescit omni die, et facit fluxum et refluxum, et semper remanet æqualis aqua eius, et talis recte est ista divina scientia. Et hic nota quod audivi magnum theologum indignantem publice de eo quod Dantes hic dicit. Dicebat enim: ad quid debeo sequi doctrinam istius libri, in quo est modica theologia? Et exponebat quod ista litera debet intelligi in persona Beatricis, de quo multum risi. Dico ergo quod poeta (2) bene potuit invitare et invitavit viros peritissimos theologiæ ad imitandum se, quia licet non sit magna theologia in hoc

---

(1) E. videtur sibi felix. (2) E. poeta noster bene.

opere, tamen, quia autor poetice describit paradisum, sæpe fatigantur et falluntur magna ingenia theologorum in ipso intelligendo; quod accidit viro præfato qui scripsit super librum istum, et multa vana et impertinentia dixit. — *Quei.* Hic poeta volens animare (¹) ipsos scientificos ad sequendum suum opus, ostendit mirabilem effectum eius per unam comparationem pulcerrimam. Ad cuius intelligentiam nota quod socii Jasonis habuerunt duplicem admirationem; primo, quando viderunt primam magnam navim, cum Jason navigavit mare, quod nunquam (²) in antea fuerat; secundo, quando viderunt ipsum dum pervenisset ad terram Colchorum seminare dentes serpentis, ex quibus continuo nati sunt homines armati. Ita ad propositum vult dicere autor: vos primo videbitis magnam novam navim, idest, magnum opus novum, quod antea non vidistis; secundo, videbitis, quod ex re vili nascentur milites armati, idest, ex verbis vulgaribus nascentur fortes sententiæ. Ad literam ergo dicit Dantes: *Quei gloriosi,* idest, incliti juvenes, qui vocati sunt argonautæ; fuit enim flos juventutis Græciæ, *che passaro a Colco;* Colchi fuerunt populi in finibus Ponti, quod hodie dicitur magnum mare; nec terra eorum fuit insula, sicut quidam (³) ignoranter scripserunt. Colchos Pompeius gloriosus dux romanus vicit in septentrione; *non s' ammiraron, come voi farete,* supple, quando viderunt primo Jasonem navigantem, ut sit comparatio propria de navigatione Jasonis ad navigationem autoris: deinde, *quando vider Jason fatto bifolco,* idest, more bubulci arantem terram et seminantem dentes vipereos: hæc historia nota est communiter apud omnes. Sed ut magis videas, lector, quanto nobilis hæc comparatio sit propriissima, volo notes, quod Jason primus cum prima

(¹) E. inanimare.
(²) E. nunquam antea fuerat navigatum. (³) 4, multi.

magna navi intravit mare magnum; ita Dantes primus poeta cum magno ingenio intravit mare magnum, idest, altam materiam paradisi: Jason acquisivit magnum thesaurum, et Dantes summum bonum: Jason gloriosissimus fuit post Herculem, imo Herculem duxit secum in magna navi et Orpheum poetam et alios nobiles, et triumphavit de dracone, bobus vomentibus ignem, et terrigenis qui inter se fecerunt civile bellum se perimentes mutuo usque ad unum; et ita Dantes gloriosissimus poeta post Virgilium, imo Virgilium traxit secum in sua navi et Statium et alios nobiles autores, et triumphavit de dracone, idest, dæmone, et bobus, idest, voluptatibus emittentibus flammas et incentiva libidinum, et gigantibus, idest vitiis, quæ nascuntur ex terra, et inter se habent fraternam [1] discordiam et impugnant se simul: Jason prius navigavit inter vana mundi, transiens per Troiam terram voluptuosam, et decipiens mulieres; sed postea pulsus ex patria factus est gloriosior, nam redivit in Colchos, ubi emendavit errorem suum; nam restituit socerum in regnum, unde postea decreti sunt sibi divini honores, et ob egregiam virtutem reperiit invidiam post mortem; ita recte Dantes diu navigavit inter vana mundi transiens per voluptuosam terram Florentiæ, et aliquando fallens mulieres, sicut ipse notavit quodam capitulo Inferni; demum exul a patria emendavit vitam corruptam, et fecit sacrum poema, unde factus est divinus et invenit invidiam.

La concreata. Ista est secunda pars generalis, in qua poeta Dantes describit suum ascensum ad speram lunæ; et primo repetit quid trahebat, et quomodo trahebatur, et dispositionem sui et Beatricis. Dicit ergo: *La sete concreata,* idest, attractio innata, scilicet ordo naturalis, de

---

[1] E. ferinam discordiam.

quo dictum est in præcedenti capitulo, *del deiforme regno,* idest, paradisi, qui est regnum conforme ipsi Deo, *cen portava,* in cœlum primum, *veloci,* idest, velociter, *quasi come 'l ciel vedete.* Et vult in effectu dicere, quod magna affectio naturalis videndi beatum regnum trahebat eos cum summa velocitate secundum motum cœli, de cuius velocitate dictum est in præcedenti capitulo: *Beatrice guardava in suso,* scilicet, ad cœlum, quia ad Deum omnia refert, *et io a lei,* quia non nisi mediante ea poterat videre cœlestia. Et subdit velocem ingressum per unam comparationem claram, dicens: *e forse in tanto, in quanto un quadrel posa,* scilicet, in balista, *e vola e si dischiava della noce,* et est hic (1) præposteratio, quia sagipta primo disclavatur, et postea volat, *vidimi giunto,* scilicet, ad locum, *ove mirabil cosa,* scilicet, corpus lunæ, *mi torse il viso,* scilicet, intellectualem, *a sè.* Et hic nota quod (2) vere luna est miranda res, quia plus variatur quam aliud corpus cœleste, nunc plena, nunc vacua, nunc media, nunc cornuta, et plus movet et variat ista inferiora ratione velocitatis et vicinitatis ad terram; unde congregatæ sunt in ea omnes virtutes (3) moventium superiorum. Ideo movet mare ex se ipsa, et virtute luminis quod mutuatur a sole, quod lumen est temperatum in ea, cum in sole sit aliqualiter intemperatum. Est enim exiccativum humidi, et coniungitur in lunæ frigido temperato et humido: ideo plus influit super inferiora quam aliqua virtus cœlestis, quia celeriter applicat se omnibus stellis. Ideo bene dixit Aristoteles, quod luna facit in mense quod sol facit in anno; quare medici in curando, agricolæ in colendo, nautæ in navigando sequuntur motum lunæ, quæ propter suam materialitatem tenet aliquam obscuritatem etiam postquam illumi-

(1) E. hæc. (2) E. quod natura lunæ est.
(3) E. virtutes moventes, seu moventium.

natur a sole. Ideo bene fingit poeta se vidisse rem mirabilem in prima spera. Et addit quomodo Beatrix manifestaverit sibi hanc rem mirabilem, dicens: *e però quella,* scilicet, Beatrix, *cui non potea mia cura esser ascosa,* quia, scilicet, cognoscebat me ignorare et mirari, quæ res esset ista, *volta vêr me,* ubi primo respiciebat versus cœlum, *sì lieta come bella,* de sui natura pulcerrima erat, et gratulabatur super felicitate autoris, qui incipiebat intrare regnum desideratum, *mi disse, drizza la mente grata in Dio,* quasi dicat: grata mente regratiare Deo qui fecit tibi tantam gratiam, *che n' ha congiunti con la prima stella,* scilicet, luna (1). — *Pareva a me.* Hic autor describit ipsum corpus lunæ secundum apparentiam per comparationem propriissimam, dicens: *Pareva a me che nube ne coprisse,* bene appellat lunam nubem, quæ habet in se nubem et umbram, *lucida,* quia recipit lumen a sole, *spessa,* quia habet in se partem densam, ut statim dicetur, *solida,* unde radii solis non penetrant per totum corpus eius, *e polita,* a simili, *quasi adamante che lo sol ferisse.* Et hic nota bene, quod comparatio est optima de adamante ad lunam in colore, in virtute, in potentia mirabili. Est enim adamas lapis durissimus parum crystallo obscurior, coloris tamen lucidi fulgentis: qui lapis penetrat ferrum et cæteras gemmas, et est modicæ quantitatis, ita ut non videatur excedere quantitatem avellanæ; et quod mirabile est, si superponitur (2) magneti ligat magnetem, et non permittit trahere ferrum. — *Per entro.* Hic poeta ostendit per quem modum intravit corpus lunæ; et vult breviter dicere quod sine læsione, sine fractione, per unam comparationem claram, quæ de se patet. Unde dicit: *L' eterna margarita,* idest, luna, quæ non frangitur sicut nostræ mar-

---

(1) E. luna ipsa. — *Parevami.*

(2) E. supponitur.

garitæ, *ne ricevette per entro se,* et ecce modum mirabilem, *come acqua recepe raggio di luce permanendo unita,* quia aqua non corrumpitur, et radius solis transit. Et hic nota bene quod autor merito vocat lunam margaritam multiplici ratione : nam margaritæ, ut dicit Albertus libro animalium, sunt de genere ostreorum, et duræ testæ habitant in conchis, quæ colorem habent margaritarum. Hæc ostrea ad litus venientia concipiunt de rore cœli; et si ros sit lucidus matutinus et corpus ostrei bene defæcatum format margaritam bene rotundam, quæ perfusa est albedine splendente, sicut est color claræ lunæ. Si autem ros sit vespertinus et tempus nubilum et corpus ostrei defectivum non purgatum concipit, et format turbidam margaritam; nec inventa est hactenus maioris ponderis dimidia uncia. Margaritæ vocantur uniones, quia ut plurimum invenitur una, et ad plus duæ; margaritæ deformantur fulmine vel grandine; margarita [1] mollis est in aqua, deinde durescit in lapidem [2]. Ostrea per turmas egrediuntur ad rorem hauriendum; in aceto resolvuntur et mollescunt. De margaritis adhuc dicetur in principio sequentis capituli. — *S' io.* Hic autor removet unam dubitationem tacitam, quia posset quis petere: quomodo tu intrasti corpus lunæ, cum unum corpus solidum non possit intrare corpus solidum sine corruptione? respondet autor quod istud non potest intelligi in istis naturalibus; unde dicit: *S' io era corpo,* quasi dicat: nescio si eram [3] ibi in cœlo cum corpore, quod jam dixi me ignorare in præcedenti capitulo; sed si eram, *e qui non si concepe,* idest, hic inferius in mundo nostro non capitur hoc, scilicet, *come una dimension patìo altra,* idest, quomodo unum corpus sustinuit et permisit quod aliud corpus intraret ipsum sine læsione. Ad quod

---

[1] E. margarita etiam mollis. [2] E. in lapide. [3] E. eram in.

sciendum quod omne corpus habet in se triplicem dimensionem, scilicet, mensuram longitudinis, latitudinis, et altitudinis sive profunditatis. Modo corpus non potest intrare aliud corpus sine corruptione illius, sicut si figo clavum in lignum, palum in terram, vel digitum in pomum, oportet quod materia cedat ex parte rei recipientis; unde dicit: *ch' esser convien,* idest, quod pati oportet esse, *se corpo repe,* idest, subintrat, *in corpo.* Et certe (1) corpus istius hominis poterat dici spirituale, idest (2), omnino subditum spiritui. — *Accender.* Nunc autor nos utiliter admonet, quod, dimissa curiositate inquirendi ista subtilia occulta, potius sequamur ipsum nunc, et intendamus cum eo ad acquirendum visionem Dei qui solus mirabilia magna facit. Et videtur (3) breviter dicere, cum hoc quod dictum est sit verum, et tamen non intelligatur vel concipiatur intellectu humano, plus deberet nos (4) accendere appetitus videndi Christum, in quo fuerunt coniuntæ duæ naturæ, humana et divina, utraque natura manente integra et tota, sicut nunc in cœlo erat natura corporea humana juncta cum cœlesti. Dicit ergo: *Il disio,* idest, desiderium, *di veder quella essenzia,* scilicet, Christi, *in che,* idest, in qua, *nostra natura,* scilicet, humana, *e Dio s' unío,* idest, et natura divina coniunctæ fuerunt simul, de qua coniunctione et unione dicetur in fine huius operis capitulo ultimo. Et subdit quomodo in cœlo videbitur clare quicquid credimus per fidem hic, cum per argumenta naturalia probari non possit; unde dicit: *ciò che si tien per fede,* scilicet, christianam, vel, *ciò che tenem,* scilicet, nos christiani, *si vedrà lì,* scilicet, in paradiso, *non dimostrato,* idest, non per viam probationis demonstrativæ; * nam aliquæ probationes (5) sunt

(1) E. certe opus hominis. (2) 4, et ideo subditum.
(3) E. videtur bene dicere.
(4) S. in nos accendere appetitum videndi Christum. (5) E. proportiones.

per se bene notæ sine aliqua demonstratione* (1) secundum Aristotelem libro posteriorum, sicut ista: *omne totum est maius sua parte; ma fia per se noto,* sicut aliqua propositio (2) manifestissima; ideo dicit: *a guisa del ver primo,* idest, ad modum alicuius propositionis (3) principalissimæ et verissimæ, quæ appellatur maxima in aliqua scientia; et dicit: *che l' uom crede,* scilicet, sine alia probatione, quasi dicat: sicut principia scientiarum conceduntur et creduntur in mundo nostro tamquam per se nota sine disputatione vel dubitatione; ita omnia quæ sunt fidei, quæ scimus hic per solam credulitatem erunt nobis certissima et manifestissima in illo regno beatorum. Et concludit poeta qualiter juxta præceptum Beatricis egit gratias Deo de gratia sibi collata ab eo, dicens: *io risposi,* illi Beatrici, *madonna,* quæ es domina aliarum scientiarum, *sì divoto,* idest, ego Dantes tantum devotus et supplex, *quanto posso più essere,* non quantum volo vel debeo, *ringrazio Lui,* scilicet, Deo, *lo quale m' ha rimoto dal mortal mondo,* supple, et traxit me ad immortalem per longam scalam contemplationis.

Ma ditemi. Ista est tertia pars capituli (4) generalis, in qua poeta Dantes movet quæstionem de signis apparentibus in corpore lunæ. Unde petit: *Ma ditemi,* ex quo Deus gratia sua perduxit me ad lunam, dicite mihi: *che son li segni bui,* idest, nebulosa vel minus lucida, *di questo corpo,* scilicet, lunæ, *che fann' altrui,* scilicet, vulgares ignaros, *favoleggiar laggiuso in terra,* in illo mundo mortali, *di Cain?* quia scilicet vulgus in terra dicit fabulose quod Cain est positus in luna, qui vadit sacrificatum cum spinis. Et subdit responsionem Beatricis, quæ primo arguit errorem hominum; et dicit breviter, quod non debet plus mirari si judicium hominum est insufficiens

(1) Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri tre Codici.
(2) E. proportio. (3) E. proportionis. (4) E. huius capituli.

et fallibile, ubi sensus nihil operatur ad cognitionem rei, cum omnis nostra cognitio fiat a sensu. Dicit ergo: *ella sorrise alquanto,* quasi volens dicere tacite, non solum vulgares errant fabulando de eo quod nunc petis, sed etiam magni sapientes philosophando de hoc errant: *e poi mi disse: li strali d'ammirazion,* idest, sagiptæ vel stimuli, *certo non ti devrian punger,* idest turbare vel molestare animum tuum, *omai,* idest, deinceps, *poi dietro ai sensi,* idest, ultra sensus, *se la opinion dei mortali,* idest, hominum in terris, *erra,* idest, fallitur, *dove chiave di senso non disserra,* idest, in re dubia qualis est ista, quæ non potest demonstrari per sensum, quasi dicat, ubi non potest haberi cognitio de re mediante sensu, sicut est in præsenti proposito, quia visus vel alius sensus noster non attingit ad videndam vel cognoscendam rationem istorum signorum, quæ apparent in luna; unde addit: *vedi che la ragion ha corte le ali,* idest, non potest volare ad cognitionem huius rei sine sensu; ideo est insufficiens sicut statim conabitur probare. — *Ma dimmi.* Hic Beatrix volens impugnare opinionem quæ communiter habetur in terris apud magnos naturales, primo petit ab autore de opinione sua, dicens: *Ma dimmi quel che tu da te ne pensi,* quasi dicat: bene scio quod tu sentis cum aliis philosophis, unde continuo sequitur responsio autoris dicentis: *et io,* supple, respondi, credens dicere verum quod hoc procedebat a raro et denso; unde dicit: *credo che i corpi rari e densi,* idest, raritas et densitas in corpore lunæ, *fanno ciò che n' appare,* scilicet, nobis hominibus existentibus in terra, *diverso qua su,* scilicet, in cœlo, ita quod raritas in corpore lunæ facit umbrositatem, spissitas (1) vero luciditatem. Et (2) ad huius literæ evidentiam est advertendum, quod multæ

(1) E. spissiditas. (2) 4, Sed.

fuerunt opiniones de ista macula lunæ. Aliqui enim dixerunt quod illa umbra procedit ab extrinseco, puta ab umbra terræ vel vapore elevato ab aqua: hoc autem esse falsum et frivolum convincitur, quia macula in luna est semper uniformis et eiusdem figuræ. Ideo autor adducit hic opinionem veram, licet conetur postea ipsam reprobare. Nam magni philosophi tenent quod hoc procedat a raritate et densitate. Macula ergo huiusmodi provenit secundum diversitatem partium lunæ, secundum densitatem maiorem et minorem, quia in parte densa multiplicantur radii * solares superficialiter, et per consequens illa pars est lucida et clara; in parte vero rara non multiplicantur radii * (1), quia penetrant intra, et ideo non bene lucent. Et simile de alabastro; nam pars quæ est bene densa et non transparens est valde alba, et illa quæ est transparens ad modum vitri est obscura, tendens ad nigredinem (2). Et si quæratur quare luna est (3) ita difformis in partibus suis, dicendum, quod hoc est de natura sui, ut infra dicetur. — *Et ella.* Nunc autor intendit reprobare dictam opinionem tamquam non veram: et primo ostendit quomodo (4) Beatrix fecerit eum attentum ad argumenta quæ factura est (5); unde dicit: *Et ella,* scilicet, Beatrix, dixit: *certo vedrai il creder tuo,* idest, opinionem quam credis veram, *assai sommerso nel falso,* idest, esse satis falsum, *se bene ascolti,* idest, notas in mente, *l' argomentar ch' io gli farò avverso,* idest, argumenta, quæ ego faciam contra dictam opinionem. Hoc dicto, facit primum argumentum contra, et arguit sic: si rarum et densum esset causa claritatis et obscuritatis in luna, sicut tu opinaris, una virtus et operatio esset in omnibus stellis, quæ similiter illuminantur a sole, quia

(1) Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri tre Codici.
(2) 4, nigritudinem.
(3) E. sit ita.
(4) E. qualiter.
(5) E. quæ factura erat; unde.

de similibus est idem judicium; et si eadem esset causa sive principium formale, sequeretur (1), omnes stellæ essent eiusdem virtutis sive effectus, quod est falsum, quia habent diversas virtutes et effectus; lucidæ inter se, tenebrosæ inter se; nam aliquæ sunt calidæ, aliquæ frigidæ, aliquæ temperatæ, ut patet per Albumasar, Ptolomæum et Altabicium; et per consequens debent habere (2) diversas causas sive principia formalia, quæ essent modo destructa præter unum, scilicet rarum et densum. Nunc vide literam. Dicit autor: *L' ottava spera,* scilicet, firmamentum, *vi dimostra molti lumi,* idest, stellas fixas, quæ similiter (3) recipiunt lumen a sole, sicut luna, *i quali,* scilicet, lumina, *si posson notare di diversi volti,* idest, diversarum formarum et figurarum, *e nel quale,* idest, in qualitate, quia aliquæ sunt nebulosæ, aliquæ lucidæ, *e nel quanto,* idest, in quantitate, quia aliquæ sunt maiores, aliquæ minores: ergo, *se raro e denso,* quæ sunt una causa, *facesser ciò,* idest, hanc diversitatem stellarum, *tanto,* idest, solummodo, *una sola virtù,* idest, idem effectus, *sarebbe in tutte,* scilicet, stellis, quia unius causæ unus est effectus; hoc est quod omnes lucidæ essent eiusdem naturæ, et nebulosæ alterius naturæ; virtus dico, *più e men distributa,* hoc est in stellis inæqualibus magis et minus secundum earum qualitatem et quantitatem, *et altrettanto,* idest, in stellis æqualibus æqualiter. Et probat quod diversæ sunt naturæ in stellis, quia in mundo sunt diversi effectus, quos oportet provenire a diversis causis, quæ sunt principia formalia * rerum quas producunt; et nos videmus in mundo esse diversos effectus qui non sequerentur a raro et denso, quia facerent solum duos; et sic sequeretur quod omnia principia formalia * (4) essent nulla præter unum, scilicet rarum et densum. Dicit ergo: *virtù*

(1) E. sequeretur quod omnes. (2) 4, apparere. (3) 4, simpliciter.
(4) Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri tre Codici.

diverse convegnon esser frutti, idest, effectus, *di principii formali,* idest, de principiis diversis causarum formalium, *e quei,* scilicet, principia, *seguiterieno distrutti a tua ragion,* idest, secundum rationem quam fecisti de raro et denso, *fuor ch' uno,* idest, præter unum principium, scilicet rarum et densum. Nec dicas quod autor hic loquatur de Deo, sicut multi ignoranter dixerunt, quia de Deo diceret verum autor, sicut infra patebit in solutione [1] quæstionis. Sed hic nota quod ratio quam facit hic autor, non videtur procedere quia non est simile de aliis stellis et luna, quia omnes stellæ illuminantur a sole secundum totum præter lunam: est enim una pars lunæ aliquanto rarior altera; unde est hic altius repetendum, quod omnes stellæ recipiunt lumen a sole, sed tamen in receptione luminis est differentia secundum diversitatem nobilitatis naturæ. Quædam enim sunt purissimæ et nobilissimæ dyaphanitatis, ita quod lumen statim penetrat totum corpus stellæ, et totum corpus fit lucidum puro lumine tam ex parte quæ nos respicit, quam ex parte versa ad solem; et lumen talium stellarum non declinat in aliquo a candore, sicut patet in Jove et aliquibus aliis. Quædam autem licet statim penetrentur lumine, tamen, quia corpus earum non est ita nobile, lumen declinat ad ruborem, sicut est manifestum in Marte. In quibusdam autem lumen declinat ad obscuritatem sicut in Saturno: in quibusdam ad colorem lacteum, sicut in Gallasia: et in quibusdam ad pallorem sicut in Venere; sed tamen in omnibus istis est tanta pervietas [2] quod statim in receptione luminis totum corpus stellæ illuminatur secundum totam superficiem, profunditatem et altitudinem ex omni parte. Luna autem licet sit corpus quintæ essentiæ, est tamen terrestris na-

---

(1) 4, fine quæstionis. (2) E. puritas.

turæ, idest, non ita purum, ideo non est in toto pervia, sed lumen receptum diffunditur parum in interiora eius, et non penetrat; ideo aliquando apparet ut novacula, et cum est coniuncta soli, superficies quæ nos respicit est tota obscura, et macula quæ videtur in ea etiam quando est plena ostendit naturam eius non esse omnino puram et tersam: ideo corpus lunæ cum sit tenebrosum de se potest obsistere ne videamus radios solis. — *Ancor*. Hic Beatrix cassata et improbata dicta opinione per unum argumentum, improbat ipsam per aliud ostendens quod illa raritas non est in corpore lunari. Et arguit a sufficienti divisione, sic dicens: de duobus alterum est, aut illa pars quæ est rara in luna est totaliter rara ab una parte ad aliam, aut solum penetrat usque ad certum terminum eius. Dicit ergo proponens istam divisionem sic: *Ancor*, idest, præterea, *se raro fosse cagion di quel bruno*, idest, illius maculæ, *che tu dimandi*, idest, de qua tu petis scire rationem, *o questo pianeta*, scilicet luna, *fora sì digiuno*, idest, esset ita vacuus, *di sua materia*, idest, esset omnino rarus in parte raritatis, *o questo*, scilicet planeta, *cangierebbe carte*, idest, mutaret figuram, *nel suo volume*, idest, esset rarum quantum ad partem sui, et densum quantum ad aliam partem; *così come lo grasso e 'l magro comparte un corpo*, alicuius animalis, quia in una carne pars pinguis est densa, et pars macra est rara, quia caro est spongiosa, aperta, porosa et axungia densa. Et facta divisione destruit [1] primam partem eius tanquam falsam: et dicit, quod si illa pars esset totaliter rara sequeretur istud inauditum, quod radii solares quando fit eclipsis solis transirent per illud rarum et pervenirent ad nos hic inferius. Dicit ergo: *se 'l primo fosse, fora manifesto nell' eclissi del sol;* nam obscuratio

---

(1) 4, describit.

solis fit per interpositionem lunæ inter nos et solem; unde dicit, *per trasparer lo lume*, scilicet, ipsius solis, *come ingesto,* idest, tanquam immissum, *in altro raro,* scilicet, lunæ, sicut lumen penetrat per pannum rarum. Et concludit quoad primam partem, et promittit se impugnaturum alteram partem divisionis, dicens: *questo non è,* scilicet, quod lumen solis non penetret per rarum lunæ ad nos, quia hoc videremus ad sensum quando fit eclipsis solis; et ideo, *lo tuo parere,* idest, tua opinio, *fia falsificato s' egli avvien ch' io cassi l' altro,* idest, si contingat me improbare alteram partem divisionis, scilicet, quod rarum non pertingit nisi usque ad certum terminum lunæ. — *Se.* Hic Beatrix conatur destruere secundam partem divisionis juxta promissum, dicens, quod si rarum in luna pertingit solum usque ad partem densam, tunc radii solis refrangentur et multiplicabuntur ibi, et per consequens etiam pars rara lunæ videbitur luminosa, licet non in totum, et non videbitur nubilosa. Dicit ergo: *s' egli è che questo raro non trapassi,* tunc, *conviene esser un termine,* idest, una pars densa, *da onde,* idest, a quo termino densitatis, *non lassi più passar lo suo contrario,* scilicet, rarum; *et indi,* idest, in illo termino denso, *l' altrui raggio,* scilicet solis, *si rifonde,* idest, reflectitur ibi, et per consequens luceret in ipso raro in superficie. Et declarat hoc per simile in speculo, dicens: *così come color torna per vetro,* scilicet, in speculo, *lo qual nasconde piombo diretro a se:* nam speculum fit ex plumbo et vitro applicito sibi cum una certa confectione. Sed hic est bene notandum quod ista pars quam hic Beatrix improbare videtur est vera, scilicet, quod rarum est causa maculæ (1), ut ostensum fuit supra. Nam rarum non transit totam profunditatem lunæ, imo solum pertingit usque

(1) E. maculæ in luna, ut ostensum.

ad centrum, et radii solis profundantur [1] per tantum spatium intra corpus lunæ: hinc est quod in superficie in parte rara non faciunt luciditatem, imo potius quamdam umbram; alii autem planetæ quia remotiores sunt a nobis sunt puriores, et ideo per totam suam substantiam penetrantur a lumine solis a superficie in superficiem per centrum corporum suorum; unde in quacumque parte radius solis attingit eos statim implentur lumine. Luna autem est minus pura et habet modicam raritatem, quæ solum extenditur usque centrum. — *Or.* Nunc Beatrix vult improbare instantiam sive solutionem, quæ posset fieri contra argumentum suum; quia poterat dicere autor et vere, quod radius solis tantum profundatur intra ipsum corpus lunæ, quod propter nimiam elongationem et remotionem apparet nebulosus in superficie lunæ. Tangit ergo Beatrix primo istam instantiam, dicens: *Or dirai tu,* scilicet, contra rationem meam, *che 'l raggio,* scilicet, solis reflexus, *si dimostra tetro,* idest, obscurum, *quivi,* scilicet, in raro, *più che in altre parti,* scilicet densis, *per esser rifratto,* idest, reflexus, *lì più a retro,* idest, magis a longe, quia juxta centrum. Et subdit se improbaturam istam instantiam per experientiam veram, dicens: *esperienza, che suole esser fonte ai rivi di vostre arti,* quia scilicet, experientia facit artem, sicut fons rivum, *può deliberarti,* idest, absolvere te, *di questa instanzia,* scilicet, nunc facta, *se giammai la pruovi,* idest, si velis uti ea pro declaratione tua. — *Tre.* Hic Beatrix facit demonstrationem [2] suam, et vult breviter [3] dicere quod distantia loci, quamvis faciat diversam apparentiam in quantitate, sicut maiorem vel minorem, non tamen in qualitate, scilicet, quod per distantiam loci lux non potest apparere umbra. Et sic vult dicere quod

---

(1) E. perfundantur. (2) 4, declarationem. (3) E. e 4, sententialiter.

radius solis refractus in superficie corporis lunaris non esset diversus in claritate ab illo radio qui sit refractus intra corpus lunæ prope centrum. Ad probationem autem huius adducit probationem speculorum, in quibus videbitur lumen eiusdem ignis, non obstante quod unum speculum sit magis longe ab igne quam aliud. Dicit ergo: *Tu prenderai tre specchi, e rimuovi i due da te,* idest, pone a longe ante te, *d' un modo,* idest, æqualiter, *e l' altro più rimosso,* idest, et uno alio tertio speculo magis a longe posito, *tr' ambo li primi,* idest, inter illa duo specula prima, *ritrovi gli occhi tuoi: rivolto ad essi,* scilicet, ad illa tria specula prædicta; deinde, *fa' che un lume,* sicut radius solis vel ignis, *ti stea dopo 'l dosso,* a (¹) tergo tuo, *che,* idest, quod lumen, *accenda,* idest, illuminet, *i tre specchi,* et fac quod illud lumen, *ripercosso,* scilicet, per reflexionem, *ritorni a te da tutti,* idest, ab omnibus tribus speculis prædictis, *benchè,* idest, quamvis, *la vista,* idest, visio tua, *più lontana,* idest, quæ respicit speculum magis a longe positum, *non si stenda tanto nel quanto,* idest, non videat tantum de quantitate luminis, *lì vedrai come convien ch' egualmente risplenda,* scilicet, quodlibet trium speculorum prædictorum. Et nota hic quod istud exemplum autoris judicio meo non convincit, imo non facit ad propositum, quia non est simile de speculo et corpore lunæ; nam speculum non recipit lumen nisi in superficie dyaphanali politi quod extentum est et terminatum; unde quia speculum habet lumen a tergo radii non possunt penetrare, imo statim multiplicantur in superficie eius; sed in corpore lunæ est secus quia radii profunduntur usque ad centrum.

Or come ai colpi. Ista est quarta et ultima pars generalis, in qua Beatrix destructa et cassata opinione suo

---

(¹) E. idest a tergo.

modo, quæ tamen reputatur vera a magnis sapientibus, intendit adducere veram rationem huius maculæ: et primo reddit autorem attentum offerens se ostensuram veritatem rei per comparationem claram; et dicit breviter, quod sicut sol radiis suis resolvit nivem, ita quod aqua remanet nudata omni qualitate prima, ita ipsa rationibus suis excussa nube de mente autoris inducet lucem veram et claram. Construe sic literam: *Or voglio informar te nell' intelletto rimaso,* scilicet, ab errore dictæ opinionis, *di luce sì vivace,* idest, veritate tam efficaci, *che ti tremolerà,* scilicet, ad instar solis, quasi dicat, lucebit et splendebit, *nel suo aspetto,* idest [1], inspectione et consideratione illius lucis, sive veritatis, *così come 'l subietto della neve,* idest, aqua, *riman nudo,* idest, spoliatum et privatum, *e dal colore e dal freddo primai,* idest, primis. Hoc videtur dicere quia nix generatur ex vapore humido, et aliqualiter calido attracto a sole, quæ tamen est in se frigida, postea calefacta a sole resolvitur in aquam, et sic spoliatur qualitatibus primis. Et sic patet quantum comparatio sit propria ad propositum: sermo enim theologiæ recte assimilatur [2] radio solis; unde in principio capituli sequentis vocat Beatricem solem; aqua vero susceptibilis novæ qualitatis bene similatur menti autoris. — *Dentro.* Hic Beatrix vult ostendere promissam veritatem, et describit ordinem sperarum, et virtutem intelligentiarum moventium eas. Et quia tota litera usque in finem videtur fortis, ideo nota, lector, quod sicut ostensum fuit supra realiter et vere secundum opinionem excellentiorum [3], nubes in corpore lunæ est a raro et denso; tamen poeta noster vel ad excusationem [4] aliorum vel ad ostentationem sui superinduxit novam opi-

(1) E. scilicet, in inspectione.
(2) 4, appropiatur.
(3) E. excellentissimorum.
(4) E. excitationem.

nionem: et videtur habere istam opinionem, quod luna habeat in se ex sui [1] natura a primo datore et motore istam maculam nubilosam, quia est vicina terræ, et habet maxime movere ista inferiora et alterare de claro in obscurum et e converso. Et videtur dicere sententialiter in longo discursu, quod primum cœlum est in cœlestibus sicut cor in membris, et virtus primæ causæ est in cœlestibus sicut virtus cordis in corporibus: et sicut quælibet membra habent proprias virtutes in sitibus membrorum sibi determinatas, ita quodlibet cœlum et quælibet stella in sitibus suis habent proprias virtutes; et sicut tota multitudo refertur ad unum primum membrum compositum ex motore et mobili * in animalibus, quod est cor, ita in cœlestibus tota multitudo refertur ad unum quod est cœlum primum compositum ex motore et mobili * [2]. Nunc ad literam dicit Beatrix incipiens a primo cœlo: *Un corpo,* scilicet, primum mobile sive spera nona, *nella cui virtute l' esser,* idest, vita, essentia, *di tutto suo contento,* idest, omnium sperarum inferiorum quæ sub eo continentur, *giace,* idest, consistit, *si gira,* idest, volvitur, *dentro dal ciel della divina pace,* idest, intra cœlum empyreum quietum quod omnes alios comprehendit. Et non vult aliud dicere, nisi quod in cœlo nono virtualiter est causa omnium effectuum qui sunt infra ipsum, et ab ipso procedit esse omnium stellarum, quæ secundum naturam suam recipientes desuper ostendunt se plus et minus lucidas. — *Lo ciel.* Hic describit octavam speram, quæ virtutem receptam a nona distribuit in suas stellas et speras inferiores; unde nota primo quod primum mobile in opere naturæ est tamquam dominus habens totam autoritatem et amplissimam potesta-

---

[1] S. sua natura.
[2] Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri tre Codici.

tem: firmamentum est sicut vicarius generalis in regno qui distribuit et confert diversa officia diversis magistratibus; speræ planetarum sunt diversi officiales, quia Saturnus disponit consilia, Mars bella. Dicit ergo: *Lo ciel seguente,* idest, firmamentum immediate proximum illi, *c' ha tante vedute,* idest, tam diversas stellas fixas, quæ dant nobis diversas influentias, *parte,* idest, dividit, *quell' esser per diverse essenze,* idest, per speras planetarum et per stellas suas tamquam per diversa membra, *da lui distinte e da lui contenute,* ut dictum est. Et hic nota quod Aristoteles posuit tantum octo cœlos, scilicet septem speras planetarum et octavum firmamentum; et dicit primo cœli, quod primus orbis est principium et causa omnis vitæ. — *Gli altri.* Hic Beatrix describit septem orbes contentos sub illo octavo, dicens: *Gli altri gironi,* idest, speræ planetarum quas appellat gyrones, quia circulariter gyrantur, *dispongono,* idest, disponunt, *le distinzion che hanno dentro da sè,* idest, diversas proprietates eorum, quia Saturnus est frigidus et siccus, Juppiter calidus et humidus et ita de aliis, *a lor fini e lor semenze,* idest, ad certum finem et certam operationem; nam planetæ seminant hic inferius varios fructus semper et effectus, *per varie differenze,* idest, differenter et diversimode; ideo subdit: *questi organi del mondo,* idest, speræ planetarum tamquam naturalia instrumenta suorum motorum, *così vanno, come tu vedi omai, di grado in grado,* secundum ordinem astrologorum, quem autor sequitur: Plato tamen et Aristoteles posuerunt solem immediate supra lunam, *che prendono di su,* scilicet, a nona spera, mediante octava, *e fanno di sotto,* idest, operantur in mundo influentias suas in istis alterabilibus. — *Riguarda.* Hic Beatrix prætacto ordine sperarum, describit ordinem intelligentiarum, quia quot sunt intelligentiæ, tot sunt orbes. Et primo reddit auditorem attentum ad dicenda, com-

mendans ordinem datum, et dicens [1]: *Riguarda bene a me sì com' io vado,* idest, qualiter gradatim et strictim procedo, *al ver che tu desiri,* idest, ad investigandam veritatem quam scire desideras. Et subdit quod ita intelligentia operatur virtutem mediante organo cœli [2], sicut faber artem mediante malleo instrumento suo; unde dicit: *lo moto e la virtù de' santi giri,* idest, cœlorum prædictorum, *convien che spiri,* idest manet et procedat, *da' beati motori,* idest, ab intelligentiis angelicis, *come l' arte,* supple, spirat, *del fabro nel martello.* — *E 'l ciel.* Hic Beatrix in speciali describit intelligentiam moventem cœlum stellarum [3] et eius virtutem, dicens: *E 'l ciel,* idest, firmamentum, *cui tanti lumi,* idest, stellæ luminosæ, *fanno bello,* quia sidera sunt pulcerrima ornamenta cœli, *prende l' image,* idest, imaginem, scilicet, impressionem et virtutem, *e fassene suggello,* quia more sigilli imprimit in inferiora, *dalla mente profonda,* idest, intelligentia movente, *che volve lui,* idest, movet. Et declarat quod dixit per nobilem et propriam comparationem, dicens, quod talis intelligentia operatur in orbe sicut anima in corpore; et quia sententia clara est, ideo ordina solum literam sic: *e la intelligenza,* scilicet, motor istius octavæ speræ, *girando sè sopra sua unitate,* idest, supra speram, in qua unita est, vel supra se unam, quia se in se regyrat, *spiega sua bontate,* idest, explicat suam virtutem, *moltiplicata per le stelle,* idest, per speras et stellas, quæ sunt organa sua, *così come l' alma,* idest, anima rationalis, *si risolve a diverse potenzie,* sicut visui, auditui etc., *dentro a vostra polve,* idest, carnem, *per membra differenti.* Et hic nota bene quod multiplicitas organorum causatur in animalibus a multiplicitate potestatum animæ: unde nisi

---

[1] E. et dicit. [2] E. cœlesti. [3] 4 e E. stellatum.

anima esset motor compositus ex multis virtutibus et potestatibus naturalibus, non esset diversitas partium corporis in forma et figura: ideo unicuique potestati suum proprium respondet organum, sicut bene dictum est de oculo in capitulo primo præcedenti. Et dicit: *e conformate,* sicut videmus manifeste in manu, quæ est organum, cui natura dedit multos et diversos digitos, ut faceret multas operationes secundum diversas conceptiones intellectus; imo natura in occultis mirabiliter hoc facit, quia membrum virile in homine optime conformatur et correspondet matrici mulieris in generatione. Totam machinam corporis humani pulcre describit Tullius secundo de natura Deorum. — *Virtù.* Hic Beatrix tangit breviter et colligit virtutes intelligentiarum, sperarum, planetarum, dicens: *Virtù diversa,* scilicet, aliorum septem motorum, *fa diversa lega,* idest, colligationem et operationem, *col prezioso corpo,* scilicet, cum planeta suo, *ch' ella avviva,* idest, quod corpus ipsa virtus vivificat; et videtur loqui secundum opinionem Platonis, qui voluit quod astra essent animata, vel respexit solum ad similitudinem quam fecerat de anima; unde [1] adducit aliam comparationem de anima, dicens: *nel quale,* scilicet corpore, *si lega,* idest, ligatur, *sì come vita in voi,* idest, sicut anima in vobis hominibus ligatur cum corpore; unde subdit: *la virtù mista,* idest, virtus motoris juncta cum planeta suo, *luce per lo corpo,* sicut lunæ vel alterius planetæ: et hoc refert ad primam causam, dicens: *per la natura lieta onde deriva,* idest, propter naturam naturantem quæ Deus est, qui est primus motor. — *Da essa.* Hic ultimo Beatrix concludit principale propositum, dicens: *Ciò che par differente da luce a luce,* idest, quicquid facit differentiam et diversitatem in uni-

[1] E. unde dicit adducendo aliam comparationem de anima sic: *nel quale.*

verso, *vien da essa,* scilicet, natura naturante, quæ Deus est, *non da denso e raro,* sicut tu opinabaris: densum est cuius partes sunt propinquæ, et earum quantitas est parva; e contrario est in raro, quia rarum est cuius partes distant, quia in maiorem quantitatem dilatantur; unde dicit: *essa,* scilicet, natura naturans, *è formal principio;* et hic nota quod principia formalia sunt multiplicia: primum est prima virtus primi moventis; deinde virtutes motorum cœlestium et ipsorum cœlorum motorum; deinde sunt virtutes animales, sicut anima est forma corporis; deinde virtutes corporales. Unde dicit de ipsa prima virtute, *che produce il turbo e 'l chiaro,* idest, turbidum et lucidum, *conforme a sua bontate,* idest, conveniens suæ virtuti: prima enim virtus, quæ est motoris primi qui est principium totius universitatis, est virtus formalis, quæ informat omnes alias; et omnes formæ quæ fiunt in materia sunt quædam imagines eius. Et hic ultimo nota quod Dantes non videtur concludere nisi quod macula in luna procedit a primaria causa universali, tamen non assignat aliquam causam particularem quæ est a raro et denso. Aliqui tamen dicunt quod est a forma specifica, sicut videmus aliquando quod in aliquo lapide apparet certa umbra.

CANTUS TERTIUS, *in quo movetur quæstio et declaratur veritas, utrum illæ animæ quæ sunt inferiores vellent feliciorem gradum.*

Quel sol che pria d'amor mi scaldò il petto. Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti Dantes tractavit et determinavit de corpore lunæ et signis quæ apparent in eo, nunc subsequenter (1) in isto tertio capitulo agit et tractat de animabus beatificatis (2) in ipsa gratia virginitatis. Et præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales; in quarum prima poeta describit in generali formam et imaginem dictarum animarum per comparationem. In secunda alloquitur in speciali unam animam modernam, quæ fuit insignita titulo magnæ castitatis et honestatis, ibi: *Et io all' ombra.* In tertia movet unam quæstionem circa contentationem animi beatifici, ibi: *Ma dimmi: voi.* In quarta et ultima dicta umbra prosequitur narrationem inchoatam de se ad petitionem autoris (3), et explicat aliam animam illustrem dotatam mirifice laude (4) pudicitiæ, ibi: *Ma sì com' egli avvien.* Ad primam veniens dico, quod in prima parte poeta describit in generali formam et imaginem animarum apparentium in corpore lunæ, quæ inclinat mulieres sua iufluentia ad virginitatem; unde Virgilius: *Casta fave Lucina* etc. Sed primo præmittit continuationem ad præcedentia, dicens: *Quel sol,* scilicet, Beatrix, quam bene appellat solem; nam si Dantes vocavit aliquando Virgilium poetam paganum solem illuminantem mentem eius circa naturalia et moralia, quanto

(1) 4, consequenter.
(2) S. beatificis.
(3) E. autoris qui explicat.
(4) E. laudibus.

melius vocat Beatricem solem illuminantem mentem eius circa divina; *che pria mi scaldò il petto d'amore,* idest, quæ primo amoravit cor meum carnaliter, deinde mentaliter, sicut sæpe ostensum est in principio inferni et in fine purgatorii, *m' avea scoperto il dolce aspetto,* idest, manifestaverat mihi gratam inspectionem circa maculam lunæ, *di bella verità,* bene dicit, quia pulcra subtiliter dixit circa istam materiam ad elucidandam veritatem, *provando e riprovando,* idest, arguens pro et contra, ut patuit in præcedenti capitulo. — *Et io.* Hic Dantes volens intrare novam materiam animarum fingit se fuisse abstractum apparitione earum, dum pararet dicere Beatrici quod erat factus certus de dicta veritate; unde dicit: *Et io levai lo capo,* ubi primo tenebat visum defixum in Beatricem auscultans attente quæ (¹) dicebat, nunc erexit caput, *più erto,* idest, altius, *tanto quanto si convenne,* tali materiæ, *a proferir,* idest, ad loquendum, *per confessar me stesso,* supple, esse, *corretto,* scilicet, de errore meo, si tamen error erat; nam primo habebat opinionem veram, quam tamen mutavit quia visa est sibi erronea, *e certo,* idest, certioratum et declaratum de dicta veritate; sed retractus est a confessione sua, unde dicit: *ma visione,* scilicet, umbrarum, de quibus statim dicetur, *apparve,* oculis meis, *che ritenne me tanto stretto a se,* novitate rei, quia istæ sunt primæ animæ quas vidit in paradiso, ideo subita apparitio rei incognitæ abstulit sibi intentionem loquendi, et dedit sibi intentionem videndi; ideo dicit, *per vedersi,* scilicet, dictam visionem, *che non mi sovvenne di mia confessione,* quasi dicat, recessit a mente mea concepta confessio, et cœpi attendere ad novam apparitionem. — *Quali.* Nunc poeta describit formam et imaginem ipsarum umbrarum per comparationem

(¹) E. ea quæ.

pulcram et congruam. Et quia litera est fortis est sciendum, quod autor vult dicere sententialiter in effectu quod ipse vidit aspectus illarum umbrarum in ea forma qua videre solemus imagines facierum nostrarum in lucido speculo, vel in aqua clara; quia sicut patet talis imago videtur parvula, et debiliter videtur a nobis, ita a simili autor vult dicere quod illæ animæ cum paucissima substantia ostenderunt se speculationi suæ. Construe et expone literam sic, quæ est intricata multum: *Vid' io,* ego Dantes vidi cum oculo mentis, *più facce,* scilicet, duas, quia de duabus faciet (1) specialem mentionem, *pronte a parlar,* scilicet mihi, quia erant in eadem causa et parte, *tali quali le postille de' nostri visi,* idest, imagines nostrorum vultuum, *tornan,* scilicet, per refractionem, *per vetri trasparenti e tersi,* idest, lucida et polita, quia si essent fuscata vel maculata non ita apparerent, *ovver per acque nitide e tranquille,* idest, mundas et quietas et non magnas sine fundo; unde dicit: *non sì profonde ch' i fondi sian persi,* idest, perditi, quia tunc non appareret (2) imago respicientis in aqua; *debili sì,* idest, in tantum debilia revertuntur, *che perla,* idest, margarita candida, *in bianca fronte,* supple, existens unius pulcræ albæ dominæ, *non vien men forte,* idest fortiter, *alle nostre pupille,* idest, ad nostrum visum; quasi dicat: perla alba in alba fronte venit debiliter ad oculos nostros, sed non (3) tamen debilius quam imago nostra repræsentata in vitro, vel aqua, vel alio corpore transparente. Et hic nota quod margaritæ meliores veniunt ex India; multæ tamen inveniuntur in mari anglico; unde Cæsar cupidus margaritarum transivit in Britanniam, ut dicit Svetonius. Et conchæ juvenes habent meliores margaritas, et ha-

(1) 4, facit.
(2) S. e 4, non apparet. — E. non apparerent imagines respicientium in aqua.
(3) S. non tam debilius. — 4, non tantum debilius.

bent colorem velut si parva lux penetraret in multum album, ideo nitent cum tamen sint albæ; ideo bene autor assimilavit lunam margaritæ in præcedenti capitulo. — *Perch' io.* Hic Dantes ostendit quid secutum est sibi ex huiusmodi visione. Et dicit breviter, quod ex hoc ipse incurrit errorem contrarium errori Narcissi: Narcissus enim credidit suam imaginem apparentem in fonte esse veram substantiam; et Dantes nunc e contra credebat substantias veras, quæ apparebant in luna, esse imagines rerum repræsentatarum in ea. Et ad plenam intelligentiam istius literæ est primo sciendum quod Thiresias olim famosissimus augur in civitate Thebarum in vita visus est dare vera responsa petentibus circa futura, ut patet per Statium in IV et in X Thebaidos, et post mortem similiter; unde Homerus XI Odysseæ inducit Thiresiam in inferno cum aureo sceptro in manu apparentem Ulyxi prædicere (1) sibi multa de periculis, laboribus et morte eius. Igitur primum vaticinium Thiresiæ fuit de Narcisso, qui natus (2) in Græcia, puer mire formosus, de quo mater nomine Liriope consuluit illum, utrum filius esset victurus usque ad tempora senectutis: qui respondit quod sic si non cognosceret se ipsum. Responsio visa est vana et risu digna; tamen eventus probavit veritatem rei. Nam Narcissus factus juvenis sexdecim annorum magno studio dabat operam venationi (3): accidit ergo semel quod (4) Narcissus fessus calore et labore pervenit ad fontem lucidissimum (5) in loco amœnissimo, et inclinans se ad undam fontis ad sedandam sitim invasus est ab alia siti peiore; quoniam, visa imagine sua pulcerrima in aqua, putans esse rem veram non umbram, captus est amore sui, et cœpit mirari oculos suos qui videbantur duo sidera, capillos aureos, qui

(1) E. et prædicere. (2) E. natus est in. (3) E. venationibus.
(4) E. quod ipse Narcissus. (5) E. lucidum.

videbantur radii solis, et ruborem faciei mixtum cum candore; et breviter, singula membra pulcra velut mulier in speculo. Deinde abiectis vestibus nudus intravit aquam, volens amplexari et osculari umbram: sed brachia nuda reducebat ad pectus; et sic sæpe faciens stabat illusus sine cibo, potu et somno, nec satiabatur videre suam fallacem formam, et conquerebatur secum quod nec maria, nec montes, nec muri clausis portis, sed parva aqua ([1]). Tandem Narcissus ([2]) cœpit resolvi velut cera ad ignem et bruma ad solem; et conversus est in florem sui nominis, qui est albus rubens in medio, ut dicit Ovidius III Maioris. Hoc viso, videamus breviter quid sibi vult ista jocunda fabula, et quis est iste Narcissus: certe est juvenis vanus, vagus ([3]), qui more pavonis gloriatur et delectatur mirabili forma sua et sibi placet; et sic captus amore sui credit videre in se rem veram non umbram, cum tamen potius e contra pulcritudo corporis sit umbra quæ vanescit inter oculos ipsorum mirantium et laudantium: ideo bene vertitur in florem, qui cito marcescit ad modicam febriculam et parvam adversitatem; et si forte duret aliquandiu, senectus sibi non parcit. Sicut ergo nil gratius, ita nil brevius forma. Et certe omnis terra habet suos Narcissos, nec est diu quod vidi unum recte talem, qui florem suæ formæ stultius et infelicius perdidit quam Narcissus, acerba et infami morte. Nunc ad literam dicit autor: *Perch'io corsi dentro all' error contrario a quel,* scilicet, errori, *ch' accese amor tra l' uomo,* scilicet, Narcissum; est autem Narcissus flos pulcer, qui latine vocatur lilium album; *e 'l fonte,* quem vocavit alibi speculum Narcissi. — *Subito.* Hic au-

---

([1]) I tre Codici leggono tutti come la stampa. L' Estense ha in margine: « Per dichiarare questo senso sospeso si reca qui il luogo di Ovidio a cui il nostro autore accenna: .... *nec nos mare separat ingens, Nec via, nec montes, nec clausis mœnia portis, Exigua prohibemur aqua.* »

([2]) E. Narcissus ipse cœpit solvi velut.

([3]) E. et vagus.

tor ostendit, quid fecerit ad tollendum errorem suum, quia retroflexit se a tergo putans videre homines, quorum imagines apparerent (1) in corpore lunæ; sed nihil videns recurrit ad Beatricem pro succursu. Unde dicit: *Subito torsi gli occhi,* idest, retroverti visum, *per veder di cui fosser,* scilicet, illæ facies, *sì com' io m' accorsi di lor,* idest, quam cito perpendi de illis umbris, *stimando,* idest, imaginans, *quelle,* scilicet, facies esse, *specchiati sembianti,* idest, imagines rerum repræsentatarum in corpore lunæ tamquam in speculo, *e vidi nulla,* idest, nihil de eo quod credebam, *e ritorsili avanti,* idest, reduxi ad statum primum versus Beatricem, *dritti nel lume della dolce guida,* idest, Beatricem luminosam dulciter ducentem me per cœlum sicut sol, ut dictum est in principio capituli, *che ardea,* scilicet amore, *negli occhi santi,* idest, in sancta contemplatione, *sorridendo,* scilicet, de errore simplicitatis meæ; direxit autem oculos in Beatricem, cum magna admiratione, quasi dicens tacite: ah! sancte Deus, quid est hoc? — *Non.* Hic Dantes ostendit quomodo Beatrix removerit errorem suum, et direxit in cognitionem veræ rei; unde dicit: et illa Beatrix, *mi disse appresso,* idest, continuo, *non ti meravigliar perch' io sorrida,* idest, irrideam, *il tuo pueril coto,* idest, tuam vanam cogitationem ad modum pueri, *che non fida,* idest, quæ cogitatio non fidenter ponit, *il pe',* idest, affectionem, *sopra 'l vero,* idest, rem veram, *ma te rivolvi,* scilicet, retro, *a vôto,* idest, frustra, in vanum, *come suoli,* idest, sicut soles alias te vertere in terra. Et ecce veritatem: *ciò che tu vedi son vere sustanzie,* idest, animæ rationales, non idolum Narcissi, *qui relegate,* idest, confinatæ in ista infima parte lunæ, *per manco di voto,* idest, propter defectum voti, quod perfecte non adimpleverunt (2), sicut

---

(1) 4, apparent. (2) 4, adimplerant.

postea dicetur; *però parla con esse,* scilicet, animabus, *et odi e credi,* quicquid dicent [1] tibi, quia non possunt mentiri; unde dicit: *che la verace luce,* scilicet, divina, *che le appaga,* idest, contentat, *non lascia lor torcer li pedi,* idest, amorem et affectionem, *da sè,* idest, ab ipsa luce, quæ est veritas.

Et io all' ombra. Ista est secunda pars generalis, in qua Dantes in speciali agit et tractat de una anima illarum animarum contraria Narcisso famosa tempore suo. Ad cuius cognitionem oportet primo præscire, quod ista est Picharda pulcerrima pudicissima, de qua facta est expressa prædictio Purgatorii capitulo XXIV, quæ sponte et ex certa scientia devoverat suam Christo virginitatem cum jam esset adulta in monasterio sanctæ Claræ de Florentia. Sed frater eius dominus Cursius de Donatis, miles famosissimus, cum suis ipsam violenter traxit de loco, cum despondisset eam viro sæculari, scilicet cuidam Roselino de nobilibus de la Tosa. Picharda perseverans in suo sancto proposito, devotissime supplicavit Deo, ut incurreret mortem vel infirmitatem, per quam posset servare inviolatam suam virginitatem: et continuo gravis morbus invasit carnem eius, quo illa moriens transivit ad meliorem sponsum. Et recte ista juvencula tusca fecit, sicut olim adolescens tuscus nomine Spurinna, qui cum ob elegantiam suæ formæ multis viris suspectus redderetur, suam formosam faciem unguibus exaravit et deformavit. Nunc ad literam, autor apparat se ad loquendum dictæ umbræ, dicens: *Et io drizzaimi all' ombra,* idest, animæ, *che parea più vaga di ragionar,* quia cognoverat eum in vita, et erat de patria sua, *e cominciai,* supple, loqui, *quasi com' uom cui troppa voglia smaga,* idest, quem ardens desiderium alterat: videbat enim

---

[1] E. dicetur.

illam avidam loquendi secum, et ipse volebat servare præceptum Beatricis. — *O ben.* Nunc Dantes ponit orationem suam ad Pichardam, in qua facit exordium cum petitione petens de nomine et conditione; unde dicit cum gratulatione: *O ben creato spirito,* quia ad beatitudinem destinate, *che ai rai di vita eterna,* idest, ad radios divinæ gratiæ, *senti la dolcezza,* idest, dulcem fruitionem felicitatis æternæ, *che non gustata non s' intende mai;* notanter dicit, quia non novit mellis dulcedinem qui mel non gustavit; hinc est quod voluptates sensibiles plus delectant nos quam virtus vel felicitas; ideo Paulus qui gustaverat de ista dulcedine, dicebat: cupio dissolvi et esse cum Christo; *grazioso mi fia,* idest, erit mihi ad gratiam singularem, *se mi contenti del nome tuo,* ut recognoscam te, quia videris recognoscere me, *e della vostra sorte,* quia audiverat quod erant relegatæ in loco inferiori ex defectu voti. — *Ond' ella.* Hic autor ponit responsionem Pichardæ ad se, quæ primo præmittit exordium, deinde narrationem eius. Unde continuans (1) dicit poeta: *Ond' ella,* scilicet Picharda, *pronta e con occhi ridenti,* respondit libenter sub hac forma tangens causam suæ justæ responsionis ad (2) justam petitionem: *la nostra carità,* scilicet, beatorum, *non serra porte,* idest, non obturat aures, *a giusta voglia,* et ecce causam, *se non come quella,* scilicet, caritas divina, *che vuole tutta sua corte,* idest, voluntatem omnium beatorum, *simile a sè,* sicut, ipsa Picharda fuerat experta in se ipsa in vita mortali, quia justa precatio sua fuerat exaudita super voto continentiæ, ut jam dictum est. Et describit se ab habitu, virtute et nomine suo, dicens: *io fui nel mondo,* scilicet, mortali, *vergine.* Ad quod nota quod virginitas est habitus electivus integritatis corporis observandæ per

(1) S., E. e 4, Unde continuative dicit. (2) E. ad suam justam.

totam vitam; unde virgo est quæ sancta est corpore et spiritu, ut ait apostolus. Nota etiam quod virginitas nobilis conditio semper fuit in pretio etiam ante cultum christianæ religionis, sicut patuit in Orithya regina Amazonum et in virginibus vestalibus, *sorella,* idest, soror [1] monacha monialis; et deberes recognoscere [2] me licet sim pulcrior in vita ista, quam me videris in vestra mundana; unde: *e se la mente tua ben mi riguarda,* idest, si bene revocas ad memoriam, *non mi ti celerà l' esser più bella.* Et hic nota quod de Picharda pulcerrima recte potuit dici illud Virgilii: *Gratior et pulcro veniens e corpore virtus.* Quamvis enim Seneca dicat, quod sibi videatur errasse Virgilius, non video quare, quia non dixit quod virtus sit maior vel perfectior in pulcro corpore, sed gratior judicio videntium. Si enim pulcra sit pudica magis laudatur et magis est grata videntibus, licet forma non sit res invidiosa, imo sæpius damnosa, ut patuit in Helena, Paride et Cæsare, *ma ricognoscerai ch' io son Piccarda,* quam tu novisti in vita, et de qua tu petisti fratrem meum Foresium in purgatorio. Et tangit sortem, dicens: *che posta qui,* scilicet, in corpore lunæ, *con questi altri beati,* scilicet, virginibus, *beata son nella spera più tarda,* scilicet, lunæ. Ad quod est sciendum quod unusquisque planeta consumit plus vel minus temporis in suo cursu secundum maioritatem vel minoritatem circulorum eorumdem; quia, scilicet, circulus unius est maior circulo alterius, quoniam, ut testatur Macrobius, omnes planetæ æqualiter moventur; nam ita cito transit luna unum stadium de circulo suo sicut sol unum de suo; ideo luna videtur velocior in motu suo cum tamen non sit. Sed hic spera lunæ appellatur tarda, idest parva, quia describit minorem circulum; vel dicitur tarda quia

(1) E. soror monialis. (2) 4, cognoscere me.

est remotior a primo mobili et vicinior terræ, quæ est immobilis et gravis, vel quia facit tardos. — *Li nostri.* Hic (1) Picharda respondet quæstioni tacitæ, quia enim Dantes poterat petere: quomodo nonne tristamini vos esse in bassiori loco parvioris planetæ? Respondet Picharda, quod potius lætantur. Dicit ergo: *Li nostri affetti,* idest, affectiones, *che sono infiammati solo nel piacere dello Spirito santo, formati del suo ordine letizian,* idest, lætantur. Et subdit Picharda declarans illud quod dixerat supra, scilicet quod erant hic relegatæ ex defectu voti, quod dictum videbatur obscurum, quia non apparebat si sponte neglexerant votum, vel utrum in totum, vel pro parte, ideo dicit: ergo, *e questa sorte,* scilicet, loci, *che par giù cotanto,* quia nulla est inferior, *però n' è data,* ab ordine divinæ justitiæ, *perchè li nostri voti,* scilicet (2) continentiæ, quæ feceramus in mundo, *fur negletti e vôti,* idest, vacua et non adimpleta, *in alcun canto,* idest, in aliqua parte sui, sicut plene declaratur in capitulo sequenti. Et non intellige, lector, quod ista simpliciter intelligat se esse positam in corpore lunæ ex defectu voti, sicut quidam falso exponunt; nam omnes sanctæ virgines sunt in luna, sicut potes videre in beata Clara, quæ est in eadem spera, et tamen non neglexit votum, imo perseverantissime servavit. Sicut enim sol qui est pater caloris facit viros sapientes, ita luna mater humoris facit mulieres honestas. Sed vult dicere ista virgo quod est posita in infima parte lunæ, quia non solverat integre debitum voti, sicut jam dictum est. — *Ond' io.* Hic autor excusat se ab eo quod non cito recognovit eam propter excellentiam luminis, dicens: *Ond' io a lei,* supple, dixi illi Pichardæ tam pulcre loquenti: *non*

(1) E. Hic poeta ponit responsionem illius Pichardæ cuidam tacitæ quæstioni, quia enim.

(2) E. scilicet vota continentiæ.

so che divino, idest, aliquid magnum ineffabile, *che vi tramuta da' primi concetti,* idest, removet vos a prima cognitione hominum, *risplende nei mirabili aspetti vostri,* qui sunt plus quam humani; *però non fui festino a rimembrar,* idest, velox ad refigurandum te, *ma ciò che tu mi dici,* de te, scilicet, quod fuisti in mundo virgo monialis pulcra, pudica, *or m' aiuta,* idest, adiuvat me ad recognoscendum te, *sì che m' è più latino,* idest, facilius, *raffigurar,* scilicet, te.

Ma dimmi. Ista est tertia pars generalis, in qua Dantes discutit unam quæstionem, quæ oritur ex verbis dictæ Pichardæ, scilicet, utrum desiderent altiorem locum, idest, maiorem gradum beatitudinis. Petit ergo: *Ma dimmi,* idest, sed dic mihi rogo: *voi, che siete qui felici,* in ista infima parte lunæ, *desiderate voi più alto loco,* sicut juxta sanctam Claram, quæ sedet altius in isto eodem corpore lunæ, ut dicitur paulo post, *per più vedere,* idest, profundius de divinitate, in qua est tota felicitas, *e per più farvi amici?* quia amiciores regi sunt viciniores sibi, et plus sciunt secreta sua. Et apparat ipsam Pichardam ad respondendum (¹) cum lætitia, dicens: et illa Picharda, *sorrise pria un poco,* de simplicitate quærentis, *con quelle altre ombre,* quia non solum Constantia, sed etiam multæ aliæ virgines erant ibi in pari gradu; *da indi mi rispose tanto lieta,* non sicut mundana mulier, quæ naturaliter invidet pulcritudini alterius, et alterius ornamenta meliora (²) et cariora appetit, *ch' arder parea d' amor,* scilicet, caritatis perfectæ, *nel primo foco,* scilicet, Deo; unde alibi in isto libro figurat Deum in circulo igneo: vel dicatur, *nel primo foco,* idest, in corpore lunæ, nam omnia corpora cœlestia appellantur ignea. Unde Virgilius: *Vos æterni ignes:* et Heraclitus dicebat quod omnes Dii erant

---

(¹) E. responsionem. (²) 4, mundana et cariora.

ex igne, sicut refert Tullius primo de Natura Deorum; et Augustinus VII de Civitate Dei circa principium. Modo omnes planetæ erant Dii apud gentiles antiquos, ut dicetur capitulo sequenti. — *Frate.* Nunc Picharda respondet perfecte ad quæsitum, et dicit quod omnes beati contentantur sorte sua, nec plus desiderant quam habeant; et principium et fundamentum huius est caritas. Dicit ergo: *Virtù di carità,* quæ cum sit magna in via maior est in patria; nam fides et spes cessant ibi, sed caritas crescit; *che fa volerne sol quel ch'avemo,* et semper habebimus, *e d' altro non ci asseta,* idest, et non facit nobis desiderium maioris gloriæ. Ideo bene dicit Augustinus: exultant omnes in propriis mansionibus; dispar gloria sed communis lætitia omnium; *quieta la nostra voluntà,* idest, contentat. Simile est de vasis differentibus in terra, quia minus vas non potest plus capere de aqua, et ita anima in cœlo non est capax maioris gloriæ, nec potest plus appetere. — *Se.* Hic Picharda probat dictum suum, quia si non esset sic sequeretur nimis absurdum inconveniens. Unde dicit: *Se desiassimo esser più superne,* idest, superiores in gloria, *gli nostri desiri foran,* idest, essent, *discordi dal voler di colui,* idest, Dei, *che qui ne cerne,* idest, deputat nos quemlibet in ordine suo. Hoc autem est impossibile, unde dicit, *che,* idest, quod desiderare superius, *vedrai non capere,* idest, non habere locum, *in questi giri,* idest, speris cœlestibus, *s'essere in caritate è qui necesse,* si, pro quia, quia sic est de necessitate, *e se la sua natura ben rimiri,* quia caritas diversitatem animarum consolidat in unionem, ita quod cessat omnis discordia, *anzi,* imo potius e contra, *è formale,* principium, *ad esto beato esse,* idest, ad istum statum beatitudinis omnium bonorum aggregatione perfectum, *tenersi dentro alla divina voglia,* idest, conformare nos voluntati divinæ, quæ est prima et summa causa, *per-*

ch' una fansi nostre voglie, una [1] unitate concordiæ. Bene ergo dicit Boetius in libro de regulis fidei, quod sancti in illa gloria erunt astricti tanto caritatis affectu, ut minimus in maximo gloriam suam in tantum esse gaudebit, ac si tantum ipsemet obtineret. Quid mirum? cum Deus summa caritas, summa sapientia in ipsis sit, et ipsi in Deo. In ipso siquidem regno habebunt Deum ipsum præmium, quem perpetuo facie ad faciem contemplabuntur; et quæ nunc per speculum in ænigmate imaginantur divina secreta, tunc plenitudine scientiæ comprehendent. Et concludit Boetius: Erubescant igitur Machomitæ qui mulierculas et miri saporis carnes delicias bestiales terrenas non cœlestes, corporis non animæ resurrectionem promittunt. — *Sì che.* Hic Picharda addit ad prædicta, quod ista concors et unita voluntas non solum est inter eos in illa spera inferiori lunæ, sed etiam inter omnes per speras superiores. Unde dicit: *Sì che come noi sem di soglia in soglia,* idest, de gradu in gradum, *per questo regno,* idest, per omnes speras cœlorum, *piace a tutto il regno,* idest, omnibus regnicolis beatis, *come al re,* scilicet, æterno, *che 'n suo voler ne 'nvoglia,* idest, accendit nos et animat in suam voluntatem. Et concludit: *in la sua voluntate è nostra pace,* idest, quietatio et contentatio animi: amor enim quanto est diffusus in plures, tanto est maior et perfectior, quia illi plures referuntur ad unum, scilicet Deum; unde dicit: *ella,* scilicet voluntas divina, *è quel mare,* scilicet, magnum, *al qual tutto si muove ciò ch' ella cria,* ex nihilo sicut angeli et animæ rationales, *e che natura face,* idest, producit per generationem. Et hic nota quantum similitudo maris sit propria: sicut enim omnes aquæ habent ortum a mari, et revertuntur ad illud et mare non redundat; ita omnia

---

[1] 4, idest, una.

tam creata quam generata sunt a Deo, et ad ipsum inclinantur diversimode, sicut patuit primo capitulo huius Paradisi, et ideo nihil accrescit. — *Chiaro*. Hic autor ponit effectum orationis Pichardæ, scilicet, quia ipse certioratus est de dubio suo. Unde dicit: *Chiaro mi fu allor,* ex verbis claris Pichardæ, *come ogni dove,* idest, omne ubi, idest, omnis locus, *in cielo è paradiso,* quia Deus in omnibus et omnes in Deo licet dispariter. Unde dicit: *e sì,* idest, quamvis, *la grazia del sommo bene,* scilicet, Dei, *non vi piove d' un modo,* idest, æqualiter.

Ma sì com'egli avvien. Ista est quarta et ultima pars generalis, in qua Dantes facit quod Picharda prosequitur narrationem inchoatam supra, et nominat aliam umbram modernam quæ pari merito est præmiata ibi secum. Et primo præmittit qualiter ipse contentus absolutione fecerit aliam petitionem Pichardæ, scilicet, quare non adimpleverit votum suum; et hoc per comparationem domesticam et propriam: et dicit breviter quod accidit sibi sicut epulanti apud amicum, qui cum comedit de bono elixo, ipsum laudat et petit assum. Dicit ergo: *Ma sì com' egli avvien s' un cibo sazia,* scilicet, primus, *e la gola* idest, appetitus, *d' un altro rimane ancor,* quia est diversus a primo, *che quel si chiere,* idest, secundus quæritur, *e di quel,* scilicet, primo, *si ringrazia; così fec' io,* quia satiatus primo cibo animæ, facta gratiarum actione, petivi secundum, *con atto e con parola,* idest, signo et verbo, *per apprender da lei,* idest, causa discendi ab illa Picharda, *qual fu la tela,* idest, materia quam ipsa ordita fuerat, *onde non trasse fin al co la spola,* idest, quam incœperat et non perduxerat ad finem. Et facit convenientem metaphoram, quia dicit quod non duxerat [1] spolam, idest, linguam quæ texit orationem, sicut spola

---

[1] 4, conduxerat.

telam; et telam vocat ipsam orationem quæ texitur lingua. — *Perfetta*. Nunc Dantes ponit orationem ipsius Pichardæ, quæ primo laudabiliter describit beatam Claram, cuius regulam ipsa intraverat. Et ad claram intelligentiam istius (1) literæ est præsciendum, quod beata Clara nomine et re, quia magnis virtutibus claruit, fuit conterranea et contemporanea beati Francisci, eius dilecta et devota, quæ in omnibus illius vestigia voluit imitari, in paupertate, caritate, humilitate, sobrietate, puritate et simplicitate. Hæc namque sacratissima et clarissima virgo, hæreditate vendita, de pretio (2) nihil reservans, totum pauperibus erogavit; et amorem cum paupertate contraxit, ut nihil præter Deum habere vellet, nihil (3) nisi necessarium vestimentum et victum permitteret a sororibus recipi. Et cum Gregorius IX vellet ipsam absolvere a voto tam arctæ paupertatis, respondit alto animo virgo præclara, se velle absolvi a peccatis, non a consiliis Jesu Christi. Tegebat igitur tenerrimum corpusculum simpla tunicula et vili palliolo: in nuda humo sæpe super sarmenta jacebat, et nodosum cilicium ex pilis camelorum portabat, etsi aliquando mollius usa est sacco palearum. Cum autem furor Friderici II, qui tunc vexabat romanam ecclesiam induxisset saracenos de Nuceria usque Assisium, hæc præclara virgo, invocata Regina virginum, monasterium suum a barbarorum sævitia liberavit et civitatem ab obsidione. Quadraginta duobus annis hæc virgo currens in stadio, tandem bravium beatitudinis est adepta: cui redeunti ad patriam, Regina angelorum magna turba virginum comitata occurrit, et suo suscepit in gremio: quam Alexander IV (4) propter virtutum merita et miraculorum magna prodigia sanctorum catalogo libens adscripsit. Nunc ad lite-

(1) S. huius literæ.
(2) 4, pretio sibi nihil.
(3) E. et nihil.
(4) E. quartus papa propter.

ram dicit poeta: illa Picharda, *mi disse: perfetta vita,* scilicet, contemplativa, *et alto merito,* idest, magna opera meritoria, *inciela,* idest, collocat in cœlo in isto corpore lunæ, *donna,* scilicet, sanctam Claram, *più su,* scilicet, ad maiorem gloriam quam me Pichardam, *alla cui norma,* idest, regulam, *si veste e vela,* scilicet, a monialibus, *giù nel vostro mondo,* scilicet, mortali, et præcipue in Italia. Beata namque Clara nobilis genere, virtute et sanctitate venerabilis videtur superare alias sanctas in vita licet non fuerit martyr, sicut Catherina et multæ, quæ magna materfamilias traxit post se tam longum ordinem virginum. Et ecce causam finalem, *perchè si vegli e dorma,* in contemplatione, *fin al morir,* quia non qui incœperit ([1]), *con quello sposo,* scilicet, Christo; nam monialis est sponsa Christi, et sic peius est rapere vel violare monialem quam maritatam. Et dicit: *ch' ogni voto accetta che carità,* scilicet, voventis, *conforma a suo piacere.* Et sic vide quod votum factum contra caritatem non est servandum; sicut si vir voveat non reddere debitum uxori, vel non loqui proximo suo. — *Dal mondo.* Hic Picharda, præmissa descriptione beatæ Claræ, narrat quomodo intraverit regulam eius, dicens: ego Picharda, *giovenetta,* idest, puella adultæ ætatis, *fuggi'mi dal mondo,* sponte, *per seguirla,* idest, causa sectandi vitam eius, *nel suo abito mi chiusi,* ubi prius eram soluta in sæculo ligavi me religioni, *e promisi la via della sua setta,* cum electione, deliberatione et proposito. Et subdit qualiter impeditum est votum eius, dicens: *uomini poi, a mal più ch' a bene usi,* scilicet, dominus Cursius de Donatis et Foresius frater eius, quorum alter assuetus erat dominio, alter vero gulæ, ut clare patuit capitulo Purgatorii, *fuor mi rapiron,* me invitam et reclamantem, *della dolce*

([1]) E. incœperit, sed qui perseveraverit, *con quello.*

chiostra; et vere claustrum dulce est et quasi umbra paradisi in mundo; ubi sæculum est amarum et infernus viventium. Et concludit Picharda in facto suo, dicens: *e Dio si sa poi qual mia vita fusi,* quia fuit brevis in corpore infirmo in sancto proposito. — *E questo.* Nunc Picharda describit aliam animam, quæ fuit in simili sorte secum, licet non habuerit eumdem exitum. Et ut litera sequens sit clarior, oportet scire, quod hæc magna Constantia fuit filia Guilelmi quondam optimi regis Siciliæ; in cuius ortu quidam Joachim Calaber spiritu prophetico dotatus, prædixit Guilelmo filiam natam Siciliæ et Italiæ desolationem futuram. Rex vaticinio stupefactus et territus, quia ab experto credebat viro amplissimæ autoritatis, post longam meditationem volens, si posset, avertere fatum regno, dedicavit ipsam Deo in claustro, ut sic omnis spes viri vel filii tolleretur. Quæ cum jamdiu sancte vixisset in otio, mortuo sanctissimo patre et fratre eius, non extante hærede legitimo, quidam Tancredus Regulus de stirpe transversali suscepit regni gubernaculum, et post eum Guilelmus juvenis filius eius; ex quo factum est, ut nobile regnum variis furiis, ut olim, vexaretur bellis et seditionibus intestinis. Quapropter decretum est pro remedio, ut Constantia traderetur alicui magno principi, cuius potentia et opera succurreretur regno. Tandem cum magno labore et dolo vix obtentum est, ut Constantia a religionis proposito moveretur [1]; et consentiente summo Pontifice nupsit Henrico imperatori filio Friderici I. Et deposito virginitatis pudore, quam perpetuam Deo voverat in vita, concepit ex viro cum admiratione omnium, cum jam esset vetula quinquaginta quinque annorum. Cum autem hoc fictum crederetur a multis, ad tollendam omnem suspicionem,

---

[1] S. removeretur.

edicto principis factum est, appropinquante tempore partus, ut nobiles matronæ ex tota insula vocarentur; quibus præsentibus sub tentorio apud Panormum, peperit terribile monstrum, scilicet Fridericum II hostem implacabilem ecclesiæ. Unde Fridericus, quando volebat facere solemne sacramentum, habebat de more dicere: Per illud miraculum, quo mater mea genuit me, ego sic faciam. Nunc ad literam dicit Picharda sic: *E questo altro splendor,* bene dicit, quia Constantia ex alto rerum culmine effulsit in nostro orbe occidentali, filia regis magni, uxor maioris imperatoris: et si fuit gloriosa in terris virtute et potentia magna, quanto magis in cœlo? *che ti si mostra dalla mia destra parte,* ratione maioris honoris, *e che s' accende,* idest, illuminatur et inflammatur, *di tutto 'l lume della spera nostra,* idest, influentia lunæ, quasi dicat quod fuit vere filia lunæ tanto tempore continens et servans virginitatem; *sorella fu,* idest, monialis; et facit unam interpositionem, dicens, *intende,* tu Dantes, *di sè ciò ch' io dico di me,* quia nolens et dolens tracta fuit de dulci claustro; unde dicit: *e così le fu tolta,* sicut mihi, *di capo l' ombra delle sacre bende,* nam a velo vili ad pretiosum diadema, et ab aspera tunica transivit ad purpuram regum. — *Ma.* Hic Picharda narrat constantiam ipsius Constantiæ, dicens: *Ma poi che pur al mondo fu rivolta,* illa virgo, *contra suo grado,* idest, votum suum voluntarium, *e contra buona usanza,* quia contra leges, decreta, et mores; ideo male cessit sacerdotibus, *non fu dal vel del cuor giammai disciolta,* quia semper in animo retinuit habitum monasticum. Et hic nota quod judicio meo Picharda videtur magis excusanda quam Constantia; primo, quia Constantia vetula virum non noverat usque in senectutem; ista vero juvencula erat viro aptissima in florentissima patria. Secundo, quia mentem firmaverat diutissime in suo habitu;

ista vero parum fuerat (1). Tertio, quia Constantia non habuit parentes cogentes eam sicut Picharda, sed solum sacerdotem. Quarto, quia maior sanguine debebat maiori animo dicere, sicut dixit Susanna pravis sacerdotibus. Et describit ipsam a nomine proprio et partu mirifico, dicens: *questa è la luce,* idest, anima luminosa, *della gran Costanza,* imperatrice romanorum, *che del secondo vento di Soave,* idest, ex Henrico V, *generò il terzo,* idest, Fridericum II, *e l'ultima possanza;* nam Fridericus II fuit potentissimus omnium principum a Carolo Magno citra. Et hic nota quod poeta pulcre vocat superbam potentiam et vanam gloriam mundi ventum; et potissime ista domus Sueviæ fuit velut ventus auster terribilis turbans serenum aerem et faciens magnas strages, sed cito deficiens. Primus ergo ventus Sueviæ fuit Fridericus I dictus Barbarussa; secundus Henricus, nomine quintus; tertius Fridericus II, qui fuit ultimus imperator de domo Sueviæ. Gens enim suevorum maxima bello et potentissima omnium germanorum olim fuit, ut patuit per Julium Celsum, et nunc esse creditur ut dicit Petrarcha. De duobus Fridericis qui fuerunt duo flumina belli pauca hic dico, quia multa (2) dicta sunt in Inferno et Purgatorio. Et concludit autor, quod Picharda recessit cum cantu, dicens: *così parlommi,* illa Picharda de se et Constantia, *e poi cominciò: Ave, Maria, cantando,* talis oratio bene congruebat tali virgini, *e cantando vanìo,* idest, disparuit, a simili, *come per acqua cupa cosa grave.* Bene dicit, quia ista mulier pudore gravis disparuit in corpore lunæ frigido, humido velut aqua. — *La vista.* Hic ultimo autor finiens capitulum ostendit quomodo converterit se ad novam materiam, dicens: *La vista mia,* idest, speculatio intellectualis, *che la seguìo,*

(1) E. firmarat. (2) E. multa de his dicta.

edicto principis factum est, appropinquante tempore partus, ut nobiles matronæ ex tota insula vocarentur; quibus præsentibus sub tentorio apud Panormum, peperit terribile monstrum, scilicet Fridericum II hostem implacabilem ecclesiæ. Unde Fridericus, quando volebat facere solemne sacramentum, habebat de more dicere: Per illud miraculum, quo mater mea genuit me, ego sic faciam. Nunc ad literam dicit Picharda sic: *E questo altro splendor,* bene dicit, quia Constantia ex alto rerum culmine effulsit in nostro orbe occidentali, filia regis magni, uxor maioris imperatoris: et si fuit gloriosa in terris virtute et potentia magna, quanto magis in cœlo? *che ti si mostra dalla mia destra parte,* ratione maioris honoris, *e che s' accende,* idest, illuminatur et inflammatur, *di tutto 'l lume della spera nostra,* idest, influentia lunæ, quasi dicat quod fuit vere filia lunæ tanto tempore continens et servans virginitatem; *sorella fu,* idest, monialis; et facit unam interpositionem, dicens, *intende,* tu Dantes, *di sè ciò ch' io dico di me,* quia nolens et dolens tracta fuit de dulci claustro; unde dicit: *e così le fu tolta,* sicut mihi, *di capo l' ombra delle sacre bende,* nam a velo vili ad pretiosum diadema, et ab aspera tunica transivit ad purpuram regum. — *Ma.* Hic Picharda narrat constantiam ipsius Constantiæ, dicens: *Ma poi che pur al mondo fu rivolta,* illa virgo, *contra suo grado,* idest, votum suum voluntarium, *e contra buona usanza,* quia contra leges, decreta, et mores; ideo male cessit sacerdotibus, *non fu dal vel del cuor giammai disciolta,* quia semper in animo retinuit habitum monasticum. Et hic nota quod judicio meo Picharda videtur magis excusanda quam Constantia; primo, quia Constantia vetula virum non noverat usque in senectutem; ista vero juvencula erat viro aptissima in florentissima patria. Secundo, quia mentem firmaverat diutissime in suo habitu;

ista vero parum fuerat (1). Tertio, quia Constantia non habuit parentes cogentes eam sicut Picharda, sed solum sacerdotem. Quarto, quia maior sanguine debebat maiori animo dicere, sicut dixit Susanna pravis sacerdotibus. Et describit ipsam a nomine proprio et partu mirifico, dicens: *questa è la luce,* idest, anima luminosa, *della gran Costanza,* imperatrice romanorum, *che del secondo vento di Soave,* idest, ex Henrico V, *generò il terzo,* idest, Fridericum II, *e l'ultima possanza;* nam Fridericus II fuit potentissimus omnium principum a Carolo Magno citra. Et hic nota quod poeta pulcre vocat superbam potentiam et vanam gloriam mundi ventum; et potissime ista domus Sueviæ fuit velut ventus auster terribilis turbans serenum aerem et faciens magnas strages, sed cito deficiens. Primus ergo ventus Sueviæ fuit Fridericus I dictus Barbarussa; secundus Henricus, nomine quintus; tertius Fridericus II, qui fuit ultimus imperator de domo Sueviæ. Gens enim suevorum maxima bello et potentissima omnium germanorum olim fuit, ut patuit per Julium Celsum, et nunc esse creditur ut dicit Petrarcha. De duobus Fridericis qui fuerunt duo flumina belli pauca hic dico, quia multa (2) dicta sunt in Inferno et Purgatorio. Et concludit autor, quod Picharda recessit cum cantu, dicens: *così parlommi,* illa Picharda de se et Constantia, *e poi cominciò: Ave, Maria, cantando,* talis oratio bene congruebat tali virgini, *e cantando vanío,* idest, disparuit, a simili, *come per acqua cupa cosa grave.* Bene dicit, quia ista mulier pudore gravis disparuit in corpore lunæ frigido, humido velut aqua. — *La vista.* Hic ultimo autor finiens capitulum ostendit quomodo converterit se ad novam materiam, dicens: *La vista mia,* idest, speculatio intellectualis, *che la seguío,*

---

(1) E. firmarat. (2) E. multa de his dicta.

illam Pichardam, *quanto possibil fu,* homini viventi in carne sequi animam beatam; vel hoc dicit quia non poterat amplius loqui cum Picharda cum alia restarent dicenda; unde dicit: *poi che la perse,* idest, perdidit eam de visu, *volsesi al segno di maggior disio,* idest, ad desiderium duarum quæstionum subscriptarum, *et a Beatrice tutta si converse,* illa visio mea; *ma quella folgorò nel mio sguardo,* ut accenderet intellectum meum ad (1) dubia quæ discutiuntur in sequenti capitulo, *sì, che da prima il viso nol sofferse,* propter excellentiam luminis, *e ciò mi fece a dimandar più tardo,* quia materia erat ardua.

(1) E. scilicet ad dubia.

CANTUS QUARTUS, *in quo solvitur quæstio de voto, ubi tangitur quod voluntas duplex est, absoluta et mixta.*

I*NTRA duo cibi distanti e moventi.* Postquam in superiori capitulo proxime præcedenti Dantes tractavit et determinavit de animabus beatificatis in corpore lunæ; nunc consequenter in isto quarto capitulo discutit quædam dubia orientia ex quibusdam dictis in dicto capitulo. Et totum præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales; in quarum prima describit suam dispositionem circa duo dubia, et proponit illa (1) dubia. In secunda solvit alterum dubiorum, ibi: *De' Serafin.* In tertia solvit secundum dubium, ibi: *L' altra.* In quarta discutit aliam quæstionem incidentem (2) circa dicta, et tangit novam quæstionem, ibi: *Ma or.* Ad primum veniens dico, quod autor describit suam dispositionem interceptam pariter a duobus dubiis. Ad cuius intelligentiam oportet primo considerare quod autor intendit ostendere quomodo ipse timidus propter fulgurationem Beatricis desistebat proponere quæstiones subscriptas, nesciens eligere a qua inciperet; ideo volens ostendere æquale desiderium suum præmittit triplicem comparationem pulcram (3), quarum prima est de appetitu hominis. Dicit ergo: *Libero uomo,* positus ad mensam, *pria si morrìa di fame,* si esset famelicus, *che si recasse l' un ai denti,* idest, antequam applicaret unum cibum ori suo, *intra duo cibi,* appositos sibi eiusdem bonitatis, *distanti,* idest, æqualiter remotos, *e moventi,* scilicet, appetitum

(1) A, illa duo dubia. (2) S. incidenter. (3) E. pulcerrimam.

eius, *d'un modo eguali.* Et subdit alias duas comparationes, quarum una se habet ordine converso ad aliam, dicens: *un agno,* animal timidum, *sì si starebbe,* eodem modo, *intra due brame,* idest, fames, *di fieri lupi,* cum tamen lupus sit animal ferox inimicum ipsi agno mansueto, *igualmente temendo,* quia scilicet non magis fugeret ab uno lupo quam ab alio, et sic staret æqualiter timidus in medio amborum: et similiter *un cane,* avidus prædæ, *sì si starebbe intra duo dame,* æqualiter appetens, quod non citius invaderet unam quam reliquam. Est enim dama animal parvulum, timidum, agile, et est genus capreoli. Vult ergo dicere quod canis staret famelicus in medio duorum damorum, quod neutrum attingeret si uterque pari modo moveret. Sed hic nota, lector, quod multæ scrupulosæ subtilitates sunt in isto capitulo; nam primo multi mirantur de eo quod autor dicit in prima comparatione de libero arbitrio, quia non videtur verum. Sed certe Aristoteles videtur hoc dicere secundo cœli et mundi quasi circa finem ibi: similiter autem ab exilibus et potabilibus æqualiter distante etenim hunc quiescere necessarium est etc. Et Ovidius scribit se pariter amare duas quæ erant pariter formosæ, pariter cultæ, pariter sibi placentes, ita quod nesciebat præponere alteram alteri. Sed ut omittam veteres, Carolus vetus primus rex Siciliæ captus est amore duarum puellarum apud Neapolim, quæ filiæ florentini simul et semel visæ erant inter se simillimæ in forma, ætate, cultu, habitu, ita quod nesciebat facere electionem de altera earum, quia videbatur videre unam in duabus et duas in una: unde tandem in magna lucta mentis deliberaverat rapere utramque; sed magnifice increpatus a Guidone de Monforti laudabiliter mutato proposito maritavit et dotavit utramque egregie. Sed quicquid sit de ista comparatione possum dicere, ad salvandam semper

literam autoris nostri, quod ipse ponit (¹) hoc per modum comparationis, non positionis veræ. — *Perchè.* Hic autor applicat dictas comparationes ad propositum, et dicit breviter quod ipse in simili stans suspensus inter duo sua dubia non poterat præponere alterum ipsorum, licet esset avidissimus quærendi. Unde dicit: *Perch' io non mi riprendo,* idest, non accuso me, *nè commendo,* idest, nec laudo me, *s' io sospinto dalli mei dubbii,* idest, incitatus, impulsus a duobus dubiis subscribendis, *d' un modo,* idest, æqualiter, *io mi tacea,* nihil dicens (²), *poi ch' era necessario,* scilicet, me tacere ex quo non poteram loqui; ideo subdit: *io mi tacea,* scilicet cum lingua, *ma il mio disir,* intrinsecum, *m' era dipinto,* idest, patens et apparens, *e 'l dimandar con ello,* idest, et petitio simul cum desiderio explicabatur, *nel viso,* idest in facie, *assai più caldo,* idest, ferventius et affectuosius, *che distinto per parlar,* idest, quam si ego explicassem verbis. — *Fe' sì.* Nunc Dantes intendit manifestare sua dubia; et primo apparat Beatricem ad hoc per nobilem comparationem. Ad cuius declarationem est præsciendum quod, sicut scriptum est Purgatorii capitulo XXII, Daniel positus in captivitate Nabuchodonosor regis assyriorum in Babylonia, sicut habetur Danielis secundo, habuit intelligentiam omnium visionum et somniorum; quo tempore rex ipse fecit mirabile somnium; quod cum sui sapientes et divinatores nescirent revocare ad memoriam eius mandavit omnes interfici. Tunc Daniel revelavit somnium, videlicet, quod rex viderat statuam altæ staturæ, cuius caput erat ex auro, pectus et brachia ex argento, venter et femora ex ramo, tibiæ ferreæ cum pedibus, sed unus digitorum erat ferreus, alter terreus: interim lapis veniens de monte sine manibus percussit pedes et totam

(¹) 4, ponit hæc. (²) E. nihil dicendo.

machinam contrivit, et lapis factus mons magnus replevit universam terram. Aurum figurabat regnum assyriorum opulentissimum et diuturnum; argentum regnum medorum et persarum, quia sicut duo brachia vertuntur circa unum cor, ita ista duo regna circa unum regem: ramum regnum Alexandri Magni, quod fecit sonum magnum sicut ramum; nam græci fuerunt eloquentissimi, et habuerunt magnam copiam scriptorum; ferrum, regnum romanum, quia more ferri domuit omnia regna, sed in se consumptum est rubigine civilis discordiæ; unde pedes romanorum divisi sunt, quia sicut ferrum et terra non possunt inter se commisceri, ita principes romani non potuerunt simul convenire. Lapis ille figuraliter fuit [1] Christus, qui veniens a monte, idest a cœlo, sine manibus, idest sine opera humana, deiecit romanum imperium, quod post Augustum paulatim declinavit, donec devenit quasi ad nihil, et regnum [2] Christi est æternum. Rex in fine summe honoravit Danielem. Modo ad propositum dicit poeta: *Beatrice fe' sì*, idest, fecit se talem, *qual fe' Daniello*, propheta magnus, *levando Nabucodonosor d' ira*, qua [3] erat accensus contra sapientes suos, *che*, idest, quæ ira, *l' avea fatto ingiustamente fello*, idest, impium, iniquum. Et hic nota qualiter exemplum Danielis bene facit ad propositum. Sicut enim sanctus [4] Daniel revelavit regi duo, scilicet somnium et interpretationem, quæ æqualiter scire desiderabat; ita ista sancta domina quæ novit secreta in Deo, revelavit duo dubia autori quæ æqualiter appetebat quibus perturbabatur in mente, sicut rex iniuste; et sicut rex facta revelatione summe laudavit Danielem, qui postea revelavit sibi alia somnia, ita Dantes facta declaratione dubiorum

(1) E. fuit Deus noster et Dominus Jesus Christus, qui.
(2) E. regnum Domini nostri Jesu Christi est.
(3) E. quia erat accensus ira contra.
(4) E. spiritus Danielis.

commendavit Beatricem, quæ postea declaravit sibi alia dubia, sicut patet in fine capituli. Et subdit: *e disse,* illa Beatrix, *io veggio ben come ti tira,* vel secundum aliam literam, *ch' a me ti tira l' un e l' altro disio,* idest, desiderium utriusque dubii declarandi, *sì che tua cura,* idest, sollicitudo, sive cogitatio quæ urit cor tuum, *sè stessa lega,* intra mentem, *sì, che fuor non spira,* per organum vivæ vocis. — *Tu.* Hic Beatrix expresse tangit ipsa dubia, et primo primum, dicens, *Tu argomenti,* idest, arguis, *se 'l buon voler dura,* idest, si voluntas perseverat in bono proposito, *la violenza altrui,* veniens ab extra, *per qual ragione,* quasi dicat, non video causam, *mi scema la misura del meritare?* idest, quare diminuit (1) mihi modum meriti et minorationem præmii, sicut dictum est de Constantia et Picharda? Et tangit (2) secundum dubium, dicens: *ancor,* idest, præterea, *di dubitar ti dà cagione,* idest, causat tibi secundum dubium, *parer tornarsi l'anime alle stelle,* a quibus venerunt, *secondo la sentenza di Platone,* idest, quod attestatur opinioni Platonis, et est sententia diffinita (3) animi voluntas scripto vel voce prolata. Et concludit Beatrix: *queste son le quistion che pontano igualmente nel tuo velle,* idest, quæ premunt pariter tuam voluntatem, *e però pria tratterò quella,* scilicet, quæstionem secundam, *che più ha di felle,* quia posset venenare animum tuum.

De' Serafin. Ista est secunda pars generalis, in qua Beatrix breviter et clare solvit secundum dubium periculosius; et dicit, quod omnes beati, sive angeli, sive homines habent suam sedem in cœlo empyreo; sed diversitas loci facit signum differentiæ gloriæ. Dicit ergo: *Colui de' Serafin,* idest, ille angelus de ordine seraphinorum qui ardent amore Dei, *che più s' india,* idest, magis con-

(1) 4, minuit. (2) E. Et subdit secundum. (3) E. definitiva.

format se Deo, *Moisè,* cum quo Deus loquebatur facie ad faciem, *Samuel,* propheta magnus, qui inunxit David regem, *e quel Giovanni qual prender vuogli,* scilicet, tam Baptistam, quam Evangelistam, de quorum altero dictum est *inter natos mulierum* etc., alter vero recubuit supra pectus Domini, *io dico, non Maria,* quasi dicat, etiam Maria, quæ est gloriosior in cœlo prædictis non habent, *non hanno i loro scanni,* idest, gradus gloriæ, *in altro cielo che quegli spiriti,* mulierum, *che mo t' appariro,* in corpore lunæ, *nè hanno all' esser lor più o men anni,* quasi dicat: sicut non circumscribuntur loco, ita nec tempus currit eis, ubi est æternitas interminabilis. Et subdit (¹): *ma tutti fanno bello il primo giro,* scilicet, cœlum empyreum, *e han dolce vita,* scilicet, beatam, *differentemente,* secundum plus et minus gloriæ; unde dicit: *per sentire più e men l' eterno spiro,* idest, gratiam sancti Spiritus.— *Quivi.* Hic Beatrix assignat causam quare animæ ostendantur in propria stella, dicens: *Quivi si mostran,* prædicti spiritus in ista stella infima, *non perchè questa spera,* scilicet, lunaris, *sia sortita loro,* idest, destinata vel deputata eis; *ma per segno della celestial,* scilicet, spera, vel *spiritual c' ha men salita,* idest, minorem gradum beatitudinis in paradiso; quasi dicat uno verbo, ista fictio ideo facta est ad innuendum sub figura distinctionem graduum in supremo cœlo. Et ecce causam: quia *così parlar conviensi al vostro ingegno,* scilicet, humano, quod non capit spiritualia aliter; unde dicit: *però che solo da sensato apprende ciò che fa poscia d' intelletto degno;* quasi dicat (²): quia omnis nostra cognitio intellectiva dependet a sensitiva aliquo modo; unde non possumus nisi ex sensibilibus ascendere ad notitiam separatorum, circa quæ sapientia totaliter versatur; unde nihil possumus discere,

---

(¹) E. subdit dicens. (²) E. dicat: omnis.

nisi per auditum, visum, etc. — *Per questo.* Hic Beatrix confirmat dictum suum exemplo sacræ scripturæ, quæ utitur tali modo loquendi figurato in Deo et intelligentiis, dicens: *Per questo,* idest, ob istam causam, *la Scrittura,* quæ est ipsa Beatrix, *condescende a vostra facultate,* idest, scientiæ humanæ, *e attribuisce a Dio e piedi e mano,* sicut dicitur principio Genesis quod Dominus Deus [1] ambulabat per paradisum, et quod manus eius fecit hominem, et ita de multis; *et altro intende,* quia per manum intelligit potentiam [2] et operationem, per pedem amorem et affectionem. Et hic nota quod poeta optime dicit, quia spiritualia non possunt nobis manifestari nisi per sensibilium similitudinem; nec talis modus persuadendi despiciendus est secundum Augustinum de doctrina christiana; imo est pulcerrimus modus loquendi. Hoc idem facit de angelis, qui sunt similes Deo; unde dicit: *e santa chiesa,* scilicet, apostolica militans Deo in mundo, *vi rappresenta con aspetto umano,* idest, in facie hominis, *Gabrielle,* qui interpretatur fortitudo Dei, ideo [3] mittitur ad Mariam, *e Michele e l' altro,* scilicet, tertium angelum Raphaelem, qui interpretatur medicina Dei, ideo mittitur ad Tobiam; unde dicit: *che Tobia rifece sano,* cum esset pauper, senex et cæcus. Sed ne aliquid remaneat minus clarum, est brevissime summanda historia, quæ est notissima apud christianos, et non admittitur ab hebræis. Tobias ergo fuit galilæus, vir justus, pius, timens Deum, qui captivus in civitate Ninive semel fatigatus sepultura unius sui hebræi interfecti, dum vellet parum requiescere stercora calida hirundinum ceciderunt in oculos eius et factus est cæcus. Sed Tobias in adversitate sua patientissimus semper gratias egit Deo. Tandem cre-

---

(1) E. Deus Pater omnipotens ambulabat.
(2) 4, sapientiam et operationem.
(3) S. idest, mittitur. — 4, inde mittitur.

dens se propinquum morti commisit filio (1) Tobiæ ut iret in Rages civitatem medorum ad exigendum certum debitum a quodam hebræo, cui nomen erat Gabelus. Angelus autem Raphael in forma pulcri (2) juvenis apparens sociavit istum juvenem fideliter; et in itinere duxit eum ad domum cuiusdam Raguelis viri hebræi habentis filiam nomine Saram, quæ habuerat septem viros, quos omnes dæmon necaverat prima nocte. Et fecit angelus Raphael, quod Raguel dedit filiam in uxorem Tobiæ cum dote magna; deinde exegit debitum a Gabelo, et reduxit juvenem uxoratum et ditatum sospitem ad patrem. Et ipse Tobias filius fugavit cæcitatem a patre cum felle unius piscis, cum quo fugaverat dæmonem ab uxore. Et Tobias pater vixit diu sanus (3), et tandem mortuus est felix in civitate Ninive, et prædixit in morte destructionem Ninive et reversionem hebræorum in terram Domini. — *Quel.* Nunc Beatrix removet causam erroris a Dante, et dicit breviter quod non est simile de sententia Platonis ad apparitionem umbrarum, quia talis apparitio ficta est poetice ad repræsentandum distinctionem animarum, quæ solvantur sub varia inclinatione planetarum. Opinio vero Platonis videtur simpliciter velle quod animæ in morte revertantur ad stellas suas. Dicit ergo: *Quel che Timeo,* idest, libellus Platonis, quem Plato intitulavit et denominavit ab amico suo (4). Fuit enim Timæus de civitate Locrorum, quæ fuit olim florentissima civitas Calabriæ. Et hic Timæus obtinuit arcem (5) sapientiæ eo tempore quo venit Plato in Italiam, ut scribit Plato in dicto libello; *dell' anime argomenta,* idest, arguit de reversione animæ ad stellas, *non è simile a ciò che qui si vede,* sub umbra, *perocchè, come dice, par che senta,* quasi dicat: videtur quod sententia Platonis sit talis de virtute sermonis. —

(1) 4, filio suo Tobiæ. (2) 4, pulcerrimi. (3) E. sanctus.
(4) E. suo Timæo qui fuit de civitate. (5) 4, artem sapientiæ.

Dice. Hic declarat ipsam sententiam Platonis secundum sonum verborum. Et ad huius literæ fortis intelligentiam est advertendum notanter, quod opinio Platonis, Socratis et Academicorum fuit, animas descendere a comparibus stellis, et post mortem reverti ad compares stellas. Stella autem compar vocabatur illa cuius motor in nativitate dat semina vitæ et intellectus; et sic posuit animam descendere a cœlesti corpore ad corpus terrestre. Sicut ergo elementa revertuntur ad suas origines, sic(1) animæ ad suam originem cœlestem: et dixit in anima esse omnem habitum virtutis et scientiæ, et isto modo studia et assuefactiones non conferunt aliud intellectibus et affectibus, nisi quod removent contrarium impediens; sicut videmus in ebrioso et epileutico; sed veritas est quod per studium et assuefactionem hæc omnia acquiruntur. Dicit ergo: *Dice,* scilicet, ille Timæus, *che l' alma,* idest, anima humana, *alla sua stella riede,* post mortem corporis, *credendo quella essere decisa quindi,* scilicet stella sua, *quando natura per forma la diede,* ipsi corpori organico tempore nativitatis. — *E forse.* Hic Beatrix nititur salvare (2) opinionem Platonis, et reducit ipsam ad sanum intellectum, scilicet, quod actus humani qui sequuntur causantur a cœlo, et a motibus et aspectibus stellarum. Dicit ergo: *E forse sua sentenzia è d' altra guisa,* idest, alterius formæ, *che la voce non suona,* idest, quam litera vocalis sonare videatur. Et loquitur prudenter sub dubitatione, quia de rei veritate ista videtur fuisse opinio Platonis, quæ fuerat antea Pythagoræ, et magni sapientes videntur sic sentire, sicut Tullius, Virgilius; imo Boetius christianissimus videtur fuisse istius opinionis. Ideo autor corrigit dictum Platonis, dicens: *et esser puote con intenzion da non esser derisa,* quia non erronea, non absona

(1) E. sic et anima ad. (2) 4, servare.

a fide. Et ecce quomodo: quia, *forse suo arco,* idest, os Platonis, quod emittit sermonem suum tanquam sagittam acutam, *percuote in alcun vero,* idest, forte tangit aliquid veritatis, *s' egl' intende l' onor dell' influenzia e 'l biasmo tornar a queste ruote,* idest, stellis, ita quod inclinatio ad virtutem et vitium adscribatur (1) astris. Et hic nota quod poeta loquitur valde caute, quia dicit sub dubitatione et pro parte, licet enim primi motus sint a cœlo, non tamen semper. Nota etiam, ne autor videatur tibi vane somniasse, quod Plato magnus metaphysicus fuit etiam poeta; ideo multa tradidit per metaphoras et similitudines: et ut ego sequens autorem sub dubitatione loquar, forte Plato loquutus est secundum communem modum loquendi, hic est filius solis vel lunæ et talis redivit ad astra. — *Questo.* Hic ultimo Beatrix concludit inconveniens quod olim natum est opinione (2) Platonis, dicens: *Questo principio,* idest, dictum Platonis, quod ponebatur a philosophis antiquis tamquam principium per se notum, *mal inteso,* juxta literam tantum, *torse,* scilicet, in errorem magnum, *già tutto 'l mondo quasi,* bene dicit, quia olim ante adventum (3) Christi omnes gentes mundi præter unam nationem tantum colebant planetas pro diis. Unde dicit: *sì che trascorse,* ipse mundus, *a nominar Giove, Mercurio e Marte;* sicut enim scribitur in Timæo, anima est semen Deorum stellas moventium; unde Plato dixit a principio notanda (4) esse opera puerorum, qui statim videntur ostendere ad quæ exercitia scientiarum et artium ex natura comparis stellæ magis sunt habiles. Ideo Chaldæi, Ægyptii, et Persæ dicebant quod benevoli procedebant a Jove, iracundi a Marte, literati a Mercurio, luxuriosi a Venere, contemplativi a Saturno.

---

(1) E. adscribuntur. (2) E. ex opinionibus.
(3) E. adventum Domini nostri Jesu Christi.
(4) 4, notanda sunt.

L' altra dubitazion. Ista est tertia pars generalis, in qua Dantes procedit ad solutionem primæ dubitationis; et primo præmittit quare distulerit solutionem illius, dicens: *L' altra dubitazion,* scilicet prima, *che ti commuove,* idest, perturbat mentem tuam, *ha men veleno,* quia non posset inficere animam hæretica pravitate; unde dicit: *sì che sua malizia non ti potria menar da me altrove,* idest, a veritate sacræ scripturæ in ignorantiam falsam. Et confirmat dictum suum per notabilem sententiam, dicens: *la nostra giustizia,* scilicet, divina, quæ est semper vera, *parer ingiusta agli occhi de' mortali,* idest, intellectibus hominum infirmis, *è argomento di fede,* scilicet, christiana, *e non d' eretica nequizia,* quia bonus homo credit firmiter Deum esse semper justum, licet videat sæpe (1) aliqua opera iniustissima; et sic credit quod non videt, quod est argumentum fidei. Et promittit solutionem, dicens: *ma io ti farò contento,* de isto dubio, *come desiri,* æqualiter sicut desiderabas fieri de jam dicto, *perchè vostro accorgimento,* idest, ingenium humanum cum scientia seculari, *puote ben penetrare a questa veritate.* Nam Aristoteles tertio Ethicorum pulcre pertractat istam veritatem de voluntario et involuntario (2). — *Se.* Nunc Beatrix incipit solvere dictam quæstionem, et arguit per diffinitionem violenti, quod istæ mulieres non possunt omnino dici violentatæ. Et ad intelligentiam huius literæ est prænotandum quod voluntarium dicitur cuius principium est in ipso operante; involuntarium e contra est cuius principium est * ab extra quod fit dupliciter, vel per violentiam vel per ignorantiam; violentum est cuius principium est * (3) extrinsecus, ita quod patiens nihil conferat violentanti; sicut si homines potestatem habentes

(1) E. semper.
(2) E. ut ibi dicitur. — *Se.* Nunc.
(3) Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri tre Codici.

asportent aliquam [1] contra suam voluntatem, sicut patuit in Picharda, in qua fuit violentia pura. Ignorantia invincibilis est cuius homo non habet principium voluntarium, ad quam sequitur tristitia et pœnitudo: unde peccans per ebrietatem non excusatur, imo meretur duplicem pœnam, ut dicit philosophus: similiter cum quis ignorat illud quod debet facere vel vitare per negligentiam non excusatur. Dicit ergo Beatrix: *Se violenza è,* si, pro quia, quia sic est, *quando quel che pate,* idest, substinet violentiam, *niente conferisce a quel che sforza,* idest, vim agenti [2], *queste alme,* scilicet Picharda et Constantia, *non fur escusate per essa,* scilicet violentiam. — *Chè.* Hic Beatrix ad confirmationem dicti sui probat quod voluntas sit semper libera per naturale exemplum, dicens: *Chè volontà, se non vuol, non s' ammorza,* nam voluntas nec dari potest invito, nec auferri; *ma fa come natura face in foco,* qui naturaliter semper tendit sursum ratione suæ levitatis, *se mille volte violenza il torza,* sicut si violentia venti deflectat ipsum nunc ad hanc partem nunc ad illam; et est optima similitudo, quia mens humana naturaliter tendit ad cœlum more ignis; unde Virgilius: *Igneus est illis vigor et cœlestis origo;* ideo subdit: *perchè s' ella,* scilicet, voluntas, *si piega assai o poco,* per vim vel metum, *segue la forza,* consentiendo, *e così queste,* scilicet, dominæ, *fero,* post violentationem, *possendo rifuggir nel santo loco,* ad [3] monasterium ubi voverant sanctam continentiam. — *Se fosse.* Nunc probat per exemplum humanum, quod voluntas est inviolabilis, primo, exemplo christiani, secundo pagani. Ad quod sciendum, quod Laurentius fuit natione hispanus tempore Decii sævissimi imperatoris, qui ut notum est omnibus post multa genera crudelium tor-

---

(1) S. aliqua contra. — E. aliquem contra.
(2) E. agenti non confert, *queste.*
(3) E. scilicet ad.

mentorum, tandem super craticula assatus, cum summa patientia grates agebat Altissimo. Et quia autor poterat dicere: hoc fecit vir sanctus juvante virtute divina; ideo adducit aliud exemplum viri pagani, qui non pro æterna gloria sed terrena idem fecit. Sicut enim scribit Livius libro secundo: Porsenna rex potens et famosus in Tuscia volens reducere Tarquinum superbum in regnum, clausit Romam arcta obsidione per terram et aquam; et cum speraret in brevi obtinere urbem per inopiam victualium, quidam nobilis juvenis romanus nomine Mutius, moleste ferens hanc indignitatem, cum licentia Senatus, abscondito cultello, transivit in castra ad locum ubi rex sedens pro tribunali dabat stipendia militibus, et cancellarius sedens juxta eum quasi in pari habitu ornatus. Mutius timens inquirere quis duorum esset Porsenna, ne ignorando regem manifestaret se, irruit quo fortuna traxit eum, et occidit scribam pro rege; et fugiens per turbam territam, faciebat sibi viam cum gladio sanguinolento. Sed finaliter concurrente multitudine captus ductus ante conspectum regis intrepidus dixit verba alta animose; scilicet, quod erat Caius Mutius civis romanus, qui hostis venerat occidere hostem paratus ipse mori, quia proprium esset romanorum facere et pati fortia, et quod multi similes venirent ad hunc honorem. Rex, accensus ira et territus periculo, mandavit ut portaretur ignis ad tormentum, ut detegeret insidias. Tunc Mutius factus animosior dicens corpus esse vile his qui magnam gloriam petunt, iniecit sponte manum in focum, et illam comburens videbatur alienatus a sensu. Et continuo rex stupefactus miraculo mandavit ut juvenis removeretur ab igne, crudeliora in se quam in eum ausus. Tunc Mutius quasi remunerans meritum regis sponte dixit, quod trecenti principes romanæ juventutis coniuraverant contra eum in simili forma. Sic Porsenna facta pace cum

romanis recessit ab obsidione. Nunc ad literam dicit Beatrix: *Se fosse stato il lor voler intero,* idest, si voluntas illarum dominarum fuisset infracta, *come tenne Lorenzo,* qui laurus virens non aruit ad ignem, *in su la grada, e fece Muzio alla sua man severo,* idest, rigidum. Et hic nota quod hic vir fuit vere fortis, et fecit actum veræ fortitudinis; primo, quia fecit ex electione et deliberate; secundo, quia ad bonum finem, scilicet pro patria et libertatis defensione; tertio, quia fuit fortis in invadendo, in fugiendo, et in substinendo; nam sponte subivit pœnam ignis, qui est magis afflictivus quam aqua; *così l' avria ripinte per la strada,* illud velle integrum illas dominas, *onde eran tratte,* violenter et libenter retraxisset ad religionem, *come furo sciolte,* in libertate sua. Et ad aliqualem excusationem ipsarum addit: *ma così salda voglia è troppo rada,* in viris fortibus, nedum in mulieribus. Et concludit Beatrix: *e per queste parole, se ricolte l' hai come dei,* cum attentione in mente tua, *è l' argomento casso,* quod faciebas contra me de diminutione meriti, *che t' avria fatto noia ancor più volte.*

Ma or ti s' attraversa. Ista est quarta et ultima pars generalis, in qua Beatrix removet dubitationem quæ oritur circa prædicta; et primo difficultatem contradictionis, dicens: *Ma or ti s' attraversa un altro passo,* idest, dubium magnum, *dinanzi agli occhi,* scilicet, intellectualibus, *tal,* idest, tam difficile, *che per te stesso,* sine me, *non n' usciresti, pria saresti lasso,* idest, fatigatus in animo. Et tangit ipsum dubium quod oritur ex duobus dictis superius: et vult sententialiter dicere, quod dictum Pichardæ et dictum Beatricis videntur contradictoria: nam Picharda in capitulo præcedenti dixit, quod Constantia semper retinuerat bonam voluntatem, et Beatrix dixit hic quod nec Constantia nec Picharda habuerunt integram voluntatem. Hoc autem videtur nimis inconveniens,

quia Picharda beata non potest mentiri, et Beatrix scientia veritatis nunquam potest dicere falsum. Dicit ergo Beatrix autori: *Io t' ho per certo,* idest, certe, sine dubio, *nella mente messo,* quia dixit superius quod crederet dictis animabus sicut Diis, *ch' alma beata non poria mentire;* et causam assignavi, *però che sempre al primo vero è presso,* idest, apud Deum, qui est ipsa veritas: ergo (1) Picharda dixit verum tibi: unde dicit: *e poi potesti da Piccarda udire,* quando loquebatur tibi supra, *che Costanza tenne l' affezion del velo,* scilicet, in corde (2); et similiter ipsa Picharda, *sì ch' ella par qui meco contradire,* quia dixi tibi quod istæ duæ non habuerant (3) voluntatem perfectam. — *Molte.* Hic Beatrix removet contradictionem per unam distinctionem de voluntate simplici, et secundum quid. Voluntas simplex est voluntas absoluta; voluntas secundum quid est voluntas respectiva. Modo tales operationes, licet simpliciter absolutæ sint voluntariæ, tamen sunt voluntariæ secundum quid, et per tales meremur laudem vel vituperium, sicut patet in pueris qui timore verberum vadunt ad scholas, et bene discunt et laudantur, licet plus laudarentur si sine timore pœnæ hoc facerent; qui autem obstinati nullo modo volunt discere vituperantur. Similiter operantes bonum propter timorem pœnæ laudantur non simpliciter sed respectu illorum qui nullo modo sunt reducibiles ad virtutem; vel etiam laudantur non propter præsens, sed propter spem futuri. Dicit ergo Beatrix autori: *O frate, molte fiate già addivenne,* multis hominibus, *che si fe' di quel che far non si convenne,* puta aliquid turpe vel inhonestum, sicut patuit in Petro, qui negavit (4) Christum; vel sicut dicit Aristoteles de filio qui verbe-

---

(1) E. ergo et Picharda. (2) E. in corpore; et. (3) E. habuerunt.
(4) E. negavit Dominum nostrum Jesum Christum Redemptorem pretiosissimum; vel sicut.

rat patrem, ut alii salventur. Ideo dicit: *per fuggir periglio,* idest, causa vitandi periculum, *contro a grato,* idest, contra voluntatem; sicut avarus proiicit merces tempore tempestatis ut salvetur. Et confirmat dictum suum exemplo manifesto Alcmæonis, qui mactavit matrem in ultionem patris, de quo facta est mentio alibi jam bis; et Aristoteles exemplificat etiam de eo. Dicit ergo: *come Almeone che, di ciò pregato dal padre suo,* scilicet, Amphiarao famoso augure, *spense,* idest, interfecit, *la propria madre,* scilicet Eriphylem quæ prodiderat eum ad mortem. Et dicit: *per non perder pietà si fe' spietato;* pietas enim est amor ad parentes; modo Alcmæon ut servaret pietatem erga patrem usus est impietate erga matrem. Idem fecit Orestes, de quo dicetur in capitulo sequenti. — *A questo.* Hic Beatrix persuadet autori, ut consideret circa prædictum passum cum distinctione pro declaratione sua, dicens: *A questo punto voglio che tu pense, che la forza si mischia al voler,* et sic fit voluntas mixta, *e fanno sì che scusar non si posson le offense,* idest, peccata; unde subdit: *voglia assoluta non consente al danno,* idest, peccato, et si consentit, efficitur tunc mixta; unde dicit: *ma consentevi in tanto, in quanto teme cader in più affanno,* scilicet, in maius damnum, sicut patet in eo qui violavit virginem, qui ut evadat a morte desponsat eam, quam nunquam aliter desponsasset. Et sic patet quod voluntas coacta voluntas est. Et hic nota quod si sit timor cadens in constantem virum excusat in foro civili et etiam in foro morali, sed non omnino apud Deum; sæpe etiam est laudabile non cedere timori, quia scilicet melius est diligere honestum, quam timere pœnam: tales ergo operationes sunt quodammodo voluntariæ, quodammodo involuntariæ. — *Però.* Hic Beatrix præmissa distinctione necessaria concludit solutionem quæstionis verificans utrumque dictum, dicens:

Però quando Piccarda quello spreme, scilicet, quando dixit supra, quod Constantia retinuit velum, *intende della voglia assoluta,* quia non simpliciter consensit abstrahentibus, sed secundum quid, scilicet ratione timoris; *et io dell' altra,* scilicet, voluntate respectiva intelligo quando dixi quod vota istarum fuerunt aliqualiter diminuta, quia secundum quid sequendo violentiam non redeundo ad locum, *sì che ver diciamo insieme,* et imponit finem orationi Beatricis, dicens: *cotal fu,* quale dictum est, scilicet, tam pulcrum et subtile, *l' ondeggiar del santo rio,* idest expansio (1) sermonis, *ch' uscì del fonte,* sacræ theologiæ, *onde ogni ver deriva,* quia hæc est scientia veritatis, ut statim dicetur. — *O amanza.* Nunc ultimo Dantes subannectit aliud dubium, cuius solutionem reservat in sequens capitulum, et magna arte facit exordium, in quo reddit eam benevolam ad dicenda, quia timebat se reddere onerosum illius (2) loquendo tantum de tali materia. Dicit ergo: *Diss' io appresso,* immediate illi Beatrici finita oratione sua: *O amanza del primo amante,* idest, Dei, *o diva,* idest, o scientia divina divinitus infusa, *il cui parlar m' inonda,* idest, irrigat mentem meam aridam, *e scalda sì,* ubi eram timidus et tardus ad petendum de meis dubiis, *che più e più m' avviva,* idest, vigorat (3), *non è l' affezion mia tanto profonda,* idest, sufficiens et digna, *che basti a render voi grazia per grazia,* pro beneficio recepto pro tam pulcra declaratione, *ma Quei che vede,* idest, Deus, qui cernit affectiones hominum, *e puote,* et (4) vult et scit reddere condignum (5), *a ciò risponda,* pro me. — *Io.* Hic autor ad excusationem suam probat quod non est mirum si post unum dubium, insurgit alterum, dicens: *Io veggio ben che giammai non si sazia nostro intelletto,* scilicet, humanus, *se 'l*

(1) E. expansio sancti sermonis. (2) E. illi loquendo. (3) E. vegetat.
(4) E. et etiam vult. (5) E. congruum.

ver non lo illustra, idest, illuminat, *di fuor dal quale,* idest, summo vero, *nessun vero si spazia.* Deus enim est finis omnium aliorum, et nihil est bonum nisi per causam finalem. Ideo subdit: *posasi in esso,* ipse intellectus noster in ipso vero primo, *come fera in lustra;* et est optima metaphora: sicut enim fera diu vagatur et venatur per sylvam, et post omnes labores requiescit in antro; ita intellectus in mundo diu speculatur et contemplatur, et numquam quiescit nisi in ipso fine suo; ideo dicit: *tosto che giunto l'ha,* idest, statim cum apprehenderit ipsum verum. Et addit: *e giunger puollo;* bene dicit, nam impossibile est procedere in infinitum in causis finalibus, eo quod desiderium humanum esset vacuum et inane, ut patet secundo metaphysicæ; *se non ciascun disio sarebbe frustra;* cum tamen naturaliter omnes desiderent scire. — *Nasce.* Hic autor ostendit quomodo de natura intellectus est inquirere et investigare ultimum finem, qui est felicitas procedendo de una veritate cognita ad aliam cognoscendam. Dicit ergo: *Il dubbio nasce per quello,* scilicet, intellectum, *appiè del vero,* quasi dicat, quod una dubitatione succisa in intellectu renascitur alia, *a guisa di rampollo,* idest, pullonis sive plantæ, quæ de novo nascitur naturaliter arbore succisa; *et è natura ch' al sommo pinge noi,* idest, ad summam veritatem et felicitatem impellit nos, *di collo in collo,* idest, de gradu in gradum. Et hic nota quod natura dat entibus per quod possunt attingere suos fines, aliter operaretur frustra. Ergo homo potest consequi finem suum, qui est felicitas per virtutes operando et sapientiam speculando: homo enim natus est ut fiat felix; sapientia ergo supponit virtutes morales et intellectuales, sicut finis in ea quæ sunt ad finem; ideo dicitur postrema via doctrinæ. — *Questo.* Hic ultimo Dantes ex præmissis elicit intentionem suam, dicens: *Questo,* scilicet, naturale desiderium, *m' invita, questo*

m' assicura, ubi eram timidus, *o donna,* quæ dominaris aliis scientiis, *a dimandarvi d' un' altra verità,* circa eamdem materiam, *che m' è oscura,* et ecce: *io vo' saper se l' uom può sodisfarvi ai voti manchi;* qualia fuerunt vota Pichardæ et Constantiæ, *sì con altri beni,* puta jeiuniis, et eleemosinis, *ch' a la vostra stadera,* idest, justitiæ, *non sian parvi.* Et subdit actum (1) Beatricis quæ optime disposuit eum ad dicenda, dicens: *Beatrice mi guardò con gli occhi pieni di faville d' amor,* qui continuo crescit in ea, et magis accendit eum, *con sì divini, che, vinta mia virtù,* humana, *diedi le reni,* idest, verti tergum, *e quasi mi perdei con gli occhi chini,* quia oculi mei gravati sunt nimio splendore oculorum eius.

(1) E. actionem.

CANTUS QUINTUS, *in quo multa declarantur de voto, et ponitur ascensus in speram Mercurii.*

S' io ti fiammeggio nel caldo d'amore. Postquam [1] in superiori capitulo præcedenti post duo dubia soluta movit unum tertium dubium circa finem in facto voti, nunc consequenter in isto V capitulo pertractat illud dubium, et describit suum ascensum ad speram Mercurii. Et præsens capitulum potest breviter dividi in quatuor partes generales; in quarum prima autor ostendit qualiter Beatrix solvit dubium in generali. In secunda removet dubitationem et facit declarationem circa solutionem factam, ibi: *Tu se' omai.* In tertia dat unum salutare et utile documentum circa materiam voti, ibi: *Non prendano.* In quarta et ultima intrat novam materiam Mercurii, ibi: *Così Beatrice.* Ad primum veniens dico quod autor pertractat istud dubium in generali, sed primo tangit bonam dispositionem Beatricis et sui; unde continuans dicta dicendis introducit ipsam Beatricem, quæ tangit causam quare oppresserit eum nimietate splendoris, et incipit sic: *S' io ti fiammeggio,* idest, inflammo te radiis sapientiæ meæ, *nel caldo d'amore,* idest, amore ardenti, divino, *di là dal modo che 'n terra si vede* [2], quasi dicat: ultra morem humanum, quia talis splendor non invenitur in terris, *sì che degli occhi tuoi vinco 'l valore,* idest, virtutem et potentiam visivam, sicut patuit in fine capituli præcedentis, *non ti maravigliar,* quasi dicat, non debes mirari, vel dubitare de hoc; *chè ciò procede da perfetto vedere,* intellectus depurati, *che come apprende,*

(1) E. Postquam autor in superiori cantu.
(2) E. *vede,* idest ultra morem humanum, quasi dicat, quia.

idest, secundum quod plus cognoscit, *così nel bene appreso muove il piede,* idest, affectionem in ipsum bonum cognitum, quia continuo magis tendit in altum. — *Io.* Hic Beatrix declarat in eo quod dixit, dicens: *Io veggio ben sì come già risplende nell' intelletto tuo l' eterna luce,* scilicet, veritatis; et dicit: *che vista sola e sempre amor accende.* Et hic nota bene, quod ista litera potest intelligi in sensu composito et in sensu diviso. In sensu composito dupliciter; uno modo, sic: *che,* idest, quam lucem æternam, *sola vista,* idest, sola visio intellectualis accendit; sed ista expositio videtur impropria, quia visio humana non accendit lucem æternam, sed potius e contrario: alio modo, sic: *che vista sola,* idest, quæ lux æterna visa sola, ita quod *lì visa* ponatur participialiter non nominaliter; et ista expositio etiam non videtur posse stare, quia illud *et* non habet quid (1) copulet, et oratio est semper suspensiva; ideo ista litera est intelligenda in sensu diviso, ita ut exponatur, *che,* idest, quæ lux æterna, *vista,* idest, stat ibi in intellectu tuo, *sola,* idest, sine alia affectione impediente, quia intellectus autoris erat penitus depuratus et datus contemplationi divinorum; ideo dicit: *sempre accende amor,* idest, in intellectu tuo, quia continuo semper inardescis in amore æternæ veritatis; et ista videtur intentio literæ, sicut patet ex verbis præcedentibus et sequentibus; unde subdit quod nihil cadit in intellectum (2), nisi saltem habeat colorem veri. Dicit ergo: *e s' altra cosa,* idest, si alia veritas apparens, *vostro amor seduce,* idest, trahit vos in amorem sui, *non è, se non alcun vestigio,* idest, quoddam signum apparens, *di quella,* scilicet, lucis et veritatis æternæ, *mal conosciuto,* quia apprehenditur tamquam bonum, cum tamen non sit; ideo dicit: *che traluce quivi,*

(1) 4, quo copulet. (2) E. in intellectu.

idest, transparet umbraliter (1) ibi in mundo, quia nihil potest amari nisi bonum vel apparens bonum, ut sæpe dictum est et dicetur. — *Tu.* Nunc Beatrix præmisso exordio descendit ad dubium; et primo proponit ipsum, dicens: *Tu vuoi saper, se con altro servigio,* scilicet, bono, *si può render tanto,* scilicet, Deo, *per manco voto,* idest, defectivum, quale fuit votum Pichardæ et Constantiæ, *sì che sicuri l' anima,* idest, securet, vel securam faciat animam, *di litigio,* ita quod non obiiciatur sibi ad culpam in judicio æterni judicis. Et subdit processum Beatricis ad solvendum dubium, dicens: *Beatrice cominciò,* scilicet, a repetitione dicti dubii, *questo canto,* idest, præsens capitulum, *e continuò così il processo santo,* a simili, *sì com' uom che suo parlar non spezza,* idest, qui non intermittit (2) narrationem suam interponendo aliud, vel alium sermonem. — *Lo maggior.* Hic Beatrix volens solvere dubium, præmittit quædam necessaria ad solutionem voti; et primo libertatem arbitrii, in qua tota fundatur votum: unde de jure civili servus non potest se obligare, quia non habet voluntatem, unde reputatur mortuus civiliter. Extollit ergo magnifice istud nobile principium, dicens: *Lo maggior dono che Dio fesse creando per sua larghezza,* idest, magna liberalitate, *e più conformato alla sua bontate,* quia Deus est liberrimus, et libere agit, *e quel ch' ei più apprezza,* quia per ipsum homo fit simillimus Deo, *fu la libertate della volontà.* Et hic nota bene quod Sextus Pythagoricus, ut refert Augustinus, dixit: libertatem arbitrii dedit Deus hominibus, ut pure et sine peccato viventes similes fiant Deo. Nam, ut idem dicit, vir castus et sine peccato accepit a Deo effici filius Dei; templum enim Domini est mens pura, et altare optimum est (3) ei cor mundum. Ergo, ad bene vi-

(1) E. umbratiliter. (2) E. intermittit, aliter interimit narrationem.
(3) 4, est enim cor mundum.

vendum et recte agendum datum est homini liberum voluntatis arbitrium. Melior enim homo est qui voluntate magis quam necessitate bonus est. Et dicit: *di che,* idest, qua libertate arbitrii, *le creature intelligenti,* idest, rationales, sicut angeli et homines, *furo e son dotate e tutte,* quantum ad individua, *e sole,* quantum ad speciem, sicut a simili, si dico omnes homines sunt rationales, idest, sola species humana inter animalia est rationalis. — *Or.* Hic Beatrix præmisso uno fundamento ostendit quale debeat esse votum perfectum. Ad cuius intelligentiam oportet prænotare quod votum est quasi quidam contractus quo homo paciscitur cum Deo. Ad contractum autem juste celebrandum requiruntur multa, scilicet personæ contrahentium, res super qua fit contractus, et mutuus consensus. Modo ad propositum in voto contrahentes sunt Deus et homo; res contracta est (1) peregrinatio, jeiunium et similia; et consensus Dei et hominis necessario requiritur. Et (2) tu dices: quomodo sciam si Deus consentit? respondeo: si justum est, sicut in pacto temporali ait prætor, pacta servabo bona fide facta non in fraudem. Nunc ad literam dicit Beatrix: *Or ti parrà l'alto valor del voto,* idest, magna virtus, *se tu argomenti quinci,* idest, si tu arguis ab ista arbitrii voluntate, *se è sì fatto,* idest, tam legitime contractum, *che Dio consenta quando tu consenti,* idest, acceptet votum tuum exaudiendo; et ecce quomodo: *chè vittima fassi,* idest, sacrificium gratum Deo, *di questo tesoro,* idest, caro dono libere oblato Deo, *tal qual io dico,* dedicando mentem Deo et obligando se sponte illi; unde dicit: *e fassi col suo atto,* idest, cum actu ipsius voluntatis liberæ, *nel fermar il patto,* idest, votum, *tra Dio e l'uomo.* — *Dunque.* Hic ultimo Beatrix ex præmissis elicit suam conclusio-

(1) E. est ut peregrinatio, jeiunium, continentia et similia.
(2) E. sed tu dices.

nem, scilicet quod homo non potest absolvi nisi servato pacto; unde dicit: *Dunque che render puossi per ristoro?* idest, pro compensatione? quasi dicat: nihil. Quod declarat, dicens: *se credi bene usar,* idest, juste convertere in usus tuos vel alterius, *quel c' hai offerto,* idest, promisisti Deo in solemni voto, *vuoi far buon lavoro,* idest, justum opus, *di mal tolletto,* idest, de eo quod iniuste abstulisti Deo; sed de alieno largiri species furti est, ut ait Salomon.

Tu se' omai. Ista est secunda pars generalis in qua Dantes removet quæstionem quæ nascitur ex solutione facta, et facit declarationem circa votum. Et primo Beatrix volens solvere dubium continuat præcedentia ad sequentia, et facit autorem attentum ad dicenda, dicens: *Tu se' omai certo del maggior punto,* quæstionis propositæ, *ma perchè santa Chiesa,* romana, *in ciò dispensa,* commutando rem pro re, *che par contra lo vero ch'io t' ho scoperto,* dicendo quod nihil potest reddi pro compensatione, *convienti ancor sedere un poco a mensa,* idest, oportet adhuc te attendere modicum ad doctrinam meam quæ cibat animum tuum; et ecce causam, *però che 'l cibo rigido ch' hai preso,* idest, materia voti nondum bene digesta, *richiede ancora aiuto a tua dispensa;* quasi dicat: indiget (¹) adhuc declaratione circa dispensationem voti; ergo, *apri la mente,* ut conserves, *a quel ch'io ti paleso,* idest, propalare (²) intendo, *e fermalvi entro,* ne labatur de facili a memoria; et ecce causam, *chè avere inteso senza lo ritenere,* idest, intelligentia sine memoria, *non fa scienza.* Bene dicit, quia scientia est habitus acquisitus; unde videmus multos habentes magnum ingenium non proficere in scientia, quia negligunt et non faciunt habitum in ea. — *Due.* Hic Beatrix pro responsione præ-

(¹) E. indiges. (²) E. propalare tibi intendo.

mittit ex quibus consistit votum, et dicit, quod votum constat ex duobus, scilicet, ex materia et forma: materia est ipsa res ex qua fit, forma est ipsa conventio; unde dicit: *Due cose si convengono all' essenza,* idest, ad substantiam, *di questo sacrificio,* scilicet, voti, quod supra appellavit victimam, *l' una è quella di che si fa,* et hæc est materia, *l' altra è la connuenza,* idest, conventio, et hæc est forma. Et verificat dictum suum, quantum ad formam, dicens: *questa ultima,* scilicet, conventio, *giammai non si cancella,* idest, non remittitur, *se non servata,* per solutionem debiti, quia solutione eius quod debetur omnis tollitur obligatio, *e intorno di lei sì preciso di sopra si favella,* quasi dicat, ubi dixi supra simpliciter quod votum non poterat tolli, habui respectum ad conventionem, quæ est forma voti, et forma est quæ dat esse rei et conservat eam in esse. Et probat dictum suum per legem antiquam, quæ fuit figura novæ, dicens: *però necessitato fu,* idest, necessario impositum, *agli ebrei,* per Moysem ex præcepto Domini, *pur l' offerire,* sicut patet in Exodo et Levitico, *ancor ch' alcuna offerta si permutasse,* sicut filius Abræ in arietem; et dicit, *come saper dei,* quia verus christianus et theologus debes scire utramque legem. — *L' altra.* Hic Beatrix verificata solutione sua de re impermutabili verificat ipsam de permutabili, dicens: *L' altra,* scilicet res, *che t' è aperta,* idest, jam manifestata tibi, *per materia,* scilicet voti, ex qua fit, *puote bene esser tal,* idest, ita conditionata, *che non si falla,* idest, non erratur, *se con altra materia,* idest re, *si converta;* sicut, jeiunium in eleemosinam. Et hic nota, quod ad commutationem voti legitime (1) faciendam, tria principaliter requiruntur: primum, autoritas superioris; secundo (2), melioratio rei; tertio (3), causa legitima, sicut si vovens

(1) E. liberrime. (2) E. secundum. (3) E. tertium.

sit senex, debilis vel infirmus; vel si ex ipsius absentia turbatio timeatur in terra. Unde circa primum admonet nos, dicens: *ma alcun,* qui votum fecerit, *non trasmuti* temere, *carco,* idest, votum, quod est grave onus, *alla sua spalla,* licet, gravet eum, *per suo arbitrio,* quod est liberum, *senza la volta della chiave bianca,* idest, argentea, *e della gialla,* idest, aurea, quasi dicat, sine licentia pastoris, qui habeat autoritatem et scientiam solvendi et ligandi, quæ figurantur (¹) in clavibus, sicut patet nono capitulo Purgatorii. — *E.* Hic Beatrix tangit secundam rem requisitam ad votum, scilicet, meliorationem, dicens: *E credi tu,* qui vis permutationem (²) impetrare a sacerdote, *ogni permutanza sciolta,* supple, esse, *se la cosa dimessa,* quæ erat vota vel promissa, *non è raccolta,* idest, continetur, *in la sorpresa,* idest, de novo assumpta a simili, *come 'l quattro nel sei,* idest, sicut numerus quaternarius comprehenditur sub senario numero maiori et perfectiori; quasi dicat, nisi res assumpta valeat alterum tantum cum dimidio. Et ideo addit unum notabile, scilicet, quod de re optima non potest fieri commutatio in voto, quia nihil reperitur melius vel æque bonum, sicut cum quis vovit et dedicavit suam voluntatem liberam Deo. Unde dicit: *però qualunque cosa tanto pesa,* idest, est tanti pretii, *per suo valor,* idest, bonitate, *che tragga ogni bilancia,* idest, præponderet omnibus aliis rebus, quia non reperitur alia res tam justi ponderis, *non si può sodisfare con altra spesa,* idest, aliqua compensatione vel dispensatione, sicut est votum continentiæ, qua nil melius reperitur; unde Hieronymus: *Nuptiæ replent terram, virginitas Paradisum.* Et hic nota, quod hoc tangit Constantiam et Pichardam; tamen ad excusationem Constantiæ dicebatur quod pro bono regni Siciliæ hoc fa-

---

(¹) E. figuratur. (²) E. permutationem voti impetrare.

ctum erat. Nota etiam quod Papa potest omnia et quædam alia.

Non prendano. Ista est tertia pars generalis in qua Beatrix dat unum optimum documentum, admonens nos ne simus festini vel improvidi circa votum faciendum duplici exemplo. Ad primi intelligentiam est sciendum, quod sicut patet libro Judicum, populus Israel ad tempus fuit gubernatus per judices (1) quatuor antequam per reges. Inter alios autem fuit unus vocatus Jair de civitate Galaad, qui habuit triginta filios ex uxore, et alium ex meretrice nomine Jephthe, quem fratres eiecerunt quia non erat legitimus; vel verius, quia timebant eum, cum esset vir fortissimus et pugnator, qui congregavit magnam turbam pauperum et latronum. Mortuo autem patre filii Israel, propter nova peccata idolatriæ, cum non possent resistere adversariis elegerunt Jephthe principem eorum. Jephthe ergo iturus contra hostes fecit votum Domino quod si obtineret victoriam, in reditu faceret sacrificium de eo quod occurreret sibi in porta domus suæ. Jephthe ergo victor hostium quorum viginti civitates oppresserat ex filiis Amon cum rediret cum triumpho, occurrit primo sibi unigenita filia cum sono et cantu. Qua visa doluit nimis; sed puella non recusavit fieri victima; petiit tamen ut duobus mensibus iret per montes deplorando suam virginitatem; quo facto pater immolavit eam. Et Jephthe judicavit Israel sex annis. Nunc ad literam dicit Beatrix: *Non prendano i mortali il voto a ciancia,* idest, pro truffa, quia est res gravis, imo: *siate fedeli,* vos homines, *et a ciò far non bieci,* idest, simplices, improvidi, *come fu Jefte alla sua prima mancia,* idest, primogenitæ filiæ, cum careret omni alia prole; *cui più si convenia dicer: mal feci,* idest, peccavi, male vovendo,

(1) 4, judices, et antequam.

che, servando, scilicet votum, *far peggio;* unde Josephus dicit, quod Jephthe non obtulit Deo gratum holocaustum, neque legitimum, quia si canis occurrisset sibi, obtulisset ipsum Deo; ideo fuit stultus in faciendo tale votum, et crudelius et impius in adimplendo. — *E così.* Hic Beatrix adducit aliud exemplum tractum ex historiis gentilium; et ad declarationem huius literæ satis obscuræ est sciendum, quod sicut pulcre scribit Dites Cretensis, qui asserit se interfuisse bello troiano, Agamemnon apud Aulidem insulam circa lucum Dianæ, telo transfixit capream (1); et non multo post sive ira cœlesti, sive corruptione aeris facta est pestilentia magna in exercitu græcorum sine remedio. Sed mulier quædam Deo plena dixit quod ira Dianæ hoc fiebat, quæ pœnam sacrilegii exigebat ab exercitu cuius dux capream (2) interfecerat, nec placari posse nisi immolaretur filia eius; sed cum Agamemnon obstinate contradiceret, duces spoliaverunt eum ducis honore. Ulyxes vero fictus vulpinus interim ivit Micenas cum falsis literis Agamemnonis ad Clytemnestram simulans Iphigeniam desponsandam (3) Achilli, quam mater libenter dedit cum viro clarissimi nominis nupta videretur. Ulyxe reverso cum Iphigenia ad lucum Dianæ, Agamemnon naturali pietate volebat fugere, ne tam crudeli immolationi interesset, licet Nestor rex amplissimæ autoritatis facundissima oratione retinuit (4) eum. Cum ergo Ulyxes et Menelaus cum Calchante virginem ad sacrificium adornarent orta est terribilis tempestas valde; quare Menelaus et socii in magna perplexitate nesciebant quid agerent. Et ecce vox de sylva audita est, dicens, tale genus sacrificii non placere Deæ, ideo abstinendum a corpore virginis, quia Agamemnon lueret pœnas dignas ab uxore post captam Troiam; sed immolarent

(1) E. capram.
(2) E. capram.
(3) E. desponsatam.
(4) E. retinuerit.

loco virginis quod in luco esset oblatum; et continuo cessavit tempestas: et deliberantibus cunctis stupefactis cerva pulcerrima apparuit ante aram, quam continuo immolaverunt. Et Achilles et alii clandestine destinaverunt virginem ad regem scytharum, qui tunc erat: quo facto reges venientes ad Agamemnonem mœstum consolati restituerunt ipsum ad primum honorem. Quæ res fuit gratissima exercitui, quia omnes illum velut patrem sapientissimum colebant. Qualiter autem Orestes occisa matre pervenerit ad Iphigeniam sororem suam non prosequor, quia non facit ad propositum; sed si scire velis hoc scribit Ovidius clare libro de Ponto. Sed hic nota, lector, quod secundum fabulam (1) poeta noster videtur dicere falsum; quia Agamemnon non vovit nec immolavit filiam sponte, imo semper vetuit; sed dicendum est quod autor (2) accepit hoc a Tullio qui scribit tertio Officiorum quod Agamemnon cum devovisset Dianæ, quod in suo regno pulcerrimum natum esset illo anno, immolavit Iphigeniam qua nihil erat eo anno natum pulcrius. Et primo Tusculani dicit Iphigenia in Aulide duci se immolandam jubet, ut hostium sanguis effundatur. Nunc ad literam dicit Beatrix: *E ritrovar puoi,* scilicet homines, *lo gran duca de' Greci,* Agamemnonem, *così stolto,* in vovendo sicut Jephthe. Unde Tullius dicit: *promissum potius non faciendum, quam tam crudele peccatum committendum.* Et dicit: *onde pianse Ifigenia il suo bel volto,* licet non sicut filia Jephthe, *e fe' pianger di se i folli e i savi,* quasi dicat, omnes habentes humanam affectionem, *che udir parlar di così fatto colto;* quanto magis qui viderunt! Et certe simile fecisse narratur alius dux græcus Idomeneus, qui, ut scribit Virgilius, imminente valida tempestate cum rediret a Troia, vovit se immolaturum primam rem oc-

---

(1) E. fabulam poeticam poeta noster. (2) E. autor noster accepit.

cursuram sibi; et cum primo filius occurrisset volens ipsum immolare pulsus est a cretensibus de patria. Et hic nota quod Agamemnon potest videri infelicissimus hominum; nam qui dux tot regum mactaverat filiam propriam, et tot laboribus et sumptibus bellorum vindicaverat adulterium Paridis, ipse mactatus est ab Ægistho sacerdote adulterio (1) uxoris suæ cum rediisset in patriam gloriosissimus triumphator more bovis. — *Siate.* Hic Beatrix suadet ex dictis quod non simus nimis festini, imo tardi ad votum, dicens: *O cristiani, siate più gravi a muovervi,* scilicet, ad votum, *non siate come penna ad ogni vento,* idest, non leves, non mobiles ad omnem impetum adversorum, et præcipue navigantes hoc facere solent ad parvum ventum contrarium; *e non crediate che ogni acqua vi lavi,* quia non sufficit aqua sancta ad solvendum tale debitum. Et subdit quod possumus esse præcauti in hoc, dicens: *avete il nuovo e 'l vecchio testamento,* quorum utrumque præcipit reddere quod vovetur: et si ignoratis sacram scripturam, habetis *il pastor della chiesa,* quasi dicat, prælatos prædicantes et dirigentes vos saltem verbo; ideo dicit, *che vi guida,* et ideo, *questo vi basti a vostro salvamento.* — *Se.* Hic Beatrix docet nos obviare his quæ præcipitant nos in vota, scilicet, cupiditatibus nostris, dicens: *se mala cupidigia altro vi grida,* sicut cupiditas vindictæ compulit Agamemnonem, et cupiditas victoriæ Jephthe, ad tam cæca vota; et ita cupiditas lucri compellit avarum; ergo: *siate uomini* (2); quasi dicat: regimini ratione, quæ regulat passionem, *e non pecore matte,* quæ sequuntur solam sensualitatem, *sì che 'l Giudeo,* qui habet solum vetus testamentum, et optime servat præcepta legis antiquæ, *tra voi di voi non rida;* et vere judæi mirantur multum et truffantur de chri-

---

(1) E. adultero. (2) E. *uomini*, idest, regimini.

stianis, quando vident (1) tam impie blasphemari Christum. Et concludit ne recedamus ab ecclesia per domesticum exemplum, dicens: *non fate come agnel che lascia il latte della sua madre,* et ita vos doctrinam matris ecclesiæ; *e semplice e lascivo seco medesmo a suo piacer combatte,* et sic cadit in os lupi; et ita vos ignorantes caditis in os diaboli, qui dicit, sicut dicitur fabulose, quod lupus invenit agnum solum sine matre, et comedit eum excusans se quia oportebat agnum mori, cum non posset vivere sine lacte, ut dicit Aristoteles secundo Rhetoricorum.

Così Beatrice. Ista est quarta pars generalis (2), in qua Dantes describit suum ascensum ad speram Mercurii. Et primo continuans dicta dicendis tangit dispositionem Beatricis ad novam materiam, dicens: *Così Beatrice a me,* supple, loquuta est, *com' io scrivo;* et admonitione facta, *poi si rivolse tutta disiante,* avida (3) ostendendi mihi alia, *a quella parte,* superiorem, *ove 'l mondo è più vivo,* non dicas ad orientem, sicut aliqui male exponunt, imo ad speram Mercurii, quæ est vivacior spera lunæ. Et subdit quomodo ipsa disposuerit eum ad sequentem materiam per duo signa, dicens: *lo suo tacere,* quia fecit finem sermoni, *e 'l tramutar sembiante,* quia facta est clarior et alacrior, *poser silenzio al mio cupido ingegno,* avido novitatis, *che già nuove questioni avea davante,* quasi dicat, licet alia dubia restarent discutienda circa materiam voti, tamen finem fecit, quia ordo libri non patitur plura dicere; ideo bene fingit quod Beatrix apparaverat eum ad alia. — *E sì.* Hic autor describit suum velocem ingressum in speram Mercurii per unam comparationem claram, dicens: *E sì come saetta che nel segno percuote,* cum impetu, *pria che sia la corda queta,* quasi dicat:

(1) E. quando audiunt tam.
(2) E. generalis et ultima, in qua.
(3) E. idest, avida.

valde cito; *così corremmo,* idest, cursu intravimus, *nel secondo regno,* idest, cœlum Mercurii. Et tangit magnam pulcritudinem Beatricis, dicens: *quivi vid' io la donna mia sì lieta,* plus solito, quia magis ascendit ad maiora, *come nel lume di quel ciel,* scilicet, Mercurii, *si mise, che più lucente se ne fe' il pianeta,* quia, scilicet, lumen additum est lumini. Et subdit poeta mutationem sui arguens a minori, dicens: *e se la stella,* scilicet Mercurii quæ est parva et parum clara, *si cambiò e rise,* quia facta est clarior, *qual mi fec' io,* quasi dicat: multo magis mutatus sum et factus clarior, *che pur di mia natura trasmutabile son per tutte guise!* quia sum mortalis receptibilis omnis influentiæ, ubi stella est impermutabilis. Et hic nota bene quod pulcre autor hoc fingit quia Mercurius est convertibilis naturæ medius et indifferens, talis qualem vicini planetæ permiserint, et potentioribus cohæret (1). Ideo bene dicitur Deus eloquentiæ, eo quod eloquentia juncta sapientiæ plurimum prosit, et sociata malitiæ multum noceat. — *Come.* Nunc autor describit apparentiam animarum beatificatarum sub influentia mercuriali, quæ ostendebant se cum gratulatione; et hoc per unam comparationem claram et propriam, dicens: *Come in peschiera ch' è tranquilla e pura,* quasi dicat, in aqua clara, quæ bene assimilatur stellæ corpori dyaphano et puro, *traggonsi i pesci,* qui (2) bene repræsentant istos spiritus leves et veloces, *a ciò che vien di fuori,* sicut ad escam, *per modo che lo stimin sua pastura;* ita Dantes et Beatrix veniebant ab extra, et spiritus illi expectabant delectationem ab eis; ita a simili, *sì vid' io ben più di mille splendori,* idest, plurimos spiritus lucentes, *trarsi vêr noi,* cum lætitia, *et in ciascun s' udia,* supple, dici: *ecço chi crescerà li nostri amori,* scilicet, in numero, quia

---

(1) 4, coercet. (2) E. quia bene.

quanto maior est numerus possessorum æternæ gloriæ, tanto plus est ibi caritatis et amoris; vel hoc dicit [1], quia autor reversus ad mundum scribet de eis et exaltabit nomen et famam eorum. Et subdit in speciali singularem affectionem quam habebant ad eum, dicens: *e sì come ciascuno a noi venia,* appropinquantes ad nos, *vedeasi l'ombra,* idest, anima clara, *piena di letizia,* plusquam primo, *nel folgor chiaro,* idest, splendore lucido, *che di lei uscía.* Et hic nota quod poeta merito dat istis singularem claritatem et lætitiam, quia Mercurius est qui facit homines activos, sagaces, eloquentes: eloquentia autem est res mirabilis, de qua dicit Tullius, quod nihil videtur melius quam posse dicendo tenere hominum turbas, mentes allicere, voluntates provocare et revocare. Quid tam regale, tam liberale, quam dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate? Ergo bene dicit: quis non conetur *antecellere hominibus in eo maxime in quo homines studiis [2] prævalent? quis hortari* [3] ad virtutem ardentius? quis a vitiis acrius revocare etc., mirificas laudes eloquentiæ tangit Tullius primo de Oratore, et Augustinus libro de doctrina christiana. — *Pensa.* Nunc autor introducturus unum illustrissimum et præclarissimum spiritum de spera Mercurii, intendit facere auditorem avidum et attentum; pulcre et artificiose suspendit animum legentis ostendens ardentem affectionem quam habebat sciendi de illis spiritibus, et convertit sermonem suum ad auditorem, dicens: *Pensa, lettor, se quel che qui s'inizia,* quod jam videtur tibi esse quid magnum de quo dicere cœpi, *non procedesse,* ulterius, *come tu avresti angosciosa carizia,* idest, angustiosam caritudinem in mente, *di più sapere,* quam audiveris, quia nihil quasi dixi, sicut gratia exem-

(1) E. dicunt. (2) 4, bestiis.
(3) Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici 4 e Estense.

pli, si quis narrans unam rem jocundam cum summa delectatione et dulcedine jam cepisset animos audientium, et dimitteret narrationem (1) inchoatam, quanto ardore desiderarent audire residuum? ideo dicit: *e per te vedrai come m' era in disio d' udire da questi,* scilicet, spiritibus, qui faciebant mihi tantum gaudium et festum; *lor condizioni siccome agli occhi miei,* intellectualibus, *mi fur manifesti.* — *O.* Nunc autor introducit illum spiritum gloriosissimum, qui exorditur, narrat, et offert se sibi, dicens: *O bene nato,* idest, o Dantes, nate in bona hora, *a cui grazia,* scilicet, divina, *concede veder li troni,* idest, sedes, *del trionfo eternale,* idest, triumphantis ecclesiæ, *'nanzi che la milizia s' abbandoni,* quasi dicat in vita ante mortem, quod nulli alio unquam concessit tali modo; *noi semo accesi del lume,* scilicet, divino, *che per tutto 'l ciel si spazia,* idest, quo omnes cœli replentur; et sic respondet de conditionibus de quibus autor desiderabat scire. Et dicit: *e però, se disii,* si pro quia, *di noi chiarirti,* qui videmur tibi ita clari, *a tuo piacer ti sazia,* quia libenter habebis optatum. Et concludit autor: *così da un di quelli spirti pii,* scilicet, a spiritu Justiniani, qui fuit justus et pius, *detto mi fu; e da Beatrice,* deinde statim dictum fuit: *di' di' sicuramente,* quia prompti sunt, *e credi come a Dii,* quia omnis beatus deus participatione, nec potest dicere falsum. — *Io.* Hic autor ponit responsionem suam ad spiritum, et primo se excusat si non cognoscit eum, dicens: *Io veggio ben sì come tu t' annidi,* idest, velaris, *nel proprio lume,* quod est clarissimum, *e che dagli occhi il traggi,* quasi ex duobus sideribus, *perch' ei corrusca,* idest, resplendet, *sì come tu ridi,* idest, lætaris; *ma non so chi tu se', anima degna,* ista gloria, *nè perchè aggi il grado della spera,* scilicet, Mercurii, *che*

(1) 4, orationem.

si vela ai mortali, idest, hominibus, *con gli altrui raggi,* scilicet, solis: hoc dicit, quia Mercurius semper concurrit cum sole, unde ipsum videre non possumus; ideo est valde occultus, numquam enim recedit a sole nisi per paucos gradus. Et hic nota bene, bone lector, quod merito sapientia figuratur per Phœbum, quæ semper bona est sicut sol est optimus planeta; * eloquentia vero figuratur per Mercurium qui est planeta * [1] medius, et ita eloquentia nunc bona nunc pessima. Est enim sermo sicut gladius utilis in manu judicis, inutilis in manu prædonis; sermo enim in ore sapientis est sicut thesaurus desiderabilis, et tamen in protervo garrulo damnosum, nequitiæ instrumentum. Sicut ergo Mercurius semper sociat solem, vel parum recedit ab eo, ita eloquentia sapientiam. Iste ergo Justinianus justissimus imperator in dextra manu tenuit [2] librum sapientiæ, in quo tradit civilem sapientiam, quæ est res sanctissima; in sinistra vero gladium eloquentiæ. Est enim rhetorica pars civilis scientiæ, ut testatur Aristoteles et Tullius; vel quia arma tractavit quæ debent esse juncta cum legibus in romano principe. Unde bene Tullius: nihil aliud est eloquentia, nisi copiose loquens sapientia, de cuius mirabili virtute et potentia multa dicta sunt in Inferni cantica. — *Questo.* Hic ultimo autor apparat Justinianum ad loquendum, comparans ipsum soli; et continuans dicta dicendis, dicit: *Questo diss' io diritto alla lumiera,* idest, luminoso spiritui, *che pria m'avea parlato,* offerens se, *onde ella fessi lucente più assai di quel ch' ell' era,* quia si erat primo luminosa facta est luminosior volens narrare inclita gesta sua, et multorum illustrium romanorum a simili, *sì come il sol che si cela egli stessi,* oculis hominum, *per troppa luce,* propria, *come 'l caldo ha rose,* idest, consumpsit, *le tempe-*

---

[1] Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici 4 e Estense.
[2] E. detinuit.

ranze de' vapori spessi. Hoc dicit, quia sol primo remittebat et temperabat splendorem eius, ita quod oculus poterat aliqualiter respicere ipsum, sicut ipse autor de se scribit, quando primo vidit Beatricem; *per più letizia sì mi si nascose la figura santa,* scilicet, Justiniani, *dentro al suo raggio,* idest, suæ lucis, *e così chiusa,* multo lumine, *mi rispose chiusa,* idest, velate, *nel modo che 'l seguente canto canta,* idest, secundum quod poetice describitur in sequenti capitulo.

CANTUS SEXTUS, *in quo introducitur Justinianus imperator, narrans multa quæ gesta sunt sub signo aquilæ.*

Poscia che Constantin l' aquila volse. Postquam in præcedenti capitulo Dantes introduxit spiritum Justiniani ad loquendum secum, nunc consequenter in præsenti (¹) capitulo VI ponit orationem et narrationem eius; et præsens capitulum ad minus dividitur (²) in tres partes generales. In prima quarum Justinianus breviter percurrit tempus sui imperii, suam conversionem et opera magna. In secunda succincte perstringit memoranda gesta romanorum facta sub victorioso signo aquilæ per multa sæcula, ibi: *Or qui alla quistion.* In tertia et ultima respondet ad unam petitionem autoris et nominat aliam animam modernam de sua spera, ibi: *Questa picciola.* Ad primum ergo dico quod Justinianus narrat tempus sui imperii, conversionem et opera: et primo vult dicere quod romanum imperium jam steterat in Græcia ducentis annis et plus post translationem factam per Constantinum quando pervenit ad manus suas. Dicit ergo: *L' uccel di Dio,* idest, aquila signum ducum et imperatorum romanorum, quam appellat avem Dei, quia apud omnes poetas antiquos aquila dicitur avis Jovis, quia dedit sibi bonum augurium victoriæ, sicut expositum est in Purgatorio, et mirabiles virtutes aquilæ scriptæ sunt primo capitulo huius Paradisi, de qua dicit Josephus quod aquila est signum romanorum, quia universarum avium habet regnum, et fortissima, *si ritenne,* idest, moram fecit, *nell' estremo di Europa,* idest, in civitate Constantinopoli, *cento e cento anni e più,* idest, ultra ducentos:

(¹) 4, sequenti. (²) E. dividatur.

sedes enim imperii fuit diu Romæ ultra tercentos annos, apud græcos fuit diutius, scilicet ultra quadringentos annos; apud gallos parum, scilicet ultra centum (¹); apud alamannos multum, quia ultra tercentos annos usque hodie regnat, *vicino ai monti,* scilicet, Phrygiæ, *de' quai prima uscío,* quando portata fuit ab Enea a Troia in Italiam, quamvis primo fuerit in Creta apud Jovem, ideo posset etiam intelligi de montibus Cretæ. Et hoc dico fuit: *poscia che Constantin l' aquila volse,* idest, transtulit imperium in Græciam. De Constantini virtutibus et laudibus dicetur infra in alio capitulo huius libri: et dicit notanter: *contra 'l corso del ciel.* Unde nota quod ista litera potest intelligi dupliciter; uno modo historice, scilicet, quod aquila portata ab Enea ab Asia in Italiam venit cum cursu cœli, quia scilicet ab oriente in occidentem; quando vero fuit reportata per Constantinum de Italia in Græciam ivit contra cursum cœli, quia scilicet ab occidente in orientem: alio modo potest intelligi allegorice quod aquila primo portata in Italia venit cum favore cœli et semper exaltata est; quando vero fuit reportata habuit contrarium cursum cœli, quia semper declinavit; et credo quod ista fuerit intentio autoris: sed prima expositio videtur melior, quia (²) ante Constantinum imperium multum declinaverat post Augustum. Bene ergo dicit: *ch'ella seguio,* idest, quem cursum ipsa aquila sequuta est, *dietro all' antico,* scilicet Eneam, qui venit in Italiam fere per quadringentos annos ante urbem conditam, *che Lavina tolse,* scilicet in uxorem, ut alibi dictum est et statim dicetur. Et hic nota bene quod monarchia romani imperii facta est sub Cæsare, ampliata sub Augusto, sub Traiano reparata, sub Constantino justificata, sub Justiniano ordinata, sub Theodosio sustentata, sub

(¹) E. centum annos; apud. (²) E. quoniam ante Constantinum.

Karolo adiuta. Ideo subdit Justinianus: *e sotto l'ombra delle sacre penne,* scilicet, alarum suarum, *governò il mondo,* illa aquila, *lì di mano in mano,* multorum principum, *e, sì cangiando,* idest, mutando et variando vices, *in su la mia pervenne,* illa aquila; et sic expediebat quia erat multum depilata et lacerata ab avibus multis rapacibus. — *Cesare.* Hic Justinianus describit se ab imperiali dignitate, a nomine proprio, ab opere excellentissimo. Ad quod est sciendum quod Justinianus omni virtute et felicitate refulgens Justini sororis filius successit imperio anno (1) Christi quingentesimo trigesimo octavo, quod laudabiliter diu administravit, scilicet annis triginta octo. Nam statim cum imperialia jura suscepit, ad reparandum reipublicæ statum convertit animum; nam commissa cura bellorum legato suo, ipse convocatis magnis sapientibus (2) viris consultis dedit operam legibus ordinandis, quarum tanta erat copia quod non sufficiebat vita hominis ad legendum et ipsas mira brevitate reduxit ad pauca volumina, ut de se patet. Dicit ergo: *Cesare fui,* idest, imperator, *e son Giustiniano;* nomen bene conveniens re et nomine, qui (3) justitia et jure orbem christianum gubernavit, *che dentro alle leggi,* scilicet romanis, *trassi 'l troppo e 'l vano,* idest, resecavi superflua et inutilia, et adhuc hodie possunt multa detrahi; et dicit: *per voler del primo amor ch' io sento,* quasi dicat: voluntate divina (4) dignante, cuius gratiam et gloriam nunc sentio in præmium laborum meorum. — *Ma.* Hic Justinianus describit conversionem suam; et primo tangit errorem, deinde correctorem erroris, ad quod est sciendum quod Theodatus (5) rex gothorum, qui juste te-

---

(1) E. anno pretiosissimi Domini nostri Redemptoris Jesu Christi 538.

(2) E. sapientibus jurisconsultis.

(3) E. quia justitia.

(4) E. divina, cuius gratiam.

(5) E. Theodatus, omni virtute et felicitate refulgens, rex.

nebat regnum romanum [1], sentiens Justinianum sibi iratum misit Agabitum papam ad ipsum placandum, qui habita secum collatione de fide reperit ipsum in pravo errore, quia credebat [2] Christum purum hominem fuisse, cum quo habuit duram contentionem; et Justiniano comminante sibi sanctus pontifex cum magna constantia intrepide dixit: Ego ad Justinianum christianissimum imperatorem venire putavi, et Diocletianum inveni. Tandem, volente Deo, Justinianus cum multis qui secum errabant, ad confessionem veræ fidei redivit. Quo facto Agabitus ibi reddidit animam Deo, in cuius locum electus est papa Vigilius, qui fuerat clericus, Eleuteræ uxoris principis. Dicit ergo Justinianus: *Ma prima ch' io all' opra fossi attento,* idest, antequam darem operam reformationi legum, *credeva una natura,* scilicet, humanam, *non piue,* scilicet, divinam, *essere in Cristo,* cuius contrarium probatur capitulo sequenti, *e di tal fede,* scilicet tam erronea, *era contento,* iste enim fuit error Euticis, contra quem disputat Boetius, *ma il benedetto Agabito,* pater sanctus civis romanus, *che fue sommo pastore, alla fede sincera,* scilicet, christianæ, quæ est sine macula, *mi dirizzò,* in veram viam, *con le parole sue,* quæ fuerunt multum efficacia. Et subdit effectum verborum eius [3], dicens: *io gli credetti, e veggio ora chiaro,* idest, nunc in cœlo, *ciò che 'n sua fede era,* quasi dicat, quicquid tenebam de fide per solam credulitatem, nunc video per certitudinem ita clare, sicut tu cognoscis aliquam rem vel conclusionem in tua scientia; unde dicit: *sì come tu vedi ogni contradizione e falsa e vera;* quia omnis contradictio habet in se necessario unam partem veram, alteram falsam; unde lex contradictoriarum est quod si una est vera, reliqua est falsa, sicut Deus est, Deus non est, nec est dare medium. — *Tosto.* Nunc Ju-

(1) E. romanorum. (2) E. credebat Dominum nostrum Jesum Christum.
(3) E. illius.

stinianus describit suam dispositionem ad leges per se et ad bella per alium. Et pro literæ declaratione est primo sciendum quod Bellisarius vir patricius strenuissimus multa et magna bella felicissime gessit; sed potissime tria, scilicet in Asia contra persas, in Africa contra vandalos, in Europa contra gothos. Primo ergo missus a Justiniano contra persas, qui excedentes terminos graviter vastabant provincias romani imperii: illis feliciter debellatis de voluntate principis Constantinopolim triumphans intravit. Deinde (1) missus in Africam contra vandalos commisso prœlio magnas copias eorum vicit, et regem eorum nomine Gelismerum vivum captum Constantinopolim misit ad imperatorem. Sic Carthago post annum nonagesimum sextum postquam a vandalis capta fuerat per regem Gensericum, recepta est ab imperatore romano. Post hæc Justinianus misit Bellisarium multis prœliis gloriosum contra Theodatum ut Italiam a gothorum servitio liberaret: qui cum traheret moram in Sicilia Theodatus mortuus est; in cuius locum Vitigis successit, et continuo accepto regno Ravennam venit: contra quem Bellisarius convertit vires, et de Sicilia venit Neapolim receptantem gothos, et illam civitatem magnis viribus in magno furore cepit cum omni genere crudelitatis: inde veniens Romam illam intravit gothis fugientibus Ravennam. Et continuo Vitigis cum magno exercitu obsedit Bellisarium intra urbem extra crudeliter omnia vastans et post annum rediit Ravennam, et congregato magno exercitu conflixit cum Bellisario, sed victus cum magna strage suorum fugiens captus est. Bellisarius (2) victor illum secum duxit Constantinopolim. Nunc ad literam dicit Justinianus: *Tosto che con la chiesa mossi i piedi,* idest, quam cito factus sum verus christianus, *a Dio*

---

(1) E. Deinde ingressus Africam. (2) E. sed Bellisarius.

per grazia, qui fecerat me christianum, per gratiam fecit me bonum operatorem, per gratiam, *piacque di spirarmi l'alto lavoro,* idest arduum et immensum opus legum, *e tutto in lui mi diedi,* ut liberius vacarem, *e commendai l'armi,* idest, et commisi curam bellorum gerendorum, *al mio Bellisario;* bene competit sibi nomen; Bellisarius enim videtur sonare quasi bellis et armis instructus. Et dicit: *cui la destra del ciel fu sì congiunta;* quasi dicat: cui manus Domini Dei exercituum ita favit; nam audivi quod Bellisarius habuit viginti septem victorias campales: unde in fine veniens Romam crucem auream centum librarum in qua sculpserat suas victorias gemmis pretiosissimis (1) exornatam obtulit beato Petro per manus papæ Vigilii; *che segno fu ch' io dovessi posarmi,* idest, ut pace terra marique parta possem vacare legibus (2).

Or qui alla question. Ista est secunda pars generalis, in qua Justinianus per modum digressionis perstringit breviter memoranda gesta facta sub signo aquilæ diversis temporibus. Et primo continuans dicta dicendis assignat causam moventem ipsum ad istam digressionem, dicens: *Or qui la mia risposta s'appunta,* idest, facit finem et punctum, *alla question prima,* idest, primæ petitioni quam fecisti; quasi dicat, satis dixi tibi quis fuerim, *ma sua condizione,* ipsius aquilæ, *mi stringe,* idest, constringit, *a seguitar alcuna giunta,* idest, ad prosequendum de aliis victoriis aquilæ ante me et post me, ita quod faciam magnam additionem ad ea quæ dixi; et ecce causam, *perchè tu veggi con quanta ragione,* quia scilicet cum nulla, *si muove contra 'l sacrosanto segno,* aquilæ imperialis, *e chi 'l s'appropria,* idest, ille qui trahit ipsum in partem, sicut faciunt ghibellini, *e chi a lui s'oppone,*

---

(1) E. pretiosis. (2) E. legibus condendis.

idest, et ille qui obviat sibi sicut faciunt guelphi. Et hic nota quod Dantes in tota ista parte intendit solum unam conclusionem, scilicet quod romanum imperium a Deo habet universalem gubernationem orbis. Unde Josephus dicit: certe sine Deo impossibile est tale imperium posse consistere (1), idest mundus; nam ut voluit Plato, est animal magnum: modo sicut animal habens plura capita est monstruosum nec vivit aut durat, ita ad bene esse fuit conveniens mundum habere unum caput, idest unum monarcham: talis autem fuit romanus princeps; unde nullus alius potuit attingere istud bravium: ideo Plinius in commendationem Romæ dicit, quod fecit mundum bonum et docuit homines vivere. — *Vedi.* Hic Justinianus inchoat processum miraculosum aquilæ; et primo incipit a prima victoria quam habuit in Italia sub Enea. Ad quod est breviter repetendum, quod Eneas veniens in Italiam obtinuit Laviniam filiam Latini regis in uxorem propter sui nobilitatem, quam (2) prius Turnus rex Rutulorum juvenis ardentissimus optabat et sperabat habere propter eius decorem et successionem regni: propter quod orto magno bello Eneas inter alios adiutores habuit Pallantem juvenem staturæ giganteæ filium regis Evandri, qui regnabat in monte Palatino, cuius mater Carmentis prima reperiit literas latinas. Pallas post vulnera et mortes multorum nobilium tandem occisus est manu Turni. Sed Eneas victor occiso Turno obtinuit regnum latinorum, quo mortuo Ascanius filius eius relicto regno novercæ condidit Albam, ubi regnaverunt duodecim reges albani usque ad Romulum. Ad literam ergo, Justinianus exorditur ad dicenda, dicens: *Vedi quanta virtù l'ha fatto degno di reverenza,* quia honor est exhibitio reverentiæ in testimonium virtutis, *e cominciò,* sci-

(1) E. consistere: mundus enim, ut voluit. (2) E. quam filiam prius.

licet narrationem suam: *tu sai,* tamquam bonus historicus, *ch'e' fece,* illud signum aquilæ, *in Alba sua dimora per trecent' anni;* unde Virgilius: *Hic jam tercentos totos regnabimus annos; dall' ora che Pallante morì per dargli regno,* in Italia, sicut et Camilla et Nisus et Euryalus. — *Et oltre.* Hic Justinianus tangit aliud memorabile gestum, scilicet quare et quomodo dicta civitas eversa est et translata Romam. Ad quod sciendum quod Livius hanc nobilem historiam egregie scribit libro primo, cuius breviter hæc est summa: Tullus Hostilius tertius rex romanorum vi et dolo armatus movit bellum albanis, penes quos regnum latinorum per multa sæcula fuerat: bellum tandem modico sanguine terminatum est mirabili pugna tergeminorum. Nam tres fratres romani nomine Horatii et tres alii fratres albani nomine Curiatii singulari certamine pugnaverunt inter se, cum pacto ut regnum esset penes eos penes quos esset victoria. In prœlio igitur tres Curiatii vulnerati sunt et duo romani occisi; sed tertius romanus Horatius sospes magna industria et arte interfecit omnes tres Curiatios et victoriam et gloriam cum dominio reportavit Romam. Postea Tullus (1) Metium ducem albanorum, quia fefellerat sibi fidem in alio prœlio contra hostes, inter equos lacerari fecit, et Albam evertit, et omnia transtulit Romam: et (2) illam antiquam matrem Romæ in ventrem filiæ reduxit, sic (3) viris et viribus Roma crevit. Dicit ergo ad literam: *Et oltre,* scilicet aquila fecit moram in Alba, *infino al fine che i tre,* scilicet, Horatii nati eodem partu, *e i tre,* scilicet, Curiatii similiter nati uno partu, *pugnar per lui ancora,* scilicet, pro illo signo aquilæ. — *E sai.* Hic Justinianus mirabiliter perstringit facta sub aquila per totum tempus regum; et tangit duo notanda gesta, pri-

(1) E. Tullus rex Metium. (2) 4 e E. et sic illam. (3) E. et sic.

mum sub primo rege, secundum sub ultimo. Ad evidentiam primi est primo sciendum quod Romulus fundata urbe Roma (1), et munita consilio et militia, quia sine mulieribus parum durare poterat, petivit matrimonia a vicinis; sed negatas vi et fraude rapuit, simulato spectaculo ad quod vicinos invitaverat. Quapropter sabini post omnes venerunt armati contra Romam, et ingressi dolo civitatem habuerunt bellum atrocissimum cum romanis; cum autem se invicem soceri et generi crudeliter trucidarent, finaliter sabinæ raptæ inter utramque aciem irruentes, supplicantes nunc viris nunc parentibus ut verterent arma (2) in eas quæ fuerant causa malorum, placaverunt utrumque populum, qui abiectis armis pacem fecerunt, et ex utraque gente unum populum; et Romulus Tatium regem sabinorum fecit consortem regni. Ad secundum est sciendum quod, sicut scribit Livius in fine primi, cum (3) Superbus esset in obsidione vicinæ urbis filii eius et Collatinus consanguineus in convivio inter vina habuerunt sermonem de uxoribus, et quolibet commendante suam, Collatinus suam Lucretiam altius extollebat. Quare ad habendam experientiam acceptis equis venerunt celeriter Romam ubi invenerunt nurus regis inter convivia et ludos cum similibus: deinde euntes ad terram Collatini (4) invenerunt Lucretiam inter ancillas vigilanter (5) laborantem; ex quo laus contentionis data est sibi. Sextus minor filius Tarquinii continuo inflammatus amore Lucretiæ ratione (6) pulcritudinis et honestatis post aliquot dies cum solo socio Collatiam rediit; ibi (7) benigne receptus a Lucretia cum

---

(1) E. romana. (2) E. arma potius in eas.
(3) E. cum Tarquinius superbus. (4) E. Collatiam. (5) E. vigilantes.
(6) E. tam ratione pulcritudinis quam honestatis.
(7) E. ubi benigne receptus ab eadem Lucretia honorifice et decenter: post diem adveniente nocte sopitis jam omnibus ardens amore intravit ad Lucretiam ipsam dormientem et cum gladio in manu blanditur eam: et breviter.

honore, de nocte omnibus sopitis ardens amore intravit ad Lucretiam dormientem cum gladio in manu; et breviter cum non posset verbis expugnare pudicitiam mulieris, minatus est se jugulatum servum nudum cum ipsa jugulata (1) ponere, ut in turpi adulterio necata diceretur; quo timore obtinuit (2) quod optabat. Lucretia tristis statim per nuntium vocatis patre, marito, Bruto et Valerio, dixit breviter quod corpus violatum erat non animus, et quod si se absolvebat a culpa, non tamen a pœna; et continuo gladium (3) defixit in cor. Mortua Lucretia Brutus accepto gladio sanguineo (4) mirabiliter retraxit omnes a planctu ad vindictam; unde facto tumultu Collatiæ venit Romam, ubi convocato populo (5), excitavit animos omnium in odium regis et filiorum, et facto tumultu, Tarquinii privati sunt regno. Rex ab exercitu veniens Romam reperiit portas clausas; Brutus per aliam viam pervenit ad exercitum quem reduxit ad Romam liberatam a se amara servitute. Nunc est redeundum ad literam: dicit Justinianus Danti: *E sai quel che fe'*; illud signum aquilæ, *dal mal delle Sabine.* Hic nota quod Augustinus de Civitate Dei damnat hoc factum; tamen excusari posse videtur, quia ex necessitate factum est, et quia sabinæ non ad adulterium, sed ad matrimonium raptæ sunt, *al dolor di Lucrezia.* Et hic nota quod Augustinus (6) ubi supra commendat Lucretiam a pudicitia, et culpat ab occisione, quia alienum crimen punivit in se innocente: assignat tamen causam quare se interfe-

---

(1) E. jugulata penes ponere.

(2) E. idem Sextus obtinuit quod optabat. Post hoc Lucretia tristis statim per nuntium vocatis patre et marito, Bruto scilicet et Valerio, breviter post omnia dixit eis quod corpus violatum fuerat et non animus.

(3) E. sibimet gladium.

(4) E. sanguineo eodem mirabiliter.

(5) E. populo, hoc facinore excitavit animos omnium in odium Tarquinii regis romani et filiorum; et facto tumultu, Tarquinii ipsi omnes regno privati fuerunt. Post quæ rex ipse Tarquinius veniens ab exercitu Romam reperiit portas clausas; Brutus vero per aliam viam pervenit ad exercitum quem reduxit Romam.

(6) E. præfatus Augustinus.

eit, dicens: velut romana mulier laudis avida voluit ostendere hominibus pœnam in testem, quibus conscientiam ostendere non poterat. Sed certe nobilis ira et (1) indignatio animi fuit in ista nobili romana. Et dicit: *in sette regi.* Et hic nota quod autor mira brevitate complectitur primordia Romæ et tempora regum, sub quibus primo gubernata est; populus enim romanus cum secreta (2) providentia deberet effici gentium dominus, ab initio habuit reges ad fundandam tantam urbem. Nam Romulo nihil ardentius sub quo populo induit audaciam. Numa sacris intentus fuit, sub quo populus factus est religiosus, mitigato furore bellorum. Tullus Hostilius rei (3) bellicæ magister et ordinator, sub quo populus disciplinam rei militaris didicit, acuit ergo virtutem fortitudinis contra pericula mortis pro republica. Ancus urbem cinxit muris, quia populus tutus esse non poterat contra tot vicinos potentes inimicos infestos. Tarquinius Priscus per assumpta et ordinata ornamenta magnam populo tribuit (4) dignitatem. Servius censum invenit, ut respublica cognosceret suas vires, et provide ordinavit ut romani de publico militarent. Ultimo Tarquinius superbus sua crudeli tyrannide fecit ut populus exagitatus iniuriis summum bonum libertatis acquireret. Et ut brevius colligam: romanus populus sub Romulo factus est bellicosus; sub Numa religiosus; sub Tullo armatus; sub Anco tutus; sub Prisco ornatus; sub Servio præmiatus; sub Superbo liberatus; et regnaverunt reges ducentis quadraginta tribus annis. Et dicit: *vincendo intorno le genti vicine,* sicut populos latinos qui fuerunt multi. Unde Roma fuit in Latio; et ita Veientanos, quorum civitas fuit florentissima in confinio Tusciæ, longe ab urbe per decem octo milliaria, quam postea Camillus cepit post decennalem

(1) E. et nobilis indignatio.
(2) E. sacrata Dei providentia.
(3) 4, rei publicæ.
(4) 4, obtinuit.

obsidionem. — *Sai quel.* Hic Justinianus transit narrando ad gesta magnificentioria quæ facta sunt post acquisitam libertatem, per tempora consulum, quæ duraverunt ultra quadringentos annos, et primo tangit duo bella terribilia (¹) duorum regum valentissimorum, quorum unus veniens ab occidente Romam destruxit, alter ab oriente Romam afflixit. Ad intelligentiam primi est sciendum quod, sicut scribit Livius libro V, galli senones, gens ferox, duce Brenno Italiam ingressi occupaverunt loca inter alpes et Padum; et non contenti his transito Apennino in Tusciam infestabant Clusium civitatem; sed offensi a legatis romanorum converterunt furorem contra Romam. Et cum dispersissent romanum exercitum primo impetu inordinatum apud Albiam flumen, ceperunt urbem improvidam imparatam, ferro et igne vastantes omnia; quo tempore maxime enituit illa romana virtus. Nam seniores assumptis insignibus honorum in propriis sedibus trucidati sunt. Juvenes vero forte (²) mille numero arcem Capitolii per sex menses defenderunt. Tandem cum obsidio barbaros fatigaret et fames, romani mille libras auri promiserunt pro recessu; sed cum galli superbia et iniustitia uterentur in mensuratione, ecce virtuosissimus Camillus exul qui creatus dictator absens, collectis romanis dispersis et auxiliis amicorum, gallos aggressus omnes trucidavit, et cineres gallorum sanguine eorum extinxit. Ad evidentiam secundi est sciendum quod Pyrrhus de genere Achillis consobrinus Alexandri magni rex Epiri, quæ provincia Græciæ dividitur a Calabria angusto mari, vocatus a tarentinis contra romanos, magna bella gessit in Italia, et sæpe victor auxilio elephantorum, quos primus duxit in Italiam, omnia vastans venit per Campaniam usque Præneste; tandem victus virtute Fabricii et Curii

(¹) 4, mirabilia. (²) 4, fortes.

consulum, qui de ipso gloriosum triumphum duxerunt. Quo tempore maxima constantia et temperantia romanorum apparuit, quia Pyrrhus non solum non potuit vincere Fabricium auro, sed nullum in populo potuit corrumpere donis. Duravit istud bellum quatuor annis; tandem rex clarissimus maximus dux belli amisit Italiam et Siciliam, et in Græcia Thessaliam et Macedoniam, et victus a lacedemoniis dum oppugnaret civitatem Argorum incaute mactatus est saxo manu fœminæ, exemplum [1] aliis quantum homo possit fidere prosperis. Nunc ad literam; dicit Justinianus Danti: *Sai quel che fe',* scilicet, illud signum aquilæ, *portato dagli egregi romani,* idest, ab illustribus ducibus romanorum, *incontro a Brenno,* de isto Policratus facit magnas laudes, et dicit quod fuit britannicus, *incontro a Pirro,* de isto mirabiles laudes facit Justinus, quia fuit peritissimus omnium in ducendo exercitum, in ordinando aciem, in eligendo campum, in conciliando animos hominum. Et quia non potest nominare omnes vel multos, dicit: *incontro agli altri principi e collegi,* idest, duces et communitates, sicut contra samnites fuit portatum a multis, et præcipue a duobus Papirii cursoribus. Nullum enim bellum fuit intra Italiam diuturnius et crudelius; nam duravit fere quinquaginta annis, et samnites sexies [2] ruperunt fœdus, et romani viginti quatuor triumphos habuerunt ex eis. — *Onde.* Hic Justinianus prædictis subannectit aliquot præclaras familias quæ sub signo aquilæ acquisiverunt magnam famam. Et primo ad cognitionem Torquatorum est sciendum quod, sicut potest colligi ex Livio libro VI, VII et VIII, domus Manlia fuit olim nobilis et terribilis in urbe. Et primo Marcus Manlius vir strenuissimus Capitolium liberavit a gallis tempore noctis, de quo postea

---

(1) 4 e E. exemplum præbens aliis. (2) E. septies.

præcipitatus est quia videbatur affectare regnum: deinde Titus Manlius impie tractatus a patre, qui eum tenebat in rure ad opera servilia, liberavit patrem ab accusatione tribuni. Idem gallum unum senonem provocantem vicit in singulari certamine, a quo occiso torquem auream [1] extorsit, et imposuit collo suo, propter quod cognominatus est Torquatus, et omnes de stirpe sua. Et idem qui fuerat pius erga patrem nimis rigidus fuit contra filium; nam in bello latino periculoso filium securi percussit, qui latinum provocantem victor occiderat, quia contra edictum consulum pugnaverat. Et in eo bello alter consul Decius mox pro suo exercitu se devovit, et irruens inermis cum equo contra hostes occisus est. Non mirum ergo si romani redierunt cum victoria et triumpho. Ad cognitionem Quintii est sciendum quod, sicut scribit Livius libro III, Quintius Cincinnatus singularis spes imperii populi romani, pauper factus ex condemnatione iniusta quam solverat pro Censone filio suo juvene probissimo, habitabat ultra Tiberim vacans operi rustico quando requisitus est quod factus dictator veniret Romam, quia Minutius consul cum toto exercitu in campo erat obsessus ab Æquis hostibus romanorum: qui veniens, facto apparatu suo, statim obsedit hostes qui romanum exercitum et consulem clauserant. Et breviter Æqui impugnati ab una parte a dictatore, ab altera a consule dediderunt se, quos in signum servitutis sub jugum misit, et totam prædam solum dedit suis militibus consule cassato, et cum triumpho læte rediit et spoliavit se dictatura sexta decima die, quam tamen in sex menses acceperat, ita ut ad dimissum opus rusticum redire videretur. Ad cognitionem Deciorum est brevius sciendum quod secundum Livium et alios historicos, duo fuerunt

---

[1] E. auri.

Decii qui se sponte exposuerunt morti pro victoria sui exercitus, scilicet Decius pater collega Torquati in bello latino de quo jam dictum est; et Decius filius qui in bello tusco periculosissimo inclusus in valle exemplo patris se devovit. Ad cognitionem Fabiorum est sciendum quod sicut patet per Livium libro II, familia Fabiorum fuit numerosior cæteris in urbe; nam tercenti et sex Fabii viri patricii probatæ virtutis omnes impetraverunt a senatu gerere bellum contra Veientes propriis laboribus et expensis: et facta bastita contra Veientiam vastabant omnia facientes magna damna. Tandem incaute pugnantes nimis animosi successu victoriarum, circumventi insidiis omnes trucidati sunt usque ad unum. His præmissis, ad literam veniamus; dicit Justinianus: *Onde Torquato,* videtur per excellentiam intelligere de illo Torquato qui dedit nomen domui; vel dic quod loquitur large de familia Torquatorum, de qua multi fuerunt rigidi patres; *e Quinzio,* iste fuit cognominatus Cincinnatus a capillatura, quia portabat capillos dependentes ante oculos, nam curabat de virtute multum; de cultu corporis nihil: ideo dicit: *che fu nomato dal cirro negletto,* idest, a capillo quem negligebat; nam cirrus est capillus afiltratus; *e i Decii,* scilicet duo prædicti pater et filius. Tullius tamen addit tertium, et dicit quod Decius nepos se devovit in bello contra Pyrrhum, *e i Fabi,* de ista clarissima familia fuit Fabius maximus vir sapientissimus, qui tempore Hannibalis Romam tardando substinuit; unde vocatus est cunctator, idest, tardator: omnes hi, *ebber la fama che volontier mirro,* idest, conficio et conservo cum istis versibus. Myrrha enim est genus aromaticæ gummæ, qua antiquitus inungebantur corpora regum mortuorum ut præservarentur a putrefactione; et ita vult dicere celebro libenter famam istorum perpetuandam, quia et ego princeps romanus ma-

gnam famam merui. — *Esso.* Hic Justinianus tangit uno verbo bellum maximum et periculosissimum omnium quæ gesta sunt per romanos, scilicet secundum bellum punicum, quod Livius elegantissime describit in decem libris; quod Scipio mirabiliter confecit victo Hannibale, domita Carthagine, Italia liberata, sicut scriptum est Inferni Cantica, ideo non plus ad præsens. Dicit ergo: *Esso,* scilicet, signum aquilæ crudelissime infestatum ab Hannibale, *atterrò,* idest, prostravit ad terram et conculcavit virtute Scipionis Africani maioris, qui fecit Carthaginem tributariam, et virtute alterius Scipionis minoris qui illam evertit, *l' orgoglio degli arabi,* idest, arrogantiam africanorum, *che passaro l' alpestre rocce,* idest, ripas alpium quæ dividunt Italiam a Gallia, *dietro ad Annibale;* istas alpes Hannibal transivit cum maximo damno et labore, infestatus a gentibus montanis, unde amisit magnam partem sui exercitus et elephantorum; ubi saxum inaccessibile crematum prius igne, deinde respersum aceto fecit incidi: et sic ferro et igne viam fecit. Magnas laudes Hannibalis facit Livius, inter quas hæc una videtur mirabilis, quod cum steterit sexdecim annis in Italia cum colluvione tot gentium barbararum, quæ erant inter se diversæ lingua, moribus, habitu, numquam facta est coniuratio contra eum a suis; quod tamen non contigit Scipioni, nec Cæsari. Et quia nobilissimus fluvius Padus oritur ex alpibus prædictis, ideo incidenter tangit originem eius; unde convertens sermonem ad eum, dicit: *Po, di che tu labi,* idest, ex quibus alpibus tu, o Pade, laberis. Et hic nota quod autor fecit satis magnum saltum, quia nihil tetigit de primo bello punico, quod duravit viginti quatuor annis; quo tempore claruit vir integerrimus Marcus Regulus. — *Sott' esso.* Hic Justinianus tangit triumphos duorum clarissimorum principum romanorum; quorum primus non habuit parem in virtute, alter

non habuit parem in potentia. Scipio habuit gloriosissimum triumphum de Hannibale et Carthagine, de quo jam dictum est alibi, et de magnis laudibus eius dicetur inferiori capitulo. Ad cognitionem Pompeii oportet aliqua præmittere breviter. Est igitur sciendum quod Pompeius juvenculus decem octo annorum suscepit (1) exercitum patris, fuit Syllanus, et Italiam, Siciliam, Africam, Hispaniam diversis bellis liberavit de manibus ducum Marianorum. Hic Pompeius tres triumphos notabiles habuit: primum de Africa, quam totam liberavit de manibus Marianorum devicto domino (2) Mariano, et Jeritha rex Numidiæ fautore Marii; et tunc primo cognominatus est magnus. Secundum triumphum habuit de piratis de Cilicia (3) qui magna multitudine fere cum mille navibus infestabant omnia maria, ita quod venerunt usque Hostiam et ceperunt classem romanam cum consule cum magno pudore romanorum. Pompeius autem per multos magnos duces legatos suos, scilicet Catonem, Varronem et alios occupavit fauces omnium marium; et incredibili virtute et celeritate istos vicit in Cilicia (4); et sine damno, sine sanguine omnia maria reddidit secura spatio quadraginta dierum, et ex piratis fecit civitatem Laudem in Lombardia. Tertium triumphum duxit gloriosissimum de Mithridate Tigrane et multis nationibus orientis et septemtrionis. Mithridates namque potentissimus rex Ponti bellum gessit cum romanis per quadraginta annos, qui una die ultra septuaginta millia romanorum trucidari fecit; in Asia multas provincias occupavit; aliquando victus virtute Luculli, felicitate Syllæ, tandem debellatus a Pompeio in ultima desperatione veneno et ferro spiritum expulit. Pompeius multa alia regna cepit in oriente; unde retulit in senatu se vicisse viginti duos reges orientis:

(1) E. e 4, suscepto exercitu patris.
(2) E. e 4, Domitio Mariano.
(3) E. de Cicilia.
(4) E. in Cicilia.

nullus ante eum plura bella gessit, plures provincias fecit, nec tantum ampliavit terminos romani imperii: nam Asiam quam acceperat extremam provinciam fecit Mediam, ut testatur Tullius in libello de laudibus Pompeii; quod declarat Plinius in VII. Nunc ad literam; dicit Justinianus: *Sott'esso,* scilicet, sub signo aquilæ, *trionfaro Scipione,* scilicet, maior, *e Pompeo giovanetti;* nam Scipio erat forte triginta annorum quando triumphavit de Africa, et Pompeius erat viginti sex annorum quando primo triumphavit de Africa; bis imperator antequam miles, et bis romanus eques loco consulis, et solus gessit tertium consolatum. Unde Tullius tribuit Pompeio quatuor necessaria summo imperatori, scilicet, scientiam rei militaris, virtutem, autoritatem, felicitatem; et tamen in fine infeliciter debellatus, infelicius fugit, infelicissime mortuus est: qui primus romanorum cepit Jerusalem et templum illud mirabile ditissimum intrans intactum reliquit. Et addit Justinianus incidenter unum factum quod tangit autorem, scilicet eversionem fæsulanæ civitatis, ex qua olim facta est Florentia. Nam, teste Salustio, Catilina pessimus pulsus ex urbe propter pestiferam coniurationem quam fecerat cum multis nobilibus de invadenda republica et trucidando senatu confugit ad civitatem Fæsularum, et inde recedens in agro pistoriensi prostratus est cum suis mirabiliter pugnans et civitas Fæsularum destructa est. Dicit ergo, *et parve amaro,* illud signum, *a quel colle,* idest, monti fæsulano, in quo fuit olim fortis civitas Fæsularum, *sotto 'l qual tu,* scilicet, o Dantes, *nascesti,* scilicet in Florentia quæ est propinqua et subiecta illi colli forte per tria milliaria, de quo alibi dictum est et dicetur. — *Poi.* Nunc Justinianus transcursis breviter quibusdam victoriis et triumphis aquilæ per tempora consulum, nunc descendit ad magnificentissima gesta imperatorum. Et incipit a primo, sci-

licet Cæsare, et præmittit quod juste cepit arma contra hostes auctoritate senatus et voluntate populi romani, dicens: *Poi Cesare il tolle,* illud signum, *per voler di Roma,* idest, voluntate senatus et populi romani, tamen opera Pompeii et Crassi, imo senatus ultra Galliam transalpinam dedit sibi cisalpinam timens ne populus sibi daret: fuit enim Cæsar magis amicus populi quam nobilium; et hoc fecit, *presso al tempo,* scilicet Augusti, quasi dicat, modicum ante tempus Octaviani, *che tutto 'l ciel volle,* idest, omnis constellatio cœli voluit, *ridur lo mondo a suo modo sereno,* quasi dicat, ad unum principem, ad unum monarcham, ut sicut unus est princeps in summo cœlo a quo dependent omnes, * intellige (1) regentes orbem, ita esset unus princeps in terra, a quo dependerent omnes * (2) reges mundi gubernantes regna. Istud autem fuit tempore Augusti, cuius Cæsar fuit quasi præcursor, nec unquam alius ante eum potuerat obtinuisse istud bravium. — *E quel.* Hic Justinianus mira brevitate coarctat bellum gallicum, de quo Julius Celsus miles et socius Cæsaris, qui omnibus interfuit, facit satis magnum volumen. Sed aliqua pauca transcurrenter attingam. Est igitur sciendum, quod Cæsar in Gallia primo habuit rem cum Helvetiis vicinis Gebennæ, qui non audacia sed rabie incensis terris eorum, parabant exire fines patriæ; quos recedentes Cæsar, transito Rhodano, citissime cum incredibili occisione delevit, qui coacti sunt reparare terras eorum. Cæsar deinde Ariovistum regem germanorum, qui Sequanos crudeliter opprimebat, requisivit ad colloquium secum, qui superbe respondit: et quis est Cæsar? contra quem Cæsar ivit in Sequanos, et acerrima pugna Ariovistus victus fugiens transivit Rhenum cum parva navicula deposita sarcina superbiæ suæ: et Cæsar

(1) S. e 4, intelligentiæ regentes.
(2) Le parole fra i due asterischi sono supplite dagli altri tre Codici.

una æstate duobus victoriis gloriosus redivit in Galliam * cisalpinam. Cæsar deinde reversus in Galliam * (1) habuit bellum atrocissimum cum Nerviis, qui ferox et durum genus hominum, tam obstinate pugnaverunt, ut equites Trevirorum fugerent qui venerant in auxilium Cæsaris. Sed Cæsar cum semper magnanimus esset, in magnis periculis maximus (2), auxilium quod aliunde non poterat a seipso accepit; nam detracto scuto uni militi suo in primam aciem currens, amore et pudore revocatis suis reintegravit pugnam. Sic romana perseverantia pertinaciam Nerviorum vicit, et Cæsar factus est victor; pro qua victoria supplicatio quindecim dierum facta est Romæ. Cæsar deinde transivit Rhenum in Germaniam, facto ponte artificioso valde, ubi stetit solum decem octo diebus: et reversus in Galliam, facto magno apparatu navium, transivit in Britanniam tertio anno belli gallici, quia britanni dederant auxilia gallis. Ibi passus est magnam tempestatem, ita ut romanam audaciam mundi finibus non contentam castigare videretur Oceanus; sed pro victoria supplicatio viginti dierum facta est Romæ, quod nunquam ante factum fuerat: et quarto anno visitata Gallia cisalpina et illyrica, quæ nunc dicitur Sclavonia, et erat sub legatione sua, iterum transivit in Britanniam cum maiori tempestate, ubi bello vicit Cassivellanum virum fortissimum quem omnes ducem et regem fecerant apud Leondinam civitatem, quæ tunc Trinobantum vocabatur; et recepta urbe cum aliis quinque pacem dedit Cassivellano, contentus fecisse regem et Britanniam tributariam, et reversus est in Galliam sereno mari, quod suo domitori gratulari videbatur. Anno quinto huius belli quasi omnes galli rebellarunt Cæsari duce Induciomaro trevirensi, quem Labienus legatus Cæ-

(1) Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici 4 e Estense.
(2) E. maxime.

saris vir strenuissimus vicit et occidit. Sed Cæsar per se et suos victor cum magna gloria romani nominis iterum transivit in Germaniam contra Suevos iterum facto ponte: sed cito reversus, composita Gallia, redivit in Italiam; et interim ([1]) quasi nova rebellio totius Galliæ facta est duce Vercingentorige Alvernorum, qui juvenis erat potentissimus corpore, armis, animo, et ipso nomine terribilius, cum quo fuerunt Parisii, Senones, Pithones, Turones, Lemovices, Bituriges, Rutheni et alii; sed Cæsar ex Italia reversus celeriter in Galliam venit in Alverniam; et post multas victorias tandem Vercingentorix volens et consulens datus est Cæsari, qui provolutus ad genua proiectis armis dixit: virum fortem fortissime vicisti. Et ultimo Cæsar omnium victor in novem annis, decimo anno totam Galliam transalpinam ordinavit, et veniens in Italiam Galliam cisalpinam in fide et amore suo confirmavit; et iterum reversus in Galliam suspensus expectabat quidquid Romæ ageretur, jam quasi divinans civile bellum. His præmissis nunc construe sic literam: Justinianus describens Galliam a fluminibus suis, dicit: *Isara*. Hic fluvius nascitur ex alpe alta inter Galliam et Italiam, et decurrens per amœnam vallem per multas terras, tandem magnus cadit in Rhodanum, ubi Marius terribiliter vicit Cimbros, sicut totum vidi; *ed Era,* alius fluvius cadens similiter in Rhodanum, quem non vidi, *vide quel che fe,* illud signum aquilæ, *da Varo;* hic est fluvius satis magnus in confinio Italiæ inter territorium januensium et provinciam, *infino al Reno;* Rhenus est fluvius maximus ([2]), qui olim dividebat Galliam a Germania, qui dicebatur murus romani imperii contra barbaras nationes, antequam Cæsar ipsum transiret; et sic vide quod Gallia erat olim maior quam nunc sit, quia

---

([1]) E. e 4, iterum. ([2]) 4, satis magnus.

Flandria, Brabantia, Treviris, Nervii et multæ aliæ nationes transiverunt in nomen germanorum; et oritur in alpibus ex quibus Rhodanus, et longo spatio discurrens per fines Helvetiorum, Sequanorum, Trevirorum, multis capitibus cadit in Oceanum. Et dicit: *e vide Senna,* scilicet, illud quod fecit signum aquilæ, Sequana fluvius famosus qui facit insulam parvam intra Parisius, a quo denominati sunt Sequani, de quibus jam facta est mentio. Et ut cito se expediat dicit: *et ogni valle onde Rodano è pieno,* sicut fluvius Senna qui olim vocabatur Arar, qui pigerrimus cadit in Rhodanum rapacissimum juxta Lugdunum. Et ita Sorgia pulcerrimus intrat Rhodanum apud Avinionem; et Ruentia rapacissimus fluviorum Galliæ qui non longe ab Avinione cadit in Rhodanum. Rhodanus autem transiens primo per lacum Lemanum apud Gebennam transiens per multas terras, non tamen longo cursu, sed magno impetu cadit in mare non longe a Marsilia. Et sic vide quod Cæsar subiugavit omnem Galliam, quæ clauditur alpibus Italiæ, alpibus Hispaniæ, Rheno, Oceano et mari mediterraneo. — *Quel che fe.* Hic Justinianus tangit bellum civile Cæsaris, quod immediate sequitur ad gallicum: et primo tangit quomodo primo occupavit Italiam. Ad cuius literæ cognitionem est primo sciendum quod arma Cæsaris hucusque fuerant magnifica et gloriosa, amodo vero impia potius et iniusta, quia contra patriam nulla possunt ratione excusari. Senatus enim romanus cum consilio et favore Pompeii Magni tunc potentissimi, Catonis sapientissimi, Ciceronis eloquentissimi, Marci Bruti virtuosissimi, decernebat, ut Cæsar dimisso exercitu privatus rediret, et Domitius audacissimus sibi successor mitteretur, sive invidia, quia nunquam magna gloria sine invidia fuit; sive ex timore quia videbant quod Cæsar omnia agebat non tamquam dux populi romani, sed ut dominus et rex pro arbitrio

suo. Cæsar autem quia nec triumphum nec consulatum poterat obtinere venit Ravennam famosam civitatem, quæ erat in confinio Galliæ cisalpinæ provinciæ suæ, cum animo defendendi armis causam suam: ubi audito quod tribuni plebis protectores sui erant pulsi ex urbe, de nocte clandestine recedens in aurora cepit Ariminum evocatis legionibus ubicumque essent; et continuo terræ Marchiæ Anconitanæ, quæ tunc Picenum vocabatur, lætæ paruerunt sibi: sic Tusciam et Umbriam quæsivit, donec tandem transivit Corfinium quod est terra longe a Sulmone per duodecim milliaria, ubi Domitius infestus Cæsari proditus a suis ligatus datus est Cæsari; quem Cæsar solvit et vitam donavit invito: sic tota Italia cedente Cæsari, Pompeius fugit Brundusium, ubi Cæsar conatus est includere ipsum. Sed Pompeius inde evasit, et Durachium appulit in Græciam. Cæsar deinde Romam venit et urbem composuit ad modum suum. Nunc ad literam; dicit Justinianus: *Quel che fe,* signum [1] prædictum, *poi ch'egli uscì di Ravenna;* de hac dicit Plinius: Ravenna sabinorum oppidum. Et hic nota quod Dantes tanquam de terra alumna et benefactrice sua facit singularem mentionem in quolibet volumine suo: nam in Inferno facit memoriam de rectore eius qui fuit suus benefactor: in Purgatorio de claris familiis et illustribus civibus eius; hic vero in isto nobili capitulo de flore et potentia eius quando Cæsar ibi moram traxit dum pararet invadere romanum imperium; *e saltò il Rubicon;* Rubicon est fluvius parvulus Romandiolæ prope Cæsenam civitatem fertilissimam, qui fluvius est famosus apud autores, quia fuit olim terminus provinciarum, et quia Cæsar transivit hunc difficulter propter inundationem, et prodigium visum de homine quasi divino pulsante tubam terribiliter;

---

[1] E. scilicet signum.

fu di tal volo, quia aquila fecit tunc magnum volatum; nam ubi Cæsar portaverat primo aquilam in occidentem, nunc retorsit ipsam in orientem, ut ait Florus, *che nol seguiteria lingua nè penna,* quasi dicat: lingua fatigaretur in narrando, et penna in describendo; unde alter Svetonius fecit satis magnum librum de ista materia. Et subdit breve bellum factum in Hispania. Ad quod est sciendum, quod Cæsar dispositis rebus in Italia, fugato Pompeio noluit persequi ipsum, ne relinqueret sibi a tergo bellum formidabile, cum incredibili celeritate transivit in Hispaniam, quam tenebant tres legati Pompeii, Petreius et Afranius erant in citeriore, Varus in ulteriore: ibi passus magnum diluvium aquarum Petreium et Afranium clausit intra montem apud Ilerdam civitatem Aragoniæ; et cum propter sitim deditio tractaretur, et milites hinc inde fidenter et familiariter in castra irent, Petreius et Afranius perfide et maligne Cæsarianos incautos et inermes trucidaverunt in suis castris; nec tamen Cæsar clementissimus voluit simile fieri in suis castris, imo postea illis supplicantibus pacem dedit et veniam cum illi jam per quatuor dies jeiunio affecti essent. Dicit ergo: *invêr la Spagna rivolse lo stuolo,* idest, illud signum reduxit exercitum in Hispaniam, quam totam subiugavit spatio quadraginta dierum: ideo bene cum iret in Hispaniam prædixerat se ire ad exercitum sine duce, et rediturum ad ducem sine exercitu. — *Poi vêr Durazzo.* Nunc Justinianus tangit bella Cæsaris contra Pompeium in Græcia: ad quorum cognitionem est sciendum quod Cæsar victor Hispaniæ reversus in Italiam magno ardore (¹) cum desiderio bellandi per medias tempestates et parva classe a Brundusio transivit in Græciam et in Epiro posuit ca-

(¹) E. ardore et desiderio.

stra non longe a Pompeiò. Sperabat enim victoriam suam in celeritate, Pompeius vero in tarditate; propter quod cum non posset aliquo modo provocare Pompeium in prœlium, tandem cinxit eum obsidione apud Durachium inexpugnabile; et consilium cepit ex natura loci. Erant enim circa castra Pompeii multi alti et asperi colles, quibus occupatis fecit viginti quatuor castella, et ex castello in castellum munitionem duxit cum fossa per sexdecim milliaria; ibi plura prœlia particulària facta sunt cum mirabili resistentia et patientia Cæsariensium et potissime Scevæ centurionis; tandem una die facta est violentissima eruptio. Et Pompeius victor, facta magna cæde de hostibus, suos a prœlio revocavit, quia timuit insidias, quia non sperabat istam victoriam, vel quia nox supervenit, vel quia sperabat victoriam sine cæde; sed certe error fuit: ideo bene Cæsar tunc dixit: Pompeium vincere nescire. Cæsar deinde consolatus suos transivit in Thessaliam, et Pompeius secutus est ipsum qui sapientissime volebat vincere cum dilatione (1); sed victus querelis omnium invitus laxavit habenas fortunæ; tamen sequens consilium aliorum, finaliter fidens multitudine magna cœpit pugnam. Labienus qui factus erat hostis infestissimus Cæsari in bello civili animose incitavit Pompeianos. Cæsar vero magnifice accendit suos et ordinem pugnæ dedit; sed tardantes crastinus in rabie (2) furoris omnes in prœlium traxit, qui paulo post justissime interfectus est jactato (3) gladio in os eius. Pompeius studebat cum multitudine equitum circumvenire exercitum Cæsaris; sed nihil magis nocuit sibi, quam multitudo et diversitas quæ per unum regi et frænari non poterat. Cæsar autem et fortissimi militis et summi ducis officium gerens, nunc feriens, nunc exhortans omnibus ad

---

(1) 4, dilectione. (2) E. in rabiem. (3) 4, jacto.

omnia succurrens, equites suos ad hoc deputatos immisit, deinde acies peditum conglobata velut murus ferri sequuta est; et levis armatura Pompeii faciliter dedit terga: et dicit Horosius, quod Cæsar in mirabili virtute germanorum hanc victoriam obtinuit. Pompeius autem visa fuga suorum fugit a prœlio ne secum totus exercitus moreretur: quo remoto nullus in acie stetit, et Cæsar qui principio belli clamaverat: miles faciem feri; in fine clamavit: parcite civibus, cum illos persequerentur, ut ait Florus. Ex legionibus et equitatu Pompeii quindecim millia perierunt; innumerabilis fuit strages aliarum gentium et auxiliorum quæ toto (1) oriente convenerant: nunquam in uno campo tantum virium romanarum fortuna contraxit. Nam ut scribit Florus, tercenta millia bellatorum hinc inde præter auxilia regum et senatus: fuerunt undecim legiones ex parte Cæsaris, ex parte Pompeii decem et octo, flos et robur italici sanguinis. Pompeius autem fugiens uno equo per terram, et una navi per mare, recepta uxore post deliberationem pervenit in Ægyptum, ubi Ptolomæus, cui Pompeius tutor a senatu datus regnum fideliter servaverat, habito consilio suorum illum interfici fecit, et corpore in undas abiecto caput dono Cæsari reservatum est. Et Cæsar cum paucis fidens fama sui nominis, quæ non minus suo valebat exercitu, Alexandriam pervenit, ubi fuit quasi in maiori periculo quam unquam. Nam Achillas crudelissimus hausto sanguine Pompeii ebrius sanguinem Cæsaris sitiebat, præfectus regis cum viginti millibus armatorum bellum movit: et Cæsar nisi habuisset Ptolomæum secum forte non evasisset. Sed Ptolomæus dimissus a Cæsare improvide venit cum aliis contra eum. Cæsar repentina invasione percussus subito intravit naviculam; sed demersus in aquam

(1) E. toto ab oriente.

ab hostibus enatavit per ducentos passus ad propinquam navim pallium suum cum dentibus trahens, et manu sinistra elevata ne literæ quas habebat balnearentur: et cum rediisset ad suos cum solita celeritate et felicitate classem regis oppressit et cepit, et castra hostium invasit cum magna strage eorum. Rex fugiens intravit unam navim, qua demersa multitudine fugientium qui similiter volebant evadere, suffocatus est in aqua. Deinde Cæsar receptus in Alexandriam reddidit regnum Cleopatræ in pretium libidinis. Nunc potes videre literam: dicit Justinianus: *Poi vêr Durazzo,* scilicet Cæsar convertit exercitum, *e percosse Farsaglia,* idest, Thessaliam, quam rubeam fecit sanguine civili, *sì che al Nil caldo,* idest Ægyptus per quem labitur Nilus, quæ est calida regio extrema Asiæ, contermina Africæ, *si sentì del duolo,* idest, dolore. Et subdit quomodo Cæsar persecutus Pompeium; et vult dicere uno verbo quod Cæsar transivit in Asiam ad Hellespontum, ubi olim Xerses transivit ex Asia in Græciam. Dicit ergo: et illud signum aquilæ, *rivide,* idest, iterum vidit, *Antandro,* insula est Troiæ, *e Simoenta.* Simois est fluvius troianus, per quæ loca dat intelligi Troiam, *onde si mosse,* ab initio quando venit cum Enea, ut tactum est in principio capituli, *e là dov' Ettore si cuba:* hoc dicit notanter quia Cæsar visitavit et honoravit sepulcrum Hectoris; et dicit: *e poscia si riscosse,* semovit, *mal per Tolomeo,* malo [1] et damno Ptolomæi. — *Da onde.* Hic Justinianus tacto magno bello civili, quod Cæsar gessit cum Pompeio, nunc tangit breviter alia duo bella civilia quæ gessit cum Pompeianis. Ad quorum cognitionem est sciendum, quod Cæsar recedens ex Asia in medio tempestatum per hyemem pervenit in Siciliam; et quamvis esset necessarius Italiæ, tamen audiens ma-

---

[1] E. idest malo et.

gnum exercitum pompeianum congregatum in Africa, ubi duo duces erant Scipio et Cato, velut fulmen belli vir ardentissimi spiritus transivit in Africam, ubi erant decem legiones romanæ, et rex Juba cum infinita multitudine barbarorum. Cæsar post multa incommoda et prœlia particularia apud Tapson urbem cum suis octo legionibus contra hostes aciem ordinavit, ubi milites inflammati adhortatione [1] eius, non expectato signo, cum magno ardore pugnaverunt trucidantes omnes. Cæsar tria castra hostium cepit, scilicet, Scipionis, Jubæ, et Labieni. Juba et Petreius finaliter ad mensam bene potati se mutuo interfecerunt. Scipio dux generalis omnium cum in navi fugeret in Hispaniam, deprehensus a Cæsarianis gladio se percussit; et quærentibus ubi esset imperator, respondit: imperator bene se habet. Cæsar omnium victor Romam rediit, deinde inaudita celeritate transivit in Hispaniam, ubi duo filii Pompeii propter memoriam et famam patris magnum favorem invenerant; ibi [2] extremis viribus et odiis pugnatum est apud Mundam civitatem; nec unquam Cæsar in tam extremo periculo fuit: nam acies veteranorum, per tot tempora in omnibus bellis probata et laudata, cœperat paullatim retrocedere; sed Cæsar ab equo desiliens cœpit præcedere aciem peditum [3] velut furiosus, manu et lingua revocans fugientes; imo visus est cogitare de morte, timens fortunam esse mutatam, tandem fortuna contulit sibi insperatam victoriam. Nam quinque cohortes Labieni quæ ad succursum castrorum mittebantur, creditæ fugere, præstiterunt suis materiam fugiendi, et Cæsari victoriam cum magna strage hostium et morte Labieni. Gneus vulneratus fugiens per sylvam interfectus est a Cesennio legato Cæsaris, et caput Cæsari præsentatum. Ultimo Cæsar visitata Hispania

---

(1) 4, ad hortationem eius. (2) E. ubi. (3) 4, prædictam.

usque Gades reversus est Hyspalim, quæ nunc Sibilia vocatur, et hyspalensibus magnam querimoniam fecit quia faverant Gneo, dicens superbe quod populus romanus immortalis habebat decem legiones quæ cœlum frangere essent potentes; sic solum nominans suas, ut quasi cæteræ nihil valere viderentur. Et hic fuit finis belli civilis Cæsaris quod duravit quatuor annis. Ad literam ergo veniendo, dicit Justinianus: *Da onde,* scilicet post bellum Alexandrinum, *scese,* idest, descendit illud signum aquilæ portatum a Cæsare, *folgorando a Giuba,* scilicet in Africam, *poi si rivolse nel nostro occidente,* scilicet in Hispaniam, quæ est in finibus nostri occidentis, *dove sentia la pompeiana tuba,* quia duo Pompeii pro uno renati videbantur: unde Sextus evadens ab isto bello, postea multum fatigavit Augustum, occupata Sicilia et Sardinia. Et hic ultimo nota, lector, quod hic Gaius Cæsar Lutii filius plura laudabilia videtur habuisse, quam unquam aliquis princeps. Nam fuit sanguine nobilissimus de domo Julia, corpore pulcerrimus, licet ista non conferant veram laudem: fuit armorum peritissimus sine pari, unde non Pyrrhus, non Hannibal, non Alexander magnus, non Scipio maior huic maximo duci possunt (1) assimilari; qui fecit fere impossibilia homini. Hic fuit eloquentissimus principum, unde Tullius numerat eum inter optimos oratores; fuit poeta, unde fecit metrice opusculum quod appellavit iter in angusto rerum articulo, quando in viginti quatuor diebus ab Italia ivit in Hispaniam. Historicus (2), unde sua gesta descripsit luculento stilo, ut dicit Svetonius; fecit etiam Anticatones, correxit leges sui temporis, fecit compotum, ordinavit annum, invento bisexto, dictabat simul pluribus scriptoribus, ut idem dicit. Cæsar fuit liberalissimus; nam ex tot victoriis nihil sibi reti-

---

(1) E. possunt similari. (2) E. Fuit historicus.

nuit nisi dispensandi potestatem, ut ait Seneca: fuit clementissimus super omnes; unde Tullius dicit eum simillimum Deo in clementia; unde Augustinus in decimo de Civitate Dei dicit: Gaium Cæsarem, qui civilem victoriam clementer exercuit, quidam senatores sub specie libertatis intęrfecerunt; fuit temperatissimus, unde Cato hostis capitalis eius dicebat: solus Cæsar sobrius accessit ad rempublicam evertendam. Magnanimus hominum [1], ut bene ostendit in victoria Thessaliæ et Africæ, quando fecit cremari literas hostium, quas noluit legere; patientissimus fuit omnium laborum; peritissimus equitandi, natandi, saltandi, et breviter erat totus in singulis, ut dicit Policratus anglicus: habuit ingenium et memoriam magnam, unde nihil solebat oblivisci, nisi iniuriarum. Sed certe Cæsar, sicut dicit Livius de Hannibale, habuit vitia paria virtutibus magnis, et maxime fecit multa enormia cupiditate dominandi; nam contra patriam bellum civile movit cum tanto sanguine civium: in suo consulatu omnia ad arbitrium fecit expulso armis collega Bibulo, et prius tentaverat multis modis facere aliquam novitatem in urbe ut veniret in statum. Solus fuit defensor coniuratorum Catilinæ: omnium reorum erat refugium, dicens, quod tales erant apti bello civili. Bis spoliavit ærarium Romæ, primo fraudulenter, secundo violenter: summum sacerdotium emit magno pretio: fecit se dictatorem perpetuum, immo, ut ait Lucanus, omnia Cæsar erat. Unde Tullius dicit quod Cæsar semper habebat in ore illud dictum Euripidis poetæ Græciæ: si violandum est jus regnandi gratia violandum est; cæteris rebus pietatem cole. Luxuriosus fuit valde; unde cum Cleopatra eadem navi circuibat Ægyptum; uxorem Pompeii stupravit, unde Pompeius solebat [2] ipsum vocare Ægisthum; et similiter

---

[1] 4, omnium hominum.

[2] E. solebat eum ex hoc vocare.

matrem (1) Crassi et filiam; non timuit Deum nec terræmotum. Et ut cito concludam, Cæsar habuit maiora vitia et maiores virtutes quam Pompeius magnus; sed uterque petebat regnum, uterque ingratus patriæ, uterque obscuravit gloriam patris; et pater Pompeii Pompeius Strabo fulmine percussus est. — *Di quel che fe.* Hic Justinianus cum optimo ordine transcurrit aliqua bella civilia et hostilia Cæsaris Augusti, qui fuit filius adoptivus et hæres Cæsaris. Ad quorum cognitionem est breviter sciendum, quod, sicut potest colligi ex Floro, Tullio et aliis, mortuo Cæsare, Gaius Octavius juvenis decem octo (2) annorum, qui studebat in Græcia, celeriter venit Romam; ubi statim Marcus Antonius fuit sibi infestus, quia Octavius erat primus hæres testamento Cæsaris; quare ad opprimendum juvenem cœpit movere bellum, cum senatus faveret Octavio; et (3) jam parato exercitu in Galliam cisalpinam circumsedit Mutinam florentissimam coloniam ubi erat Decimus (4) Brutus; sed Octavius et duo consules Hirtius et Pansa missi a senatu liberaverunt Brutum duobus prœliis tertio mense, et utroque consule occiso, Octavius victor solus obtinuit tres exercitus adhuc privatus: Antonius exclusus a Mutina fidelissima colonia receptus in Parma crudelissime trucidavit parmenses viros optimos et honestissimos homines cum Lutio Antonio fratre suo; fuit enim Marcus Antonius crudelis, vinolentus, præceps, prodigus, vorax. Postea Antonius et Octavius concordes facti vicerunt Marcum Brutum et Gaium Cassium in Thessalia, sicut scriptum est Inferni capitulo ultimo. Octavius relicto Antonio in oriente venit in Italiam, et cum divideret agros suis veteranis, Lutius Antonius vir pessimi ingenii, imitator fratris in temeritate, incitante Fulvia uxore Antonii virili fœmina cœpit movere bellum contra Octavium cum

(1) E. uxorem Crassi. (2) 4, decem novem annorum.
(3) E. et ideo parato exercitu in Gallia cisalpina. (4) E. Decius.

multis proscriptis et spoliatis. Octavius obsedit eum intra Perusium, et post magnam famem pepercit Antonio, sed delevit Perusium. Nunc ad literam dicit autor: *di quel che fe,* illud signum aquilæ, *col baiulo seguente,* idest, cum Cæsare Augusto nutritore suo, qui plus cæteris fovit et promovit aquilam, cuius incredibilis et (1) divina virtus superavit ætatem; unde apud Mutinam portavit aquilam humeris propriis moriente aquilifero; *Bruto con Cassio nell' inferno latra,* in extremo frigore glaciali in ultimo supplicio: et præposterat ordinem, quia prius fuit bellum civile mutinense quam philippense; unde dicit: *e Modona e Perugia fe dolente.*—*Piangene.* Hic Justinianus tangit aliud bellum civile factum famose per Augustum. Ad quod est sciendum quod Antonius effœminatus amore Cleopatræ pulcerrimæ duxit ipsam (2) in uxorem, repudiata Octavia sorore Octavii; propter quod ortum est bellum inter Antonium et Octavium. Octavius a Brundusio transivit in Epirum cum magna classe; et Cleopatra potentissima cum variis gentibus orientis et forti classe, et Antonius cum ea cucurrerunt cum Octavio bello navali sub Leucate monte. Ibi Cleopatra prima cum aurea navi et velo purpureo cepit fugam, quam sequutus est Antonius; et Octavius continuo persequutus eos prospere obsedit eos in Alexandria. Antonius desperans pacem se gladio interfecit; Cleopatra vero non valens flectere pudicitiam juvenis Octavii, videns se reservari ad triumphum, intravit sepulcrum sui Antonii, et appositis serpentibus pectori suo, ipsa venenosa serpens in complexu Antonii quasi dormiens expiravit. Ideo bene dicit: *Piangene ancor la trista Cleopatra,* quia pulcra, potens, dives, astutissima in tantam devenit infelicitatem, quam tamen magnanimiter et cito finivit; unde dicit: *che, fuggen-*

(1) E. sed divina. (2) E. eam.

dogli innanzi, victa terra et mari, *prese la morte subitana et atra,* idest, obscuram; sed certe gloriosior fuit mors Cleopatræ vitiosæ quam Zenobiæ virtuosæ, quæ captiva ligata tota catenis aureis ducta est ante currum triumphalem ab Aureliano imperatore, *dal colubro,* idest, serpente, scilicet ab aspide, quæ sopit quem mordet suo veneno. Plinius tamen aliter scribit istam mortem, scilicet, quod mortua est veneno quo astutissime tentaverat Antonium. — *Con costui.* Hic ultimo Justinianus concludit virtutem et felicitatem Augusti qui post prædicta bella civilia fecit multa bella hostilia per se et legatos suos, et omnium victor pacem dedit mundo. Dicit ergo: *Con costui,* scilicet, Cæsare Augusto, *corse insino al lito rubro,* idest, ad mare rubrum per quod veniunt mercimonia et aromata, sicut piper, ebur in Alexandriam Ægypti; et quia non vult enumerare alias victorias eius concludit maximum bonum eius, dicens: *con costui,* scilicet cum eodem Augusto, *pose il mondo in tanta pace,* quia ut bene dicit Florus, ubique aut pax aut pactio fuit; unde Parthi remiserunt sibi signa ([1]) quæ habuerant de Crasso avaro necato et Antonio prodigo fugato: et Indi miserunt legatos suos et munera magna; unde dicit: in testimonium tantæ pacis, *che fu serrato a Giano il suo delubro,* idest, templum; nam Augustus septingentesimo anno ab urbe condita clausit templum Jano, quod nunquam fuerat clausum nisi bis, scilicet sub Numa rege, et in fine primi belli punici. Et Augustus vocatus est dictator perpetuus et pater patriæ, et senatus addidit sibi nomen Augusti sanctius et reverentius, ut jam vivens in terris consecraretur et quasi Deus coleretur in mundo, licet ipse nunquam voluerit vocari Dominus. Ideo bene dicit Florus: gratulandum est, quod in tanta perturbatione summa

([1]) E. sibi singula quæ habuerant de Crasso avaro necato et de Antonio.

rerum rediit ad Augustum, qui sapientia et solertia sua turbatum corpus imperii ordinavit, quod sine dubio nunquam convenire potuisset, nisi unius principis voluntate, quasi una anima et mente regeretur; sed verius cœlum disponebat tantam tranquillitatem et serenitatem Christo qui sub Augusto incarnatus est. Hic tamen felicissimus hominum multas infelicitates habuit, sicut Juliam filiam meretricissimam, et Tiberium successorem pessimum. — *Ma ciò*. Hic Justinianus tangit supremam gloriam istius signi, quia si sub Augusto erat facta reparatio mundi male dispositi, sub Tiberio facta est reparatio humani generis damnati: et primo superextollit magnifice istud factum, ostendens quod omnia facta præterita et futura sunt parum vel nihil respectu istius. Dicit ergo: *Ma ciò che 'l segno,* scilicet, aquilæ, *che parlar mi face fatto avea prima,* scilicet, ante Tiberium, *e poi era fatturo,* scilicet post Tiberium, sicut per Vespasianum, Traianum, Antoninum pium, Alexandrum, et ita de multis usque ad Constantinum, et ita deinceps usque ad ipsum Justinianum, et ab ipso usque ad Carolum magnum, *per lo regno mortal, ch' a lui soggiace,* idest, mundum, qui est subditus de jure sibi, *diventa in apparenza poco e scuro,* respective, *se in mano al terzo Cesare si mira,* scilicet in manu Tiberii; iste fuit strenuissimus armorum, et magna et periculosa bella gessit pro Cæsare Augusto vitrico suo, tamen vitiosissimus ([1]); juvenis ebriosus, senex luxuriosus, canis rabidus. Dicit tamen Horosius de eo quod Tiberius, quia non obtinuit in senatu quod Christus coleretur pro Deo, ex mansuetissimo principe conversus est in sævissimam bestiam; et dicit: *con occhio chiaro,* idest, intellectu vero, *e con affetto puro,* idest, affectione clara. Hoc dicit quia multi negant istam rationem quam

---

([1]) E. vitiosissimus hominum; juvenis.

autor hic facit, sed ipse ubique habet istam opinionem quicquid sit. Unde dicit: ***chè la viva giustizia,*** scilicet, divina, ***che mi spira,*** idest, inspirat mihi hanc veritatem, ***gli concedette, in mano,*** idest in potestate, ***a quel ch'io dico,*** scilicet Tiberio, ***gloria di far vendetta alla sua ira;*** quia divina justitia requirebat ut vindicta fieret de iniuria primi parentis, pro qua Deus erat iratus sicut probatur capitulo sequenti. Et admonet autorem quod bene advertat ad unum quod dicere intendit, scilicet quod vindicta facta est de vindicta; quod dictum videtur mirabile quia videtur implicare contradictionem. Dicit ergo: ***or qui t' ammira in ciò ch' io ti replico,*** quia, scilicet, vocabulum semel positum repetit bis. Et subdit gloriosissimam victoriam quam ista aquila victrix et triumphatrix habuit de judæis; unde dicit: ***poscia corse,*** illud signum, ***con Tito,*** qui fuit undecimus imperator Vespasiani filius omni virtute refulgens, qui imperavit cum patre et post patrem, qui dicitur fecisse vindictam de morte Christi quando evertit Jerusalem cum tanto excidio judæorum. Istud autem debet intelligi sane, scilicet quod justo judicio [1] Dei Titus fecit vindictam de peccatis judæorum, non tamen ea intentione, cum fuerit paganus, sicut bene expositum est in Purgatorio; unde dicit: ***a far vendetta della vendetta del peccato antico,*** primi parentis. — ***E quando.*** Hic ultimo Justinianus in narratione sua tangit aliud gestum insigne istius signi victoriosi in manu Caroli magni, et servat optimum ordinem, quia sicut ipse Justinianus liberavit Italiam de manibus gothorum qui diu oppresserant eam, ita Carolus liberavit Italiam de manibus longobardorum qui diutius oppresserant eam. Ad intelligendam [2] igitur literam est sciendum, quod sicut scribit Eginardus nutritus a Carolo, qui, ut ipse

[1] E. judicio deitatis fecit vindictam de peccato.
[2] E. Ad intelligentiam igitur literæ est sciendum.

testatur, omnibus rebus gestis ab eo præsens fuit, Carolus Pipini Nani filius, non impar gloria patri suo sed victoriosior et præclarior, rogatus et requisitus ab Hadriano summo pontifice, congregata regni sui multitudine principum et fortissimorum bellatorum, ingressus Italiam per montem Senisium Desiderium regem longobardorum infestantem ecclesiam primo victum magna cæde obsedit intra Ticinum, quæ hodie vocatur Papia; et tandem decimo mense obsidionis Desiderium captum cum uxore et filiis secum duxit in Franciam, qui aliquando fuerat socer eius; et constituit Pipinum regem super Italiam. Sic finitum est regnum longobardorum quod duraverat ultra ducentos annos ab adventu Alboini regis, qui primo venit Veronam de partibus septemtrionis. Carolus victor veniens Romam appellatus est Cæsar et Augustus a populo, et coronatus est imperator per manum Leonis papæ tertii; et sedem apostolicam ordinavit collata sibi potestate omnium dignitatum: et tunc romanum imperium divisum est ab imperio constantinopolitano, nec unquam reunitum; nec unquam fuit alius imperator in imperio occidentali post Carolum tantæ virtutis et felicitatis. Ideo bene Justinianus finit in eo narrationem suam, nec autor curavit descendere ad Othones et alios imperatores germanorum, qui aliquando succurrerunt ecclesiæ contra papam et contra imperatorem. Nunc ad literam; dicit Justinianus, *e quando il dente longobardo*, idest, sævitia Desiderii, *morse la santa chiesa*, lacerando jura eius sicut fecerat pater suus Astulphus, qui victus est a Pipino vocato a papa Zacharia, *Carlo magno, vincendo, la soccorse*, qui et terram sanctam liberavit a servitute saracenorum, sicut dicetur infra, *sotto alle sue ali*, ipsius aquilæ imperialis. — *Omai*. Hic ultimo Justinianus præmissa longa digressione revertitur ad principale propositum, et arguit italicos qui iniuste agunt contra ju-

stum signum, alii amore, alii odio seducti. Dicit ergo: *Omai puoi giudicar,* ex rationibus factis, *di que' cotali,* scilicet, guelphis et ghibellinis, *ch' io accusai di sopra,* in principio digressionis, *e de' lor falli;* vere falluntur fatui, quia de centum militibus non invenitur unus, qui sciat quando vel quomodo sint inventæ istæ partialitates, vel quid sibi velint ista nomina propter quæ faciunt tanta mala; ideo bene dicit: *che son cagion di tutti i vostri mali.* O quot civitates eversæ! quot millia hominum cæsa propter inane nomen! Sed Deo gratias, qui justissime extendit manum suam super Italiam, ita quod jam obliviscimur ista nomina. Et manifestat errorem utriusque partis, dicens: *l' uno,* idest, guelphus, *oppone i gigli gialli,* idest, insignia regis Franciæ et Caroli veteris, quæ sunt lilia citrina cum rastello desuper, *al pubblico segno,* scilicet aquilæ, quæ est signum commune justum, *e l' altro,* scilicet, ghibellinus, *appropria quello a parte,* et sic iniuste facit ipsum de publico privatum; unde dicit: *sì ch' è forte a veder qual più si falli,* quasi dicat, difficile est scire quis justius [1] induit arma, quia neuter, immo uterque pariter insanit. Et subdit justam increpationem contra utramque partem; et primo contra ghibellinos, dicens: *faccian li ghibellin,* et repetit, *faccian lor arte,* scilicet artes belli vel pacis, *sotto altro segno,* et ecce causam: *chè mal segue quello,* scilicet signum, *sempre chi la giustizia e lui diparte,* quasi dicat: male sequitur aquilam, qui partizat, et ita e contra: *e non l' abbatta esto Carlo novello,* scilicet, Carolus vetus, quem appellat novellum, quia primus venit in Italiam, et acquisivit regnum Siciliæ; qui multum persequutus est ghibellinos, et reduxit guelphos in Florentiam. Et similiter Carolus Claudus filius et rex Robertus nepos multum faverunt

---

(1) E. iniustius.

guelphis; ideo dicit: *co' guelfi suoi, ma tema degli artigli,* ipsius aquilæ fortis, *ch' a maggior lion,* quam sit ipse Carolus, qui suo tempore fuit potens et formidatus, *trasser lo vello,* idest, lanam, sive pilum, quasi dicat, denudavit, et privavit maiores reges, sicut Jugurtham quem Marius præcipitavit de arcu triumphali, et sicut Persem regem Macedoniæ, quem Paulus Æmilius duxit ante currum triumphalem, et mortuus est in carcere; et ita de multis nominatis supra et non nominatis. Et assignat causam, dicens: *molte fiate già pianser li figli,* idest, luerunt pœnam, *per la colpa del padre,* et certe iste pater victoriosus in fine habuit magnas infelicitates, quia regnum Siciliæ perdidit, et filius eius captus est, ut dicetur in capitulo VIII; unde dicit: *e non si creda,* ipse Carolus, *che Dio trasmuti l' armi,* scilicet, imperii, *per suoi gigli,* quæ numquam habuerunt similes victorias.

Questa. Ista est tertia et ultima pars istius capituli, in qua Justinianus respondet ad unum de quo Dantes petiverat supra in fine capituli præcedentis, scilicet, quare ipse sit positus in planeta Mercurii: ad quod ipse dicit quod ipse et cæteri similes fuerunt impressi influentia mercuriali. Ad quod est notandum quod Mercurius videtur significare claritatem, eloquentiam, memoriam, bonitatem disciplinæ, acumen ingenii, velocitatem, desiderium principatus, laudem, famam, scriptores librorum, profunditatem consilii, mercimonia, lucra, astutiam, pietatem, paupertatem et talia multa, quæ pro magna parte competunt ipsi Justiniano et Romeo de quo dicet. Dicit ergo: *Questa picciola stella,* idest Mercurius, qui est parvus et occultus, unde dicitur a quibusdam esse minor terra, *si correda,* decoratur et exornatur, *de' buoni spirti,* scilicet, beatis, *che son stati attivi,* in vita mortali, *perchè onore e fama gli succeda,* quia honor, fama et gloria sequitur ad opera virtuosa. Et subdit quod hoc cedit eis ad di-

minutionem præmii; unde dicit: *e quando li desiri,* idest desideria et studia humana, *poggian quivi,* idest, fundantur super honore et fama, *sì disviando,* scilicet, ab amore æternæ gloriæ, *pur convien che i raggi del vero amore,* quem homo debet habere ad æternam gloriam, *poggin men vivi in su,* idest, magis lente et remisse tendant ad summum bonum; quasi dicat: quandocumque homo magno desiderio gloriæ mundanæ facit opera pulcra et magna minus promeretur gloriam æternam; ideo bene Carolomannus magni Caroli patruus, temporalis regni administratione relicta, amore conversationis contemplativæ succensus Romam veniens apud Siratti montem moram ad tempus traxit.—*Ma.* Hic Justinianus respondet quæstioni tacitæ; quia enim autor poterat petere (1): et nonne tristamini vel minus contentamini de diminutione gloriæ vestræ? ad quod respondet, quod ex hoc magis lætantur et contentantur videntes divinam justitiam, quæ tam bene partitur præmia omnibus secundum exigentiam meritorum, et quia sunt in perfecta caritate omnes voluntates sunt una quia referuntur ad unum, sicut dicebat superius Picharda ipsi autori. Dicit ergo: *Ma parte di nostra letizia,* quæ crescit ex hoc, *è nel commensurare,* idest, in æquali et proportionabili consideratione, *de' nostri gaggi,* idest, nostrorum præmiorum, *col merto,* ideo dicit: *perchè non li vedem minor nè maggi,* quasi dicat: licet præmia nostra sint differentia secundum plus et minus, tamen æqualiter contentamur omnes; unde non invidemus maioribus, quia non parificamur eis; non æqualibus, quia parificantur nobis; non minoribus ne parificentur nobis, sicut fit in bonis fortunæ. Unde subdit: *quinci,* idest, ex hoc, *la viva giustizia,* scilicet, divina, *addolcisce in noi l' affetto,* idest, dulcorat affectionem

(1) E. petere et dicere: numne.

nostram, *sì che non si puole torcer giammai ad alcuna nequizia,* idest, rem iniquam; quasi dicat: non potest appetitus in nobis esse perversus. Et hic nota quod etiam justitia humana aliquando facit animos hominum esse contentos in diminutione vel subtractione præmii, sicut patuit supra in militibus liberatis a Cincinnato, quibus non dedit partem prædæ, qui tamen lætabantur de liberatione sua; multo magis isti contentantur de salvatione sua, licet gloria multorum in cœlo sit maior. Et declarat hoc per pulcram et propriam comparationem diversarum vocum, quæ bene proportionatæ in cantu faciunt mirabilem melodiam. Dicit ergo: *diverse voci,* in choro canentium, *fan diverse note,* quæ concordant ad unum cantum; *così,* idest, ita a simili, *diversi scanni,* idest, sedes beatorum, *rendon dolce armonia,* idest suavem melodiam, *in nostra vita,* scilicet, æterna, *tra queste ruote,* idest, inter istas speras cœlorum. — *E dentro.* Nunc Justinianus manifestat aliam animam modernam de spera Mercurii, quæ fuit mirabiliter activa in vita mundana. Ad declarationem autem istius historiæ, quæ multis est occulta et incognita, est præsciendum, quod Raymundus Berengerius, nobilis comes provinciæ Narbonensis, fuit vir humanus, affabilis, rhythmorum vulgarium facile repertor; sed nimis liberalis, magnifice omnibus nobilibus dexteram suæ largitatis extendens, semper erat debitor multum. Accidit autem quod quidam peregrinus veniens ab extremo occidentis, visitata beati Jacobi Campostellana ecclesia, pervenit Tolosam, ubi, quia vir spectabilis et honorabilis videbatur, invitatus ad curiam, habito sermone cum comite, persuasit prudenter quod in brevi ipsum liberaret ab usuris Caorsinorum. Commissa ergo sibi amplissima potestate ordinandi et dispensandi omnia, industria et sagacitate sua solvit debita magna, et multiplicavit redditus. Et interrogatus sæpe

de nomine suo et sorte vocabat solum se Romeum, idest romipetam et peregrinum. Hic itaque peregrinus omnia laudabiliter administrans, cum Raymundus haberet quatuor filias sine mascula prole, primam alte maritavit Ludovico regi Franciæ optimo, qui postea canonizatus est, facto bis passagio; secundam tradidit Eduardo regi Angliæ probatissimo (1); tertiam tradidit Richardo fratri regis Angliæ, qui postea fuit rex romanorum; quartam vero minorem copulavit Carolo duci Andegaviæ, fratri præfati Ludovici, qui postea fuit rex Siciliæ, de quo paulo supra dictum est, asserens ipsum futurum potentissimum regem: sed virtus et felicitas fecit sibi aulicos omnes infestos, stimulante invidia, publica peste curiarum. Dicebant enim comiti, quod hic alienigena ignotus superditatus bonis comitis erat honoratior eo: quod cedebat ad pudorem et ignominiam eius, qui videbatur nescire gubernare regnum et curiam per se et suos. Raymundus simplex et nimium credulus petivit ab isto rationem villicationis suæ. Cui Romeus: Veni ad curiam tuam pauper, et pauper inde recedo. Et continuo accepta mulula et veste sua peregrina, quam ab initio reservaverat, recessit. Comes pudore et dolore confusus, volebat ipsum retinere, at ille noluit; sed cito ipse luit pœnam suæ ingratitudinis, quia rex Franciæ eripuit sibi in vita magnam partem regni sui: post mortem vero ipse rex successit pro uxore in partem provinciæ, quæ est ultra Rhodanum. Carolus vero pro sua habuit provinciam citra Rhodanum, quam sui descendentes tenuerunt usque in (2) præsentes. Nunc ad literam: dicit Justinianus Danti: *E la luce di Romeo,* idest, anima præclara, *luce,* idest, splendet, *dentro alla presente margarita,* idest, intra stellam Mercurii parvam et pretiosam, *di cui fu*

---

(1) E. probissimo. (2) E. usque in præsens.

l' opra grande e bella, et vere magnificum et pulcrum fuit facere quatuor filias unius comitis reginas, *mal gradita,* ab ingrato domino. Et subdit merito, quod ad culpam cito secuta est pœna digna, dicens: *ma i provenzali,* scilicet, aulici comitis, *che fer contra lui,* scilicet, Romeum ex invidia, *non hanno riso,* immo amare fleverunt, et sæpe suspiraverunt Romeum; nam officiales regis Franciæ et Caroli non fuerunt postea ita benigni et gratiosi erga eos, sicut fuerat Raymundus comes et Romeus vicecomes; ideo superbia francorum manifesta bene purgavit invidiam occultam eorum. Ideo dicit: *e però mal cammina,* quia ad finem reprobum (¹) venit, *qual si fa danno,* idest, quicumque procurat sibi ipsi nocumentum, *del ben fare altrui;* sicut isti fecerunt ex bona operatione Romei. Sed damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi et non alii debet imputare. — *Quattro figlie ebbe.* Hic manifestat Justinianus singulare beneficium Romei, ut autor faciat perpetuam memoriam de eo, sicut facit de aliis rebus memorabilibus, dicens: *Raimondo Berlinghieri,* indignus tanta excellentia honoris, *quattro figlie ebbe e ciascuna reina,* sicut patet ex dictis: et dicit: *e ciò gli fece Romeo,* virtute romanus, licet genere germanus, ut aliqui scribunt, *persona umile e peregrina,* idest, ignobilis et ignota virtute sua; quod non fecisset Raymundus simplicitate sua, nec aulici malignitate sua. Et subdit simplicitatem comitis et malignitatem suorum aulicorum, dicens: *e poi,* scilicet, post tam grande beneficium receptum: *il mosser le parole biece,* idest, vanæ persuasiones æmulorum accusatorum, *a dimandar ragione,* scilicet, administrationis, *a questo giusto,* scilicet Romeo, *che gli assegnò sette e cinque per diece;* quasi dicat: reddidit sibi optimam rationem, scilicet evi-

---

(¹) E. improbum.

dentissimam utilitatem, scilicet meliorationem sui status et exaltationem honoris; ita quod bene reddidit duodecim pro decem. Et in fine Justinianus tangit recessum Romei, dicens in commendationem eius: et ille Romeus, *partissi indi,* scilicet a comite, hoc facto, *povero e vetusto,* idest, senex et pauper, quia nihil acquisiverat ex tantis laboribus, nisi invidiam et gloriam, sicut bene dixit Scipio Africanus in simili casu cum peteretur ab eo ratio expensarum. Unde dicit: *e se 'l mondo sapesse il cuor ch' egli ebbe,* idest, quam constans et patiens fuerit in tanta indignitate fortunæ, *mendicando sua vita,* idest, ducendo suam vitam per mendicata suffragia paupercule, *a frusto a frusto,* idest, nunc cum isto, nunc cum illo, ne diu serviret alteri domino ingrato, *assai,* idest, multi, *lo loda,* a virtutibus manifestis, *e più lo loderebbe,* si scirent quæ ignorant de eo. Et sic nota, quod nihil scitum fuit de Romeo et eius vita vel fine post recessum eius; sed a multis creditus est vir sanctissimus, qui sine dubio erat sapientissimus et virtuosissimus: tamen videtur, quod autor bene noverit residuum vitæ istius hominis, sed reliquit nobis investigandum. Deo gratias.

CANTUS SEPTIMUS, *in quo continetur exterminium judæorum, ubi tractat de morte Christi.*

Osanna sanctus Deus Sabaoth. Postquam in proximo præcedenti capitulo Dantes introduxit animam Justiniani persuadentem jus et justitiam romani imperii, nunc consequenter in isto VII capitulo pertractat unam quæstionem quæ oritur ex quodam dicto superius posito; et est quæstio: quomodo vindicta facta per Titum de morte Christi potuit esse justa, si mors Christi facta sub Tiberio fuit justa? Nam si judex juste damnat reum, quomodo potest fieri vindicta justa de reo? Et præsens capitulum potest dividi solum in tres partes generales; in quarum prima autor pertractat dictam quæstionem. In secunda aliam quæ nascitur ex prima, ibi: *Ma io.* In tertia et ultima aliam quæ nascitur ex secunda, ibi: *Or, per empierti.* Ad primum dico, quod autor pertractat principalem quæstionem; sed primo præmittit unum exordium, in quo tangit recessum Justiniani, et apparationem sui ad novam materiam; unde continuans dicta dicendis dicit quod Justinianus cantavit in fine suæ longæ orationis laudes Altissimo, et cantando disparuit. Ordina ergo sic literam et expone: *Essa sustanza,* idest, anima præclara Justiniani, *sopra la qual doppio lume s' addua,* idest, ingeminatur et duplicatur, quia Justinianus fulget duplici gloria in cœlo, sicut in mundo fuit dupliciter gloriosus, scilicet, utili editione legum, et justa gubernatione imperii reparati viribus armorum, *fu viso cantare a me,* post longam orationem suam, *volgendosi alla rota sua,* idest, movendo se ad cantum suum, *così,* idest,

in hac forma sententialiter: o salvator superilluminans beatas animas istorum cœlorum gloria tua; dicit ergo: *o sanctus Deus osanna,* idest, salvifica, *Sabaoth,* nomen hebræum est quod interpretatur Dominus virtutum sive exercituum, *superillustrans,* idest, superilluminans (1), *claritate tua,* idest, lumine gloriæ tuæ, *felices ignes,* idest, animas ardentes amore tuo, *horum malahoth,* idest, istorum regnorum; et est similiter nomen hebraicum; nam liber regum hebraice dicitur Malachin. Et subdit subitum recessum illius et sociarum, dicens: *et essa,* scilicet, anima gloriosa, *e l' altre,* sicut substantia Romei et aliorum spirituum activorum, *mossero a sua danza,* idest, ad (2) tripudium, quasi dicat: cœperunt moveri circulariter, qui motus perfectus est proprius perfectarum substantiarum, *e, quasi velocissime faville,* quas jam vocavit ignes, *mi si velaro,* idest, recesserunt ab oculis meis, *di subita distanza,* elongatæ subito a me sicut favillæ per aerem. — *Io.* Hic poeta tangit suam dispositionem post recessum Justiniani, quia remansit in ardore declarandi de uno dubio quod jam mente conceperat ex uno dicto illius spiritus. Dicit ergo et fingit poetice: *io dubitava,* in animo, *e dicea: dille, dille,* idest, dic secure, propone quæstionem tuam; et repetit ad maiorem affectionem, *e dicea: dille, fra me,* intra cor meum, *alla mia donna,* scilicet, Beatrici, *che mi disseta,* idest, tollit mihi sitim, idest, desiderium dubiorum meorum, *con le dolci stille,* idest, guttis, quasi dicat, verbis suis dulcioribus melle. Et subdit succursum expectatum illius in cuius potestate fuerat ab ipsa pueritia, dicens: *ma quella reverenza,* idest, reverenda semper mihi domina, *che s' indonna di tutto me,* idest, quæ fit in totum domina mei, quia ab initio captus sum amore eius quando adhuc vocabatur

(1) E. superilluminans animas beatas, *claritate.*
(2) E. ad suum tripudium.

nomine corrupto non integro; nam Beatrix cum esset infantula vocabatur vulgariter *Bice* vocabulo syncopato secundum consuetudinem patriæ, sicut Bononiæ dicitur sæpe *Colaus* pro Nicolao. Ideo dicit: *pur per b, e per ice,* quasi dicat, habui in magna reverentia, quæ est honor cum timore, istam dominam a pueritia in terra, quanto fortius ipsam perfectam in cœlo, *mi richinava,* scilicet, ad se, *come l'uom ch' assonna,* quia fiebam lentus et quasi somnolentus ex timiditate, nec audebam solvere linguam ne incurrerem temeritatem. — *Poco.* Hic autor ostendit quomodo Beatrix explicaverit quæstionem eius, dicens: *Beatrice,* quæ non erat amplius *Bice, sofferse poco me cotal,* idest, non permisit amplius me torqueri siti mea sicut olim in terra me diu torsit amore suo, *e cominciò,* supple loqui, *raggiandomi d' un riso,* idest, lætitia, ut daret mihi spem, *tal, che nel fuoco faria l' uom felice,* quamvis ignis sit multum pœnalis; sed si anima posita in igne infernali videret Deum esset beata durante visione tali. Et ecce quid dixit: *come giusta vendetta,* facta per mortem Christi de peccato primi parentis, *punita fosse giustamente,* scilicet per Titum, *t' ha miso in pensier,* idest, posuit te in curam, quasi dicat: fecit te dubitare; et dicit: *secondo mio infallibile avviso,* idest, secundum judicium meum quod falli non potest, quia sacra scriptura non mentitur. Et promittit sibi solutionem, et facit eum attentum, dicens: *ma io ti solverò tosto la mente,* quæ ligata est tanto dubio, *e tu ascolta,* idest, attente nota, *chè le mie parole ti faran presente,* idest, munus, sive donum magnum, ita quod *presente* est hic nomen non participium, *di gran sentenzia;* et bene dicit, nam si Justinianus in præcedenti capitulo fecit pulcrum donum autori de materia morali cum claris persuasionibus, Beatrix in præsenti capitulo facit ei magnum donum de materia divina cum subtilioribus rationibus;

unde ([1]) multi et magni scopuli sunt in isto capitulo.— *Per.* Nunc Beatrix juxta promissum vult solvere tactam quæstionem; et primo præmittit morbum ut præveniat debito ordine ad remedium: et dicit breviter, quod primus parens inobedientia sua damnavit se et totum genus humanum. Dicit ergo: *Quell' uom,* scilicet, Adam, *che non nacque,* nam primus homo natus est nec de viro nec de muliere, scilicet Adam; imo formatus manu divina, ideo perfectior magis peccavit: secundus natus est de viro sine muliere, scilicet Heva: tertius de viro et muliere, sicut cæteri concupiscentialiter nati: quartus de muliere sine semine virili per virtutem operationis Summi, scilicet Christus, qui redemit omnes; *dannò tutta sua prole,* idest successivam posteritatem, *dannando sè,* quia enim spiritus non obedivit Deo justo, judicio Dei habuit corpus sibi rebelle. Dederat enim Deus homini libertatem arbitrii ut fieret gloriosior, non peccando, habendo peccandi potestatem; sed ipse continuo transgressus est legem sibi datam; unde dicit: *per non soffrire,* idest, quia noluit pati legem ([2]), *alla vertù,* scilicet, concupiscibili, *che vuole freno,* scilicet legis, *a suo prode,* idest, ad suum profectum et meritum, quale fuit præceptum datum Adæ a Domino. Et subdit gravitatem et diuturnitatem istius magni morbi, ad quem non venit remedium nisi post multa millia annorum. Ad quod est notandum quod licet Deus a principio potuerit incarnari, noluit tamen nisi in fine sæculorum præcedente lege naturæ et figuræ post patriarchas et prophetas, quibus et per quos fuit incarnatio repromissa ([3]); post quos incarnari dignatus est tanquam in finem ipsum et plenitudinem, juxta verbum apostoli: *venit plenitudo temporis.* Nullus enim quærit medicum nisi cognoscat morbum; nullus quærit docto-

---

([1]) E. et tamen multi.
([2]) S. e 4, legem sibi datam, *a la virtù.*
([3]) E. promissa.

rem nisi cognoscat se ignorantem; nullus adiutorem nisi cognoscat se impotentem; homo enim post lapsum adhuc superbiebat de scientia et virtute: ideo post legem naturæ et scripturæ subsequi debuit incarnatio Verbi. Dicit ergo: *onde l'umana specie inferma giacque,* gravi infirmitate animorum, quæ peior multo [1] infirmitate corporum, *in grande errore,* magnæ ignorantiæ, et periculose ægrotat qui se ægrotare ignorat, *giù,* scilicet, in mundo mortali, *per secoli molti,* idest per multa centenaria annorum, quæ faciunt quinque millia centum nonaginta novem, ideo erat opus summo medico; unde dicit: *fin ch'al Verbo di Dio,* idest, unico [2] filio, *piacque di scender,* scilicet, in mundum [3], qui ubique est, certe venit ut visibilis appareret. — *E la natura.* Hic Beatrix tacta damnatione hominis describit incarnationem per quam facta est reparatio eius: solus enim qui fuit principium causativum est principium recreativum, Verbum, scilicet Patris æternum, quod est Christus Jesus mediator Dei et hominum. Et ad huius literæ fortis intelligentiam est prænotandum, quod Patri non convenit mitti, quia non est ab illo, nec Spiritui sancto, ne essent duo filii in trinitate, unus in humanitate, alius in divinitate. Persona igitur filii est incarnata, ut idem qui erat filius in divinitate, esset filius in humanitate. Erat etiam decens ut sicut pater mundum fecit per sapientiam suam, ita per eamdem redimeret ipsum; et quia in homine utraque natura erat corrupta, scilicet anima et corpus, ideo suscepit utrumque ut utrumque liberaret. Et tamen Deus Verbum, secundum Augustinum de fide ad Petrum, non accepit personam hominis sed naturam. In Christo enim duæ naturæ sunt, divina, scilicet, et humana; et tres substantiæ, caro, anima et Verbum; sed

---

(1) E. multo est infirmitate. (2) E. unico Dei filio.
(3) E. in mundum. Sed quomodo venit in mundum qui ubique est? certe.

non duæ personæ, et simul univit sibi carnem et animam. Dicit ergo: *e unio a sè in persona,* idest, et illud Verbum coniunxit sibi et univit; vel secundum aliam literam, *U',* idest ubi, idest, in quo mundo univit sibi, *la natura,* scilicet humanam, *che s'era allungata dal suo Fattore,* idest, a creatore Deo per culpam quæ fuit redimenda per pœnam, *con l'atto sol del suo eterno amore,* idest Spiritus sancti cui attribuitur amor. — *Or.* Hic Beatrix ostensa incarnatione Verbi ostendit passionem necessariam ad purgationem humanæ naturæ assumptæ. Et ad intelligentiam huius literæ fortis est primo notandum, quod quamvis natura humana in persona Christi esset pura et innocens, nihilominus in quantum humana erat privata beatitudine; quia caro sumpta de virgine solum erat de carne illa quæ descenderat ex Adam quantum ad materiam corpulentam, quamvis esset ita pura et libera a peccato Adæ, sicut erat caro Adæ ante peccatum, quia Christus non sumpsit de Adam nisi materiam solam de puro sanguine virginis; sed Spiritus sanctus dedit active naturam humanam. Christus ergo assumpsit pœnalitates corporales, sicut famem, sitim, laborem, dolorem; et spirituales, ut tristitiam, planctum, et timorem; nec tamen assumpsit omnes corporales, sicut defectus multarum ægritudinum; nec omnes spirituales, sicut ignorantiam et rebellionem carnis ad spiritum. Ad literam ergo: Beatrix primo facit autorem attentum ad id quod dicere intendit, dicens: *Or drizza il viso,* idest, speculationem intellectualem, *a quel che si ragiona,* idest sequitur per ratiocinationem: *questa natura,* scilicet, humana, *unita al suo Fattore,* scilicet Deo in persona filii per quem omnia facta sunt, *fu sincera,* idest, sine macula carnis, *e buona,* talis, *qual fu creata,* scilicet in Adam; *ma ella,* scilicet natura, *fu sbandita di Paradiso,* idest, relegata a felicitate ad quam erat creata, *pur per*

sè stessa, ob culpam suam in genere, *però che si torse da via di verità e da sua vita,* idest, quia recessit a Deo qui est via, veritas et vita, et cecidit (1) in deviam, falsitatem et mortem. — *La pena.* Hic Beatrix concludit veritatem quæstionis per unam distinctionem; et vult breviter dicere quod mors Christi fuit justa et iniusta diversis respectibus. Dicit ergo: *Dunque nulla,* scilicet pœna, *giammai morse,* idest, punivit aliquem, *sì la pena che la croce porse,* scilicet, Christo, qua nulla fuit maior ad purgandam maximam culpam, *se si misura,* idest, si referatur, *alla natura assunta,* scilicet, humanam, quam Christus assumpsit ut redimeret; *e così nulla,* idest, ita e contra nulla pœna, *fu di tanta ingiura,* idest offensa, *guardando,* idest, respectum habendo, *alla persona che sofferse,* idest, ad Christum qui passus est ipsam, *in che,* idest, in qua persona Christi, *era contratta tal natura,* scilicet humana. Et hic nota quod Christus passus est passione (2) generalissima non solum secundum omnia membra corporis principalia, sed etiam secundum omnem animæ potentiam: passione acerbissima non solum dolendo, ut patiens per vulnera, sed etiam condolendo ut compatiens propter nostra delicta: passione ignominiosissima propter patibulum crucis inter latrones: passione peremptoria propter separationem animæ a corpore, salva tamen unione utriusque cum deitate: filius enim naturam quam semel assumpsit numquam dimisit. — *Però.* Hic Beatrix ex dictis elicit unam notabilem sententiam, scilicet quod unus et idem actus potest esse bonus et malus diversimode. Et ad huius literæ utilem intelligentiam est bonum notare quod quamvis passio Christi bona fuerit in se et sanctissima, et humano generi fructuosa, tamen judæi non constituerunt eam (3) finem suæ actionis propter bo-

(1) E. cecidit in falsitatem.
(2) 4, passionem generalissimam.
(3) E. eam ad finem.

num ipsius passionis, sed ut malum Christo inferrent; et ita eadem passio, quæ fuit bonus finis prophetis qui desiderabant passionem, fuit malus finis judæis qui desiderabant Christi offensionem. Similiter si unus furetur ut subveniat matri, finis furti malus est; quia quamvis sit bonum subvenire matri, tamen malum est male subvenire. Similiter si aliquis dirigit sagittam (1) in feram, ut pascat pauperem ægrotantem, et interficit hominem latentem in sylva, actus est meritorius vel indifferens. Dicit ergo in litera: *però d' un atto uscir cose diverse,* imo contrariæ, *ch' a Dio et ai giudei piacque una morte,* scilicet Christi, Deo quidem juste, judæis vero iniuste: ideo dicit: *per lei,* scilicet mortem Christi, *tremò la terra,* quia terræmotus factus est, et etiam, *e il ciel s' aperse,* quod erat clausum patribus antiquis. Et declarata prima parte dubii, scilicet quomodo culpa primi parentis fuit juste vindicata per mortem Christi, declarat alteram partem, scilicet, quomodo ipsa mors Christi fuerit (2) juste vindicata per Titum; unde dicit: *non ti dee oramai parer più forte,* idest, difficile ad credendum, *quando si dice,* in capitulo præcedenti, *che giusta vendetta,* idest, mors Christi, *fu poscia vengiata,* idest, vindicata, *da giusta corte,* scilicet, romana.

Ma io veggio. Ista est secunda pars generalis, in qua Dantes discutit aliud dubium quod nascitur ex primo. Et primo proponit ipsum dubium in communi, dicens: *ma io veggio or la tua mente ristretta,* idest, iterum strictam, cum esset soluta, declarato primo dubio, *di pensier in pensier dentro ad un nodo,* idest, difficile dubium, *del qual,* scilicet novo dubio, *s' aspetta solvere,* per solutionem meam, *con gran disio,* quia magnum est dubium istud secundum. Et explicat ipsum in speciali. Dicebat

---

(1) E. sagittam infectam, ut. (2) 4, fuit juste.

enim autor in mente sua: bene video quod Deus creator hominis debuit esse redemptorem eius; sed quare voluit assumere carnem humanam de una fœmina et pati pœnam amaram; nonne poterat dimittere istam culpam et hominem reparare sola voluntate sua? certe sic. Dicit ergo: *tu dici,* idest, dicere et petere vis: *Ben discerno ciò ch' i' odo,* idest, bene comprehendo quicquid tu dixisti, scilicet, quod Christus morte sua redemit hominem damnatum culpa sua; *ma m' è occulto,* idest, per me non judico, *perchè Dio volesse pur questo modo,* et non alium, *a nostra redenzione.* Ad hoc respondet Augustinus, quod alius modus fuit possibilis Deo, sed nullus nostræ miseriæ (1) salvandæ convenientior: nec tamen dicemus, debuit alio modo redemisse mundum, vel non debuit, quia non ex debito, sed ex sola bonitate facit (2). — *Questo.* Hic Beatrix assignat causam huius ignorantiæ et difficultatis; et ad huius literæ difficilis (3) intelligentiam oportet primo notare, quod nullus est conveniens auditor sacræ scientiæ, nisi humilis, mundus, fidelis, studiosus; ideo sub cortice literæ aperte occultatur mystica et profunda intelligentia ad comprimendam superbiam: Christus enim doctor huius scientiæ, licet esset humilis in carne, altus tamen erat in divinitate; ideo decebat ipsum et eius doctrinam habere humilitatem in sermone cum profunditate sententiæ; et quia missus erat docere omnem veritatem, ideo competebat eius doctrinæ, ut in uno sermone multiplices laterent intelligentiæ. Dicit ergo: *O frate,* idest, o Dantes dilecte mi, *questo decreto,* scilicet incarnationis, *sta sepulto,* idest, ignoratum, *agli occhi,* scilicet intellectualibus, *di ciascuno,* scilicet superbi, *il cui ingegno non è adulto,* idest, nutritum, *nella fiamma d' amor,* idest, ardenti amore caritatis. Nam divinarum scriptura-

(1) E. nostræ animæ salvandæ. (2) E. fecit. (3) 4, fortis.

rum multiplicem abundantiam et latissimam doctrinam sine ullo errore comprehendit et sine errore custodit, cuius cor plenum est caritate; nec dubitari potest quin templum Dei sit homo in quo habitat caritas. Et sic vide quod tacite arguit autorem qui ab initio visus est amare Beatricem, postea eam deseruit propter scientias sæculares, sed tandem revocatus est, sicut totiens est ostensum in fine Purgatorii. Et promittit sibi solutionem istius dubii, dicens: *veramente dirò perchè tal modo fu più degno,* idest, congruentior cæteris, *però ch' a questo segno,* idest, ad istum punctum, *molto si mira,* et vere multi mirantur quod creator factus est creatura, quia hoc non est naturæ; ideo *e poco si discerne,* quia nullus malus potest esse perfectus metaphysicus. — *La divina.* Nunc Beatrix volens facere solutionem dicti dubii præmittit quædam principia necessaria ad (1) hoc, scilicet, quod Deus ab initio fecit hominem simillimum sibi per libertatem arbitrii, et ipse homo fecit se dissimillimum illi per peccatum. Primo ergo tangit in generali creationem universi quam Deus fecit sola bonitate sua, quia caret invidia, ideo voluit participare creaturis excellentiam suam, sed potissime rationali (2) creaturæ, cui nihil potuit dare excellentius libero arbitrio, per (3) quod homo fit similis illi; sicut enim ipse erat sui juris et suæ ipsius voluntatis non necessitatis erat quod bonus erat, ita homo quasi sui juris nonnisi sua voluntate facere mala et juste damnaretur, aut bona et merito salvaretur. Nemo enim salvatur invitus. Dicit ergo ad literam: *La divina bontà,* idest, forma boni, *che da se sperne,* idest, recusat et expellit, *ogni livore,* idest, invidiam juxta illud Platonis in Timæo: optimus quidem est, et longe ab optimo invidia relegata est, *ardendo in se sfa-*

---

(1) 4, ad hæc. (2) 4, rationabili. (3) E. propter quod.

villa, idest, splendet, velut fons lucis, *sì, che dispiega,* idest, explicat in alios, *le bellezze eterne,* quæ sunt in ea quæ manifestavit in intelligentiis, stellis et cæteris. — *Ciò.* Hic Beatrix, tacta creatione rerum in generali, tangit in speciali creationem rationalis creaturæ, cui plus Deus dedit de bonitate sua; et vult sententialiter dicere, quod omne creatum a Deo sine organo vel medio cœli est æternum, est liberum. Dicit ergo: *Ciò che distilla da lei,* idest, emanavit ab illa divina bonitate, *senza mezzo,* idest, instrumento cœli, sicut anima rationalis, intelligentiæ moventes cœlos et ipsi cœli, *non ha poi fine,* et ecce rationem: *perchè la sua imprenta,* idest, impressio formæ, *non si muove,* idest, non subiacet motui, *quand' ella,* scilicet, divina bonitas, *sigilla,* idest, informat. Et addit aliam prærogativam, scilicet libertatis, dicens, repetendo eadem verba, *ciò che piove da essa,* idest, procedit ab eadem bonitate, *senza mezzo,* idest, organo cœli, *è tutto libero,* ab omni corruptione, ab omni coactione; et ecce rationem: *perchè non soggiace alla virtude,* scilicet informativæ, *delle cose nuove,* scilicet planetarum et stellarum, quæ de novo creatæ sunt et non sunt ab æterno. Et hic nota quod corpora cœlestia influunt in terrestria et elementaria quantum ad distinctionem temporum et productionem generabilium et corruptibilium; non tamen influunt super liberum arbitrium per vim constellationum, quam quidam philosophi dixerunt factum, nec sunt certa signa futurorum contingentium, contra quæ homo potest per liberum arbitrium: unde optimus astrologus si præviderit illa potest obviare eis, ut dicit Haly. — *Più.* Hic Beatrix reducit ad propositum id quod dixit de rationali creatura, ut per hoc ostendat quod homo maxime gaudet tali privilegio, dicens: *più gli è conforme,* idest, omne tale ens creatum a Deo immediate magis conformatur sibi, quam cætera

creata sub medio, *e però più le piace;* quod probat, dicens: *chè,* idest, quia, *l' ardor santo,* idest, amor divinus, *ch' ogni cosa raggia,* idest, omnia replet lumine suo, *è più vivace nella più somigliante,* sicut in angelo et homine, qui secum participant ratione, et maxime homo; unde dicit: *l' umana creatura s' avvantaggia di tutte queste cose,* scilicet immortalite et libertate arbitrii: et vere videtur quod anima humana sit singulariter privilegiata in libertate arbitrii, quia angelus non potest peccare, nec ipse Deus; ideo dicit: *e s' una manca,* idest, immortalitas sola vel libertas sola, *convien che caggia di sua nobilità,* scilicet a similitudine Creatoris; utrumque autem perdidit per peccatum in primo parente; unde subdit: *solo il peccato è quel che la disfranca,* idest, privat eam libertate ingenita, et facit eam miseram et servam, nec potest per se resurgere, *e falla dissimile al sommo bene,* scilicet, Deo, *perchè del lume suo,* scilicet, gratiæ suæ, *poco s' imbianca,* idest illuminatur: et dicit notanter parum, quia anima pessimi hominis in multis est melior anima bruti, ut dicit Augustinus. — *Et.* Hic Beatrix ostendit quod ad infirmitatem necessario sequitur medicina, dicens: et ipsa creatura humana, *mai non riviene in sua dignità,* idest, non revertitur in pristinum gradum nobilitatis, *se non riempie,* idest, supplet, *dove colpa vôta,* idest, privat, *con giuste pene,* idest, debita punitione, *contra mal dilettar,* idest, contra peccatum; sicut enim in corpore humano quodcumque malum culpa facit pœnitentia purgat. Et subdit magnitudinem culpæ et miseriæ hominis, dicens: *vostra natura, quando peccò nel seme suo,* scilicet, in Adam, *tutta fu remota da queste dignitadi,* quia facta est mortalis et serva peccati, *come di paradiso,* idest, sicut privata est felicitate, ad quam erat creata, et quam poterat promereri per liberam voluntatem. Et hic nota pulcre quod Adam recte fuit si-

milis salamandræ, quæ, ut dicit Plinius, si ascendit arborem inficit generaliter omnes fructus, ita quod omnes postea gustantes inde moriuntur; ita Adam gustans fructum arboris infecit omnes animas posterorum qui fuerunt in eadem damnatione secum. — *Nè*. Hic Beatrix istis præmissis volens venire ad solutionem, facit unam distinctionem bimembrem, ut una parte cassata concludat necessario alteram. Dicit ergo: *Nè ricovrar poteasi,* illa natura humana damnata, *se tu badi ben sottilmente,* idest, advertis solerter, *per alcuna via, senza passar per un di questi guadi,* quasi dicat: altero istorum modorum, scilicet, vel quod Deus, vel quod homo hominem repararet; unde dicit: *o che Dio per sua cortesia,* idest, mera liberalitate, non ex debito, *dimesso avesse,* * idest, remisisset culpam, *o che l' uom per se isso,* per pœnitentiam, *avesse* * (1) *soddisfatto a sua follia,* idest, suo fallo et peccato. — *Ficca*. Hic Beatrix intendit cassare partem divisionis non veram, scilicet quod homo per se non erat sufficiens ad reparationem hominis lapsi. Ad quod est notandum quod homo cadens in culpam recesserat a principio potentissimo, benevolentissimo, ideo corruerat in infirmitatem, ignorantiam, malignitatem; et de spirituali effectus est carnalis, sensualis, ineptus ad divinam virtutem imitandam. Ad literam ergo: Beatrix primo reddit autorem attentum ad improbandum unum membrum, dicens: *Ficca mo l' occhio,* idest, speculationem intellectualem, *per entro l' abisso,* idest, profunditatem, *dell' eterno consiglio,* qui sic decrevit in æterno consilio suo, *quanto puoi distrettamente fisso,* idest, quantum possibile est intellectui in corpore hominis viventis et per cœlum discurrentis, *al mio parlar,* quod paro facere; et ecce: *non potea l' uomo nei termini suoi,* scilicet in puris naturali-

(1) Le parole fra i due asterischi son supplite dagli altri tre Codici.

bus, *mai soddisfare,* superbiæ suæ. Et assignat rationem, *per non poter ir giuso,* idest, inclinare se, *con umiltate,* contra superbiam, *obbedendo poi,* contra inobedientiam, *quanto intese ir suso disubbidendo,* quia voluit scire bonum et malum sicut Deus. Et hic nota quod pari ratione angelus non poterat esse reparator hominis, quia primus angelus voluit superbe fieri similis Altissimo. Et dicit: *e questa è la ragion,* idest, principalis causa, *perchè l' uom fue dischiuso,* idest exclusus et exceptus, *da poter soddisfar per sè,* idest, propria virtute, quia homo non poterat recuperare statum innocentiæ, nisi dimissa culpa, quam dimittere non debebat divina justitia nisi per satisfactionem condignam: et quia satisfacere non poterat, nisi Deus pro toto humano genere, nec debebat nisi homo qui peccaverat; ideo congruentissimum fuit humanum genus reparari per Deum hominem. — *Dunque.* Nunc ultimo Beatrix excluso homine a reparatione concludit quod Deus debuit esse reparator. Et hic nota quod nullus modus erat tam conveniens et congruens reparator (1), nisi quod Deus fieret homo. Nam cum principium effectivum rerum non potuerit nec debuerit esse nisi Deus, et non minus sit res conditas reparare, quam in esse producere, sicut non minus est bene esse, quam simpliciter esse; decentissimum fuit principium reparativum rerum esse Deum summum, ut sicut omnia creaverat per Verbum *increatum, sic omnia curaret per Verbum* (2) incarnatum. Dicit ergo in litera: *Dunque a Dio convenia riparar l' uomo a sua vita intera,* scilicet, beatam, *con le sue vie,* quæ sunt duæ, scilicet (3), justitia tantum, vel misericordia tantum, *ovver con ambedue,* idest cum justitia et misericordia simul. Et subdit quod

(1) E. reparationi.

(2) Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici 4 e Estense.

(3) 4, scilicet justitia et misericordia, ideo dicit: *dico con l' una,* scilicet, justitia tantum.

Deus elegit utramque viam pro meliori, dicens: *ma la divina bontà che 'l mondo imprenta,* idest, informat tamquam formale principium, *fu contenta di proceder per tutte le sue vie,* scilicet justitiam et misericordiam infinitam, *a rilevarvi suso;* et ecce causam optimam, *perchè l' opra è tanto più gradita,* idest, habetur gratiosior hominibus, *dall' operante,* idest, ab agente, *quanto più appresenta,* idest, demonstrat, *della bontà del cuore,* idest, animi, *ond' ella è uscita,* idest, a quo processit. Et hic nota quod si licet comparare humana divinis Galengus noster italicus justissimus legislator hanc viam tenuit; quoniam mirabiliter et pariter usus est justitia et misericordia, ita quod non violavit justitiam propter misericordiam, nec misericordiam propter justitiam. Cum enim, ut narrat philosophus primo Politicorum, sanxisset legem ut adulter utroque oculo privaretur, filio proprio qui inciderat in legem, cum diu in rigore pertinaciter permansisset, tandem placatus precibus omnium eruit unum oculum filio alterum sibi; ita æternus judex justissimus legislator diu severe egit contra genus humanum reum mortis propter peccatum primi parentis a muliere decepti; et finaliter precibus multis justorum et sanctorum patrum usus est justitia et misericordia Filium suum humiliando ad incarnationem et passionem. — *Nè.* Hic ultimo Beatrix magnificat et superextollit hunc modum redimendi excludendo omnem alium modum. Dicit ergo: *Nè sì alto e sì magnifico processo,* cum tanta magnanimitate et liberalitate, *fu,* de præterito, scilicet per totum tempus legis naturæ et legis scripturæ, *o fie,* scilicet, in futuro per totum tempus gratiæ, *o per l' una o per l' altro,* idest, per viam justitiæ vel misericordiæ, *tra l' ultima notte,* in (¹) finem mundi, *e il primo die,* idest, princi-

(¹) E. e 4, idest finem.

pium mundi; et pulcre appellat creationem mundi diem, idest claritatem, destructionem vero noctem, idest obscuritatem. Et assignat rationem sui dicti, dicens: *chè,* idest, quia, *più largo fu Dio a dar sè stesso,* uniendo divinitatem humanitati, *in far l'uom sufficiente a rilevarsi,* qui per se solum non poterat resurgere, *che s'egli avesse sol da sè dimesso,* idest, quam si solus Deus non factus homo remisisset peccatum de plenitudine potestatis. Ideo dicit: *e tutti gli altri modi erano scarsi,* idest, defectivi ad redemptionem (¹) hominis, *alla giustizia,* scilicet, divinæ, *se 'l Figliuol di Dio non fosse umiliato ad incarnarsi.* Et bene dicit; nam in incarnatione apparuit potentia Patris, sapientia Filii, benevolentia Spiritus sancti. Nam peccato solum debetur pœna secundum justitiam; et dimittere peccatum liberaliter sine pœna erat contra justitiam Dei, qui est summe justus, et non dimittere erat contra misericordiam eius qui est summe misericors.

Or, per empierti. Ista est tertia pars generalis in qua Beatrix declarat tertium dubium, quod oritur ex uno dicto superius posito in solutione secundi: quia enim dictum est supra quod omnia creata a Deo sunt æterna et incorruptibilia, declarat quomodo istud dictum habeat veritatem. Et volo te scire quod non erat opus ista declaratione hic, quia litera illa est satis clara per id quod dicitur sine medio; tamen autor facit istam declarationem, quia utimur vocabulo creationis multum large, appellando creata a Deo quæcumque fiunt per generationem vel corruptionem. Ad quod est notandum quod Deus aliqua operatur natura mediante, idest, secundum communem cursum naturæ; et talis operatio non distinguitur ab operatione naturæ, quia in hoc Deus et natura simul operantur. Alio modo Deus operatur aliqua

(¹) E. reparationem.

immediate et supernaturaliter, sicut quotidie creat animas rationales vel revelat aliqua secreta. Ad literam ergo Beatrix proponit [1] istam materiam, dicens: *Or ritorno a dichiarare in alcun loco,* scilicet, unum dictum positum supra, *perchè tu veggi lì così com' io,* idest, ut intelligas clare, sicut ego intelligo proprie et stricte, *per empierti bene ogni disio,* scilicet, removendo omnia dubia orientia unum ex altero. Et ecce dubium: *tu dici,* idest, potes dicere et obiicere mihi: *Io veggio il foco, l' acqua, l' aere, la terra,* quatuor elementa, *e tutte lor misture,* idest, omnia mixta quæ componuntur ex ipsis elementis, *venire a corruzione e durar poco,* sicut clare videmus in elementatis: elementa etiam inter se continuo transmutantur de uno in aliud, quia continuo ex terra fit aqua, ex aqua aer, ex aere ignis; *e queste cose pur fur creature,* idest, res creatæ a Deo, *perchè, se ciò che ho detto,* quia tu non potes mentiri, *è stato vero, si* pro *quia,* quia verum est, *esser dovrian secure da corruzione.* — *Gli angeli.* Nunc Beatrix facit promissam declarationem, dicens: *O frate,* scilicet, reverende, *gli angeli e 'l paese sincero,* scilicet cœlum, corpus simplex et purum, *nel qual tu se',* hic mecum cum mente, *si posson dir creati,* scilicet proprie, *in loro essere intero,* idest, perfecto, *sì come sono,* sine corruptione vel fine, quia sunt immediate [2] a Deo sine opera naturæ, et ita animæ rationales, sicut postea statim dicet; *ma gli elementi che tu hai nomati,* idest, nunc nominasti, quia de illis dubitabas, *e quelle cose che di lor si fanno,* idest, corpora quæ componuntur ex illis, *sono informati da creata virtù,* scilicet cœli, cuius motu illa virtus informativa inducit in materiam præexistentem varias formas et diversas figuras, quæ dant illud esse singulare rebus per quod una

---

(1) E. primo proponit. (2) E. immediate creati a Deo.

est distincta ab alia; unde dicit: *creata fu la materia ch'egli hanno,* scilicet, materia præiacens, vel materia prima quæ dicitur yle [1], *creata fu la virtù informante,* quæ dedit formam eis, *in queste stelle che 'ntorno a lor vanno,* quia spheræ cœlestes volvuntur circa spheras elementares. — *L'anima.* Hic Beatrix ostendit idem in animabus quod jam ostendit in corporibus: et vult sententialiter dicere quod sicut in corporibus aliqua sunt mediante cœlo, sicut elementa et elementata, aliqua vero immediate a Deo, sicut ipsi cœli; ita aliquæ animæ subiacent motui cœli, ideo habent finem et corruptionem; quædam vero non subiacent motui cœli, ideo sunt immortales. Dicit ergo: *Lo raggio e 'l moto delle luci sante,* idest, influentia et virtus stellarum, *tira,* idest, elicit, *l'anima d'ogni bruto,* idest, omnem animam sensitivam, *e delle piante,* idest, omnem animam vegetativam, *di complession potenziata,* quia talis anima educitur de potentia materiæ, idest [2] simul cum corpore oritur, simul moritur. Non sic est de anima rationali, quia [3] venit ab extra, scilicet a Deo, et est res divina. Unde dicit: *ma la somma beninanza,* idest, benevolentia et benignitas Dei, *spira nostra vita,* idest animam humanam creando infundit et infundendo creat, *senza mezzo,* sine operatione cœli, *e la innamora di sè,* quia naturalis amor est ad Deum, *sì che poi sempre la disira,* quia numquam quietatur amor et desiderium hominis nisi in fine redeat ad ipsum principium. Et hic nota quod cum Deus summe bonus et perfecte beatus æternaliter fuerit, voluit facere alios participes beatitudinis [4]; et quia eius beatitudo non potest [5] participari nisi per intellectum, et quanto magis intelligitur, tanto magis habetur, ideo fecit rationalem creaturam ut intelligeret, intelligendo amaret, amando pos-

---

[1] E. ilia. [2] E. ideo simul. [3] E. e 4, quæ venit.
[4] E. suæ beatitudinis. [5] E. potuit.

sideret, possidendo frueretur; et eam hoc modo distinxit ut pars in sui puritate permaneret, scilicet angeli; pars corpori jungeretur, scilicet anima. Ideo animæ associatæ sunt corporibus, ut in eis famularentur Deo (1). — *E quinci.* Hic ultimo Beatrix ex dictis docet arguere resurrectionem humanorum corporum. Ad quod est primo notandum quod naturalis appetitus non patitur quod anima sit plene beata, nisi restituatur ei corpus: ad quod resumendum habet naturaliter inclinationem insertam, quia omnis res vel bene vel male merendo laborans debet præmio gaudere, vel pœna damnari: et si alia caro vel alius spiritus assumeretur, alius esset homo qui non prius meruerat. Dicit ergo: *E quinci,* idest, ex argumentis superius factis, *puoi argomentar ancora,* tu theologe, *vostra resurrezion,* resurrectio est animæ et corporis morte separatorum iterata coniunctio. Et docet modum arguendi, dicens: *se tu ripensi,* idest, iterum volvis in animo id quod jam dixit de creatione primi hominis; *come l' umana carne fessi allora,* idest, facta est perfecta a Deo sine medio cœli, *che li primi parenti intrambi fensi.* Vult dicere: resurrectio arguitur esse possibilis ex hoc, quia corpora suscitata bonorum fient qualia fuerunt in primis parentibus, quæ facta fuerunt immediate a Deo sine operatione cœli, et non per viam naturæ generatæ. Consonum ergo videtur quod anima post mortem utatur organo et instrumento in gloria et pœna, quo in vita usa est in bono et malo.

(1) E. e 4, Deo, et verum et summum bonum promererentur. — *E quinci.*

CANTUS OCTAVUS, *in quo ponitur ascensus in speram Veneris, in qua multà narrans introducitur Carolus rex.*

S*OLEA creder lo mondo in suo periclo.* Postquam in superioribus Dantes dedit nobis doctrinam de secunda specie animarum beatificatarum [1] sub Mercurio, nunc consequenter intendit dare doctrinam de tertia specie animarum beatificatarum [2] sub Venere. Et præsens capitulum VIII potest dividi in tres partes generales. In prima quarum poetice describit suum ascensum ad speram Veneris et animas apparentes ibi. In secunda introducit singulariter unam animam illustrem modernam, quæ manifestat se et suos, ibi: *Indi si fece.* In tertia movet unam quæstionem, quam curiose pertractat, ibi: *Perocch' io.* Ad primum dico quod autor describit suum ascensum ad tertiam speram, et turbam animarum apparentium ibi; sed primo præmittit exordiens errorem gentilium antiquorum, qui coluerunt olim cum magna veneratione mulierem summam [3] peccatricem pro dea, sicut et Jovem magnum [4] adulterum pro summo deo. Ad quod est sciendum quod Venus fuit fœmina cypriana pulcerrima forma, ardens luxuria; unde dicitur nupsisse Vulcano deo ignis, idest carnalis concupiscentiæ, nata ex Jove et Dione, quæ propter mirabilem pulcritudinem et libidinem dicta est Venus mater amoris, pulcerrima et culta pro dea; unde apud Paphos habuit templum et aram primo: qui error natus apud cyprianos pronos in libidinem, cito transivit ad græcos et romanos, nedum ad barbaros. Venus tandem sic honorata, non contenta pri-

(1) E. beatificarum.
(2) E. beatificarum.
(3) E. e S. summe peccatricem.
(4) E. permagnum.

vatis amoribus, cœpit publice facere quæstum, sicut postea fecit Messalina imperatrix romana, de qua dicit Juvenalis: *et lassata quamvis nondum satiata recessit.* Et Venus lupanaria prima invenit; quæ omnia credibilia facit turpis consuetudo cypriorum, qui post multa sæcula mittebant virgines suas ad litora maris ut solventes primitias castitatis Veneri acquirerent dotes ex concubitu peregrinorum, ut dicit Justinus. Dicit etiam simile aliquando accidisse in Italia apud Locros civitatem Calabriæ. Ad literam ergo dicit poeta, qui diu fuit nimis amoratus: *Lo mondo,* idest homines mundani olim, *solea credere in suo periclo,* pro periculo, scilicet, in perniciem animarum, *che la bella Ciprigna,* idest Venus, cui Claudianus in maiori describit pulcerrimum viridarium; *il folle amore,* bene dicit; nam duplex est amor, scilicet amor amicitiæ, qui est amor virtutis propter honestum, et amor concupiscentiæ lascivus, qui est propter delectabile; et de tali loquitur autor hic, quia est perniciosus autor multorum et magnorum (1) malorum; de quo Virgilius poeta amorosus dicit; quod crudelis amor docuit matrem maculare manus sanguine filiorum; *raggiasse,* idest, influeret, *volta nel terzo epiciclo,* idest, in tertio cœlo sive orbe; et ponitur pars pro toto. Epicyclus enim vocatur ab astrologis circulus, quem planeta facit quando est retrogradus. Et nota quod cæteri planetæ habent suum epicyclum præter solem, qui ideo caret epicyclo, quia cum esset retrogradus impediret generationem, et male disponeret nobis dies, menses et annos. Et subdit quomodo ex hoc singularissime honoraverunt eam deitatem etiam in persona matris et filii, dicens: *perchè le genti antiche,* idest, antiqui gentiles, et primo et principaliter cypriani, qui etiam hodierna die satis colunt Ve-

(1) E. maiorum.

nerem ex influentia cœli, ex veteri consuetudine, et colluvione advenarum confluentium ibi, *nell' antico errore,* scilicet paganismi, qui longus error duravit in mundo usque ad Christum: cæteræ enim gentes præter solam hebræam colebant plures deos, *faceano onore,* idest, divinos honores, *di sagrifici e di votivo grido,* idest, orationibus et supplicationibus, *non pur a lei,* scilicet, Veneri soli, *ma onoravano,* tanquam deos eisdem divinis honoribus, *Dione e Cupido,* gratias agentes matri quæ genuit talem filiam matrem generationis humanæ, et tali filio impellenti homines ad hoc opus; et exponit et glosat dictum suum, dicens: *quella per madre sua,* scilicet Dionem; et bene; dicitur enim Dion (1), quasi duo nectens, per hoc intelligentes coniunctionem maris et fœminæ esse causam libidinis; *questo per figlio,* scilicet, Cupidinem quem jam vocavit follem amorem, quem potissimum (2) deum dicebant; de quo pleni sunt libri omnium autorum, cui sacrificium facimus de lacrymis et (3) suspiriis. Ideo bene Ausonius poeta gallicus fingit amorem captum a mulieribus affixum cruci, in quo ostendit cruciatus ad quos ducit amor cæcus, ideo dignus cruce: et specificat ipsum Cupidinem ab officio suo, quia habet incitare homines ad libidinem, sicut fingit Virgilius, quod Venus mater Eneæ misit filium suum Cupidinem in forma Ascanii ad incendendam Didonem in amorem ipsius Eneæ. Unde dicit: *e dicean,* illi antiqui pagani credentes multi quod Dido fuisset vere capta amore Eneæ, tanta fuit dulcedo fingentis. De Didone adhuc dicitur capitulo sequenti: *ch' ei sedette in grembo a Dido;* quod totum est fictum. — *E da costei.* Hic poeta adducit ad propositum id quod dixit de Venere, dicens: *E pigliavano,* illi antiqui, *da costei,* scilicet Venere, *ond' io principio piglio,*

---

(1) E. Dion, quia duo. (2) E. potentissimum. (3) E. et de suspiriis.

idest, a qua incipio nunc novum tractatum, *il vocabol,* idest, nomen, *della stella,* idest, planeta Veneris, quam autor specificat a cursu suo. Nam Venus aliquando præcedit solem in ortu suo, et tunc vocatur Lucifer, quasi lucidissima stellarum; aliquando vero oritur post occasum solis, et tunc est retrograda et vocatur Hesperus; ideo dicit pulcre, *che 'l sol vagheggia,* idest, quam Venerem tamquam vagam suam pulcerrimam sol pulcerrimus respicit, *or da coppa,* idest a tergo, et tunc est occidentalis, *or da ciglio,* idest, a fronte, et tunc est orientalis. Et subdit quomodo intraverit speram Veneris, dicens: *io non m' accorsi di salire in ella,* scilicet, stellam propter subitum transitum factum in instanti; *ma la donna mia,* scilicet, Beatrix, domina spiritualis, *ch' io vidi far più bella,* quia quanto magis ascendit magis exaltatur in lumine, quia magis (1) appropinquat ad Deum, et altiora videt; *mi fece assai fede,* per satis evidens signum, *d'esservi entro.* — *E come.* Hic autor describit animas luminosas positas in ista stella clarissima per pulcras comparationes. Ad quod est primo notandum, quod Venus secundum astrologos est planeta bene fortunatus significans mulieres, juventutem, instrumenta, solatia, otia, ornamenta, risum, gaudium, delectationem, amorem, suavitatem, amicitiam; et est calida et humida, habet colorem candentem et splendentem, et sibi adscribuntur omnes voluptates; ideo autor introducit in hac spera animas eorum virtuosorum, qui in vita fuerunt voluptuosi, et tamen bene viventes vel bene morientes. Dicit ergo: *E vid' io in essa luce,* idest, in Venere lucentissima, *altre lucerne,* idest, animas lucentes venereorum qui communiter sunt pulcri, *muoversi in giro,* idest, circulariter, quia motus est perfectus; et dicit: *più e men*

---

(1) 4, ipsa magis.

correnti, idest, veloces, *credo al modo di lor viste eterne,* idest, interiores, quasi secundum quod magis et minus vident et contemplantur Deum; et per hoc innuit differentiam graduum gloriæ ipsarum, a simili *come favilla si vede in flamma,* et est propria comparatio: favilla enim levis, lucida, ardens movetur raptim per flammam ardentem; ita et animæ venereorum moventur velociter quo flamma amoris trahit eos; *e come voce si discerne in voce,* sicut patet in choro canentium, *quando una,* scilicet vox, *è ferma e l'altra va e riede,* idest, revertitur: et est optima comparatio, quia venerei naturaliter sunt cantores, et diversæ voces cantantium concorditer faciunt dulcem sonum, et ita hic. — *Di fredda.* Hic autor describit repentinum accessum [1] illarum animarum versus eos per unam comparationem pulcram, dicens: *Venti o visibili o no,* nam vapores calidi sunt luminosi, ideo videntur: frigidi vero invisibiles sicut venti, *non disceser di fredda nube,* repulsi a frigida regione aeris, *tanto festini,* idest, tam veloces, *che non paresser impediti e lenti,* idest, pigri et tardi, *a chi avesse veduto quei lumi divini,* idest, illos spiritus luminosos, *venir a noi;* et est comparatio propria de ventis ad animas ratione velocitatis et visibilitatis [2]; unde quidam dixerunt animam esse ventum; et dicit, *lasciando il giro,* quia primo movebantur circulariter, ut dictum est, nunc vero fecerunt motum rectum, et per lineam rectam venerunt velocissime ad eos, *pria cominciato in gli alti serafini;* hoc dicit quia moventur secundum motum angelorum moventium illam speram, ut statim dicitur. Et exprimit cantum quem supra tetigerat per comparationem vocum, dicens: *Et Osanna.* Ista vox hebraica significat immensam affectionem mentis quæ non potest

---

(1) E. recessum. (2) E. invisibilitatis.

bene exprimi græce vel latine, sed tamen dicimus Salvator; *sonava dietro a quei,* idest [1], illis spiritibus, *che più innanzi appariro,* scilicet, Carolo, Cunitiæ, Fulco, Raab; *sì,* idest, tam dulciter, *che unque poi non fui senza disiro di riudire;* quasi dicat, quod semper postea desideravit reaudire; nam si mercuriales supra dulciter cantaverunt hanc cantionem in recessu, quanto dulcius isti venerei in accessu!

Indi si fece. Ista est secunda pars generalis, in qua Dantes in singulari introducit unum spiritum illustrem modernum de spera Veneris. Et ad cognitionem istius et suorum debes primo scire, quod Carolus II filius primi vir pulcerrimus corpore et luxuriosus valde, vivente patre, et post mortem patris, habuit multos filios ex Maria filia Stephani regis Hungariæ: quorum primus fuit Carolus Martellus, qui præmortuus est patri; secundus fuit Ludovicus, vir simplex, inutilis mundo, ideo factus est frater minor; tertius Robertus qui fuit rex post patrem, et alios plures. Carolus ergo primogenitus, cognomento Martellus, juvenis magnæ indolis, fuit vere filius Veneris quia amorosus, gratiosus, vagus, habens in se quinque invitantia hominem ad amorem, scilicet, sanitatem, pulcritudinem, opulentiam, otium, et juventutem. Cum isto Dantes habuit certam familiaritatem, cum venisset semel Florentiam cum ducentis juvenibus militibus accinctis in pari habitu vestium, et equis magnifice ornatis more neapolitano; quem mirabantur illæ sirenes; et cum plausu receptus est a florentinis: venerat enim obviam patri, qui redibat de Gallia, facta pace cum domino Jacobo rege Aragonum, apud quem habebat tres filios obsides, scilicet Robertum, Raymundum et Johannem: quo tempore Dantes florebat in pa-

[1] E. idest, in illis.

tria, juvenis viginti quinque annorum; qui tunc ardens amore, vacans sonis et cantibus, uncis amoris promeruit gratiam istius juvenis Caroli: sed Carolus iste uno et eodem anno reddidit animam Deo cum Clementia uxore sua. Nunc ad literam ergo: primo poeta ostendit quomodo hic Carolus benigne obtulerit se sibi ad omnia grata, dicens: *Indi,* idest, deinde, *l' un,* scilicet Carolus Martellus, et dicitur Carolus, quasi (1) carens lue, idest, labe vitiorum, *si fece più presso a noi,* quia recognovit autorem, *e solo incominciò,* supple dicere, cæteris audientibus et quiescentibus: *tutti sem presti,* ex ardore caritatis, *al tuo piacer, perchè di noi ti gioi,* idest, ut recipias profectum nobis (2), et referas aliis audita gloria nostra. Et assignat causam quare sunt ita (3) prompti, quia ardent omnes amore divino, sicut in mundo arserunt (4) amore vano. Unde dicit: *noi ci volgiam co' principi celesti,* idest, movemur motu thronorum, qui movent istud cœlum, *d' un moto, d' un girare e d' una sete,* idest, uno motu, circulatione, et desiderio. Ad quod nota quod autor vult quod novem ordines angelorum correspondeant novem speris cœlorum, sicut patet in hoc libro. Et ut reddat autorem attentum memorat sibi, quod ipse olim in vita dum esset amoratus affectuose direxit sermonem suum ad istos angelos; et dicit: *ai quali,* scilicet, principibus, *tu nel mondo,* idest, cum eras in mundo mortali in terris, *già dicesti: voi che 'ntendendo il terzo ciel movete,* idest, o vos intelligentiæ, quæ movetis tertiam speram Veneris: istud est principium unius cantionis, quam autor fecit de amore suo in juventute, ubi alloquitur dictas intelligentias in plurali, quia non loquitur ad modum philosophi qui vult quod una spera habeat solum unam intelligentiam mo-

(1) E. quia carens.
(2) E. e 4, ex nobis.
(3) 4, isti prompti.
(4) E. exarserunt.

ventem ipsam, sed catholice ponit unum ordinem angelorum; ideo subdit: *e sem sì pien d'amor,* meliori quam tu et nos (1) in mundo, *che, per piacerti, non fia men dolce un poco di quiete,* quasi dicat: si parum quiescimus a motu et cantu, ut loquamur tecum, non erit nobis minus dulce quam moveri et cantare dulciter ut prosit tibi et aliis (2). — *Poscia.* Hic autor ostendit quomodo de licentia Beatricis fecit (3) suam petitionem ad Carolum, dicens: *Poscia che gli occhi miei si furo offerti reverenti,* quasi (4) reverenter et tacite petentes, *alla mia Donna;* si enim Dantes in aliis duobus operibus, nunquam dicebat vel faciebat aliquid sine consilio scientiæ naturalis quæ figuratur in Virgilio, quanto magis nunc cum consensu (5) sacræ scientiæ in isto opere sacro? *et essa,* scilicet, domina gratiosa, *gli avea fatti contenti e certi di se,* scilicet conniventia oculorum suorum plenissimorum amore, *rivolsersi,* illi oculi mei, *alla luce,* idest, ad lucentem animam Caroli, *che tanto s'avea promessa,* quia gratis, non requisita, non rogata obtulerat se sibi tam liberaliter; *e la voce mia impressa di grande affetto,* idest, informata magna affectione similis voci Caroli, *fue,* idest, fuit talis, *deh! chi siete,* quasi dicat: suppliciter petivi cum reverentia magna, rogo vos dignemini dicere mihi quis estis? deh! enim est vox deprecantis (6), et loquitur in plurali ad maiorem reverentiam. — *E quanta.* Hic poeta ponit responsionem Caroli ad suam petitionem; et dicit, quod illa anima facta maior et pulcrior ex verbis autoris respondit de sorte sua in terris, quia facta (7) videbantur promittere ipsum utilem mundo; sed cito revocaverunt manum cum magno damno multorum. Construe sic literam quæ videtur fortis: *E così*

---

(1) 4, vos. (2) E. aliis ibidem. — *Poscia.* (3) E. e 4, fecerit.
(4) E. e 4, quia reverenter. (5) E. consilio.
(6) E. precantis (7) E. fata.

fatta, scilicet, illa lux facta tanta et talis, *quanta e quale vid' io lei far piue,* in magnitudine et luciditate, *per allegrezza nova;* ista anima fuerat læta in vita, erat (1) læta in cœlo, et nunc tertio facta est lætior ad petitionem autoris; unde dicit: *che s' accrebbe,* idest, multiplicata est, *quand' io parlai alle allegrezze sue, mi disse: il mondo m' ebbe giù poco tempo;* quasi dicat: parum vixi in terra, *e, se più fosse stato,* idest, si diutius vixissem, et successissem patri meo, sicut de jure debebam, *molto sarà di mal che non sarebbe,* quia melius gubernassem regna mea liberalitate, quam Robertus sua cupiditate, cum tota sapientia sua, qui exclusit filium meum a regno, ut postea dicitur. — *La mia.* Hic Carolus excusans Dantem quare non recognoscit (2) eum, manifestat se ab amore pristino, dicens: *La mia letizia,* quæ coniuncta cum luce reddit me pulcerrimum ultra modum humanum, *mi ti tien celato,* idest, incognitum tibi, *che mi raggia d' intorno,* idest, refulget lumine divino, sicut supra dicebat (3) Picharda de se in spera lunæ, *e mi nasconde,* a simili, *quasi animal di sua seta fasciato;* sicut patet in vermibus facientibus sericum, quorum forma fassiata serico non apparet, ita et anima velata lumine (4) non videtur. Et ut reducat eum in cognitionem sui rememorat sibi benevolentiam primam inchoatam in terra, quæ nunc perficitur in cœlo, dicens: *assai m' amasti,* et e converso ego te amavi, quia amicitia est amor mutuus manifestus; unde dicit: *et avesti bene onde,* quasi dicat: et habuisti bene materiam et causam amandi me, *che, s' io fossi giù stato,* diutius in vita, *io ti mostrava di mio amore,* qui erat in flore, *più oltre che le fronde,* idest, verum fructum. — *Quella.* Nunc Carolus, postquam descripsit se a virtute animi, describit se ab amplitudine

(1) E. erat etiam læta.
(2) 4, cognoscit.
(3) E. dicebat illa Picharda.
(4) 4, in lumine.

magnificæ [1] potestatis, quam expectabat in mundo si non fuisset morte præventus. Et primo describit provinciam, quæ spectabat ad eum, quia primo fuerat avi sui Caroli I ex hæreditate Raymundi Berengerii, ut patuit supra capitulo VI in fine. Dicit ergo: *Quella sinistra riva,* idest, provincia citra Rhodanum, *che si lava di Rodano,* fluvio rapacissimo, *poi ch' è misto con Sorga,* idest, postquam Sorgia fluvius purissimus admiscetur ipsi Rhodano apud Avinionem, cuius fons est notissimus diebus nostris potissime, quia novissimus poeta Petrarcha ibi diu suum studium fecit et magnam partem librorum suorum; de quo ipse dicit: *Sorgia rex fontium* etc., *per suo signore a tempo m' aspettava,* si supervixissem patri meo. — *E quel.* Hic Carolus describit secundum regnum proprium patris, quod expectabat habere. Et ad intelligendam istam literam oportet prius scire quod Italia, regina regnorum, est longa et stricta in modum navis, et tota insula, præterquam ex una parte. Nam a meridie per longum habet mare tyrrhenum, a septemtrione mare adriaticum, ab oriente pharum messanense, ab occidente autem clauditur altis montibus, qui dividunt eam a Gallia et Germania: et ut cito dicam, est similis tibiæ hominis cum tota coxa et pede. Nam coxa grossa est Lombardia, magna et potens provincia; deinde Tuscia, unde Roma est in genu istius Italiæ, et ita paullatim extenditur et extenuatur. Modo ad propositum: regnum Caroli continet medietatem [2] Italiæ versus orientem, habens in se Campaniam, ubi est Neapolis sedes regni, Apuliam, Samnium, Calabriam, et multas alias provincias, quas nunc describit a quibusdam terris et fluminibus confinalibus: et continetur istud regnum sub titulo Siciliæ. Nunc ad literam: dicit Carolus: *E quel corno d'Au-*

---

[1] E. e 4, magnæ.

[2] E. e 4, quasi medietatem.

sonia, idest, illa pars Italiæ. Ausonia enim fuit olim pars Latii, ubi fuit Roma et tot populi latini vicini, sicut patet per Livium et (1) Plinium: sed Ausonia ponitur pro Italia, sicut et Latium sæpe apud poetas, *che s'imborga,* idest, habitatur, *di Bari.* quæ est civitas super mari adriaco, nota titulo Nicolai, *di Gaeta,* quæ est civitas super mari tusco, denominata a nutrice Eneæ, *e di Crotona,* quæ est civitas in extremo Italiæ, quasi in puncta cornu; *da ove,* idest, in qua parte Italiæ, *Tronto,* qui est fluvius satis famosus apud Esculum civitatem inter Apuliam et Marchiam, *e Verde,* alius fluvius, in quem deiecta sunt ossa Manfredi, *in mare sgorga,* idest, labitur in mare tuscum. — *Fulgeami.* Hic Carolus describit tertium regnum, a quo denominatus est rex in vita et pervenit ad manus hæredis sui. Ad quod est sciendum quod Carolus Martellus coronatus est rex Hungariæ, vivente patre, per unum cardinalem legatum, mortuo Stephano rege Hungariæ sine hærede; et Carolus Humbertus filius eius obtinuit regnum; et ita debebat succedere in regno Apuliæ si Robertus non exclusisset eum; ideo numquam fuit contentus. Hic Hubertus pater fuit istius Ludovici potentissimi regis Hungariæ, qui diebus nostris tenuit multa regna. Martellus autem describit regnum Hungariæ solum ab uno flumine: nec mirum, quia nullus fluvius est maior in toto orbe occidentali, nullus habet longiorem cursum, nullus transit per tot nationes diversas, qui oritur in alpibus Germaniæ, et labitur per Austriam in Alamannia, deinde per Hungariam, Mæsiam, et innumerabiles gentes infidelium. Recipit in se sexaginta (2) flumina magna, et per sex vel septem ostia intrat in Pontum, idest, in mare maius; quorum quatuor dicuntur navigabilia, reliqua (3) non. Dicit ergo in litera:

(1) E. et per Plinium. (2) 4, quadraginta. (3) 4, reliqua vero non.

La corona, regale diadema, *fulgeami già in fronte,* licet quidam Andreasius de stirpe Hungariæ occupaverit regnum, *di quella terra,* scilicet, Hungariæ, *che il Danubio riga,* qui alio nomine dicitur Ister, *riga,* idest, balneat, *poi che le ripe tedesche,* Alamanniæ superioris, *abbandona.* — *E la bella.* Hic Martellus describit quartum (¹) regnum, quod sibi de jure debebatur et hæredibus suis, nisi ereptum fuisset de furto (²) Carolo I avo suo. Et describit artificiose insulam Siciliæ a mirabili antiquo monte, et mirabili (³) rebellione nova. Ad primum est primo sciendum, quod Ætna mons in medio Siciliæ est celeberrimus fama in toto orbe; qui olim semper ardens de alto cacumine suo emittebat globos igneos nunc plus nunc minus. Hoc autem erat ex materia sulphuris in visceribus eius, ut scribit Ovidius in XV Maioris, et (⁴) videbatur ibi prophetare, quia dicit quod veniet adhuc tempus quo Ætna non ardebit consumpta materia sulphuris. Unde Seneca scribit Lucilio quod vult scire ab eo de duobus mirabilibus Siciliæ, scilicet Charybdi et Ætna, quam dicit consumi et deficere ex hoc quod aliquando navigantibus longinquius solebat ostendi; et sic per tempora paullatim cessavit, ita quod hodie non apparet nisi aliquando fumus; et est mirabile quod circa radices eius mons est amœnissimus floribus, fontibus, viridariis. Poetæ autem multa fabulantur de hoc monte: fingunt enim quod Vulcanus deus ignis ibi fabricat fulmina Jovi, et quod Typhœus gigas fulminatus suppositus est monti, qui evomit tantum incendium. Per hoc Dantes moraliter (⁵) dat intelligi quod gigas, idest magnus superbus, recte velut Ætna ardens furore emittit flammas cum magno damno sui et aliorum, sicut recte patuit in Dionysio magno tyranno illius insulæ. Ad literam ergo; dicit Carolus:

(¹) 4, aliud regnum. (²) E. de facto. (³) E. et admirabili.
(⁴) E. e 4, et videtur ibi. (⁵) E. moraliter intelligit quod.

e la bella Trinacria, idest, Sicilia vere pulcerrima et fertilissima insularum, sic olim dicta a tribus promontoriis magnis, scilicet Lilybæo, Pachino, Pelloro, unde est triangulata, *che caliga,* idest, obscuratur fumo Ætnæ, et forte aliquando non fumabit, *sopra 'l golfo,* idest, mare siculum, *che riceve da Euro,* vento orientali, *maggior briga,* quia sæpius commovet ibi tempestatem. Et excludit causam fictam assignans rationem naturalem et dicens: *non per Tifeo,* vel Enchelandum, ut alii dicunt, vel est unus et idem, *ma per nascente solfo,* accensum ventis, *accesi avrebbe,* idest, accendisset ad amorem, vel secundum aliam literam, *attesi avrebbe,* idest expectasset, *li suoi regi ancora,* idest, successores meos, *nati per me di Carlo,* quia Carolus primus fuit avus meus, et Carolus secundus pater meus, et ego fuissem tertius Carolus si supervixissem patri meo, *e di Ridolfo,* imperatore, patre Clementiæ uxoris meæ. Et nota, quod Carolus primus adhuc sperabat alia duo regna, scilicet constantinopolitanum et cum illo hierosolymitanum, de quo erat jam titulatus, nisi fuisset mala dominatio, ut statim sequitur.— *Se mala.* Hic Martellus quasi incidenter tangit mirabilem Siciliæ rebellionem, tam memoria quam admiratione dignam; quæ breviter substringenda est tum ad posterorum exemplum, tum ad commendationem unius viri magnanimi. Johannes ergo de Procida, quæ est parva insula in mari neapolitano, olim notarius Manfredi, vir sagacissimus hominum, tactus atroci iniuria vesanæ libidinis francorum in uxore sua, rem prudenter dissimulavit; simulata aliquandiu prius publice dementia et servata occasione temporis, cum quibusdam proceribus Siciliæ habuit clandestina colloquia: et sicut erat vir prudens et potens in opere et sermone, totus Mercurii filius, multorum animos ad suum propositum inclinavit. Et volens incipere a capite, primo accessit ad Nicolaum Papam III

de Ursinis, quem sentiebat habere animum infestum contra Carolum; et ipsum pronum in suam sententiam faciliter traxit magna potentia linguæ, sed maiore pecuniæ. Et continuo lætus et impiger, reversus in Siciliam consocios confirmavit, et animosiores reddidit, recipiens a singulis instrumenta cum anulis. Reversus ad Papam dixit, quod tria erant necessaria ad tam ardui operis complementum, scilicet consensus eius in scriptis, pecunia, et gens militaris. Et cum auxilia excogitata indicasset, obtentis literis a Papa, transvolavit ad Petrum regem Aragonum, quondam Manfredi generum, avidum ultionis, virtute animi et viribus corporis nulli suo tempore secundum, cui omnia exposuit pertractata. Et promissa pecunia pro negotio adimplendo cum literis regis continuatis dictis [1], jam plenus spe Johannes magnanimus properavit ad Imperatorem constantinopolitanum, cuius res agebatur, quia Carolus jam magna classe et numeroso exercitu imperium eius parabat invadere, et sperabat auferre; ideo Johannes de habenda pecunia factus securus, ad regem Aragonum est reversus, et cum illo composuit, ne Carolus aliquid suspicaretur, ut se in Africam contra Carthaginem cum exercitu velle ire fingeret; et sic auxiliares mercenarios et subditos milites procuraret. Papa omnium conscius præstabat illi favorem sub ficto colore fidei christianæ. Rege tandem transeunte versus Africam, Johannes rediens in Siciliam effecit, quod res tanto labore et sudore concepta produceretur in lucem et partum. Unde siculi præordinata die et hora omnes gallicos indifferenter trucidarunt sine misericordia; immo furore inhumano in nondum natos crudeliter sævientes scissis prægnantibus, fœtus ad saxa alliserunt, ne odiosa eis soboles superesset in regno. Et ecce Petrus

---

[1] E. continuatis edictis.

ex pelago Africæ cum omnibus copiis Messanam applicuit. Sic igitur Johannes mira arte et non credita eripuit Siciliam Carolo, anno sextodecimo postquam tenuerat illam nobilem insulam; pro qua habenda tot et tanta prœlia olim gesta sunt inter Romam et Africam. Nunc est descendendum ad literam. Dicit Carolus: nobilis insula Siciliæ pervenisset ad descendentes meos, *se mala signoria,* francorum cum superbia, luxuria, avaritia importabili, *che sempre accora,* idest, necat, vel accendit ad iram, *li popoli suggetti, non avesse mosso Palermo,* nam apud Panormum incœpit tumultus, *a gridar: Mora, mora.* Nec umquam Carolus postea, vel sui descendentes potuerunt recuperare Siciliam; imo ipse Carolus cito ex dolore mortuus est, relicto filio capto, et regno Apuliæ in magna confusione. — *E.* Hic Carolus persuadet fratri suo, ut exemplo avi sui territus caveat ne accidat sibi simile in regno suo, quia habebat officiales avaros in terris suis, qui acquirebant sibi pecuniam et regi infamiam. Dicit ergo: *E se mio frate,* scilicet, Robertus, *questo antivedesse,* quasi dicat: si ex hoc malo præterito prævideret vel præconsideraret suum, jam provideret sibi; unde dicit: *l' avara povertà di Catalogna,* hoc dicit, quia rex Robertus quando stetit in Aragonia, cuius pars maritima vocatur Catalonia, obses pro patre suo, acquisivit amicitias et familiaritates multorum, quos postea in Italia promovebat ad officia, qui noverant [1] bene accumulare. Ad quod duo impellebant eos, scilicet, paupertas, quæ suadet homini furtum et rapinam; et avaritia, quæ reddit hominem ingeniosum ad omnia illicita lucra. Unde bene Africanus minor consultus in senatu, uter duorum debêret mitti ad regendam provinciam, respondit: neuter, quia alter nihil habet, alteri nihil sufficit. Et vere cata-

---

[1] E. voluerunt.

lani reputantur homines cordati et sagaces inter hispanos; et dicit: *perchè non gli offendesse,* sicut superba luxuria francorum offendit animum suum. Et subdit periculum imminens, cum dicit: *chè veramente provveder bisogna per lui,* scilicet regem, *o per altrui,* scilicet, habentem potestatem ab eo, *sì ch'a sua barca carcata,* idest, suo regno oppresso gravaminibus, *più di carco non si pogna,* idest, non apponatur plus oneris. Et est pulcra metaphora; nam rex regit regnum, sicut nauta navim: sicut ergo peritus nauta quando imminet naufragium diminuit de onere, ita sapiens rex quando videt periculum minuit de gravamine, non (¹) addit. — *La sua.* Hic ultimo Carolus concludit, quod rex avarus nollet habere officiales avaros, dicens: *La sua natura che è parca,* idest, avara, *discese di larga,* scilicet, ex patre liberali; vel dic: ex liberalitate descendit in parvitatem; *avria mestier di tal milizia,* idest, curialibus et officialibus, *che non curasse di mettere in arca,* idest, reponere pecuniam. Et hic nota, lector, quod non solum judicatura vulgi, sed etiam sententiæ sapientum multum discordant in facto istius famosi regis; unde duo poetæ florentini sunt sibi contrarii in scribendo. Nam judicio meo Petrarcha nimis commendat eum semper et ubique, dando sibi omnes artes et omnes virtutes, quia fuit multum honoratus ab eo, et promotus ad lauream quam recepit in capitolio Romæ: Dantes vero nimis culpat eum ab avaritia, quam ipse habuit nimis odio. Et vere istud vitium posuit non parvam maculam in gloriam tanti regis; unde possem narrare aliqua digna censoria nota, quæ ex cupiditate fecit; ideo bene cancellarius suus cum Robertus diceret: spiritus, ubi vult, spirat; jocose dixit: et Robertus, ubi vult, pilat.

(¹) E. et non addit.

Perocch' io credo. Ista est tertia et ultima pars istius pulcri capituli, in qua poeta movet Carolo pulcram quæstionem quæ oritur ex dictis. Ideo ut reddat eum benevolum præmittit pulcrum exordium, in quo vult sententialiter dicere: lætitia quam dedisti mihi ex jocunda narratione tua est mihi grata de se; secundo est mihi gratior quia (1) cognoscis ipsam et me, sicut egomet cognosco; tertio quia hoc cognoscis in Deo qui est ipsa veritas: ideo ex hoc præsumo movere tibi dubium, quia tu plenus amore videns me tantum lætari in sermone tuo libenter declarabis me. Nunc erit litera clara, quam tu ordina sic: *O signor mio,* cuius sum servus ex amore; *perocch' io credo che l' alta letizia,* idest, profunda, *che 'l tuo parlar m' infonde,* idest, immittit in cor meum, *per te si veggia in me come la vegg' io, là ove ogni ben si termina e s' inizia,* idest, in Deo qui est principaliter principium et finaliter finis omnium bonorum; *grata m' è più e anche questo ho caro,* imo carissimum, *perchè 'l discerni rimirando in Dio,* sicut in speculo, in quo relucet omne verum; ergo, *fatto m' hai lieto,* dicendo mihi tam aperte veritatem, *poichè parlando,* de fratre tuo (2), *a dubitar m' hai mosso,* et ecce dubitationem: *come uscir può di dolce seme amaro,* idest quomodo amarus fructus potest nasci de dulci semine, quasi dicat: quomodo ex patre liberali potest nasci filius avarus. — *Questo.* Hic autor ponit responsionem Caroli ad petitionem suam: et primo ostendit qualiter fecit eum attentum ad dicenda promittens sibi certum principium necessario præmittendum ad veram solutionem; unde continuans dicta dicendis dicit: *Questo io a lui,* supple dixi quod dictum est: *et egli a me,* supple Carolus dixit: *s' io posso mostrarti un vero,* si, pro quia, quia possum tibi demonstrare clare unum princi-

(1) E. e 4, quia cognosco ipsam in me, sicut.

(2) 4, meo.

pium verum, quod nullus sanæ mentis negabit; ideo dicit: *a quel che tu dimandi*, cum tanto ardore animi, *terrai il viso,* scilicet rectum, *come tieni il dosso.* Et hic nota quod autor tenebat faciem inclinatam premente pondere nimiæ admirationis. Et vere sæpe sapiens miratur, unde proveniat quod ex viro probissimo nascatur filius vilissimus, sicut patuit in Scipione et Cicerone, quorum alter habuit filium vilem et tristem; alter non solum tristem sed ebriosum. Sed non oportebat quod autor peteret aliunde exempla, quia ipse hostis avaritiæ habuit filium eius amicum; ideo bene tenebat faciem (1) incurvatam cum nunc faceret talem quæstionem; et ita e contra accidit aliquando quod ex pessimo patre oritur optimus filius. — *Lo Ben.* Hic Carolus incipit respondere ad dubium (2), et per longum discursum (3) vult breviter dicere, quod ad bene esse mundi requiritur diversitas personarum quæ procedit primo a causa prima, scilicet providentia Dei; secundo a causa secunda, scilicet influentia cœli; et ultimo ab industria hominum: ideo primo incipit a præmisso principio, et dicit quod Deus ordinavit virtutem in cœlis per quam producunt et disponunt in actum illud quod expedit universo. Dicit ergo: *Lo Ben,* scilicet Deus qui est immobilis ipse, *che volge e contenta il regno,* idest, cœlum, *che tu scandi,* idest, per quod tu ascendis de spera in speram, *fa virtute,* idest, influentiam, *essere in questi corpi grandi,* scilicet cœlis et planetis, *sua provvidenza,* idest, per suam providentiam. Et declarat hoc dicens: *e non pur le nature son provedute nella mente,* scilicet, divina, *ch' è da sè perfetta,* non ab alio sicut cæteræ ab ipso, *ma esse,* scilicet naturæ etiam, *insieme,* sunt provisæ, *con la lor salute,* idest, cum omni eo quod expedit ad earum salutem. Et concludit

(1) E. faciem eius incurvatam.
(2) E. dubium per longum discursum quo vult. (3) 4, digressum.

ex hoc, *perchè quantunque questo arco saetta,* idest quicquid cœlum dirigit virtute sua, *cade disposto a provveduto fine;* unde nihil est bonum nisi per causam finalem, sicut ars medicinalis ad sanitatem, et militaris ad victoriam, a simili, *sì come cocca in suo segno diretta,* quæ dilatatur plus et minus secundum potentiam naturæ suæ. — *Se ciò.* Hic Carolus probat præmissum principium per hoc, quod isto destructo sequeretur destructio et perversio universi (1); unde dicit: *Se ciò non fosse,* sequeretur istud inconveniens, *il ciel che tu cammine,* idest, per quod vadis mentaliter contemplando mirabilia opera eius, *producerebbe sì li suoi effetti, che non sarebber arti ma ruine.* Et probat hoc esse impossibile ratione demonstrativa, quia ad tale magnum inconveniens sequeretur aliud maius et aliud maximum. Unde dicit: *e ciò esser non può se gl' intelletti,* idest intelligentiæ, *che muovon queste stelle,* idest orbes planetarum et stellarum, *non son manchi,* idest defectivi, *e manco il primo,* scilicet Deus, qui est primus intellectus et primus motor, *che non gli ha perfetti,* idest non fecit angelos perfectos, qui tamen sunt perfectiores omni creatura. Et quia hoc videtur satis declaratum, dicit Carolus: *vuo' tu che questo vero,* idest, principium demonstratum, *più ti s' imbianchi?* idest, magis declaretur tibi alia ratione? Et ponit responsionem suam, dicens: *et io:* supple, dixi, *non già,* quasi dicat, certe nolo aliam probationem, *chè impossibile veggio,* supple esse, *che la natura in quel ch' è uopo stanchi,* idest, quod natura deficiat in necessariis sicut testatur philosophus in multis locis. Et hic nota quod natura non deficit in necessariis, quia dedit homini rationem per quam potest acquirere omnem artem, et per consequens omnia necessaria procurare. Et natura nunquam fallitur, licet non co-

(1) E. universi mundi; unde.

gnoscat, quia dirigitur ab infallibili directore, scilicet a Deo et intelligentiis; unde semper operatur ordinate [1] et perfecte. — *Ond'egli*. Nunc Carolus, ostenso quod Deus et natura disponit omnia in bonum finem, ostendit quod natura quæ principaliter gerit curam de homine non solum fecit ipsum animal rationale sed etiam civile. Unde nota quod communicatio civilis ad humanam vitam non solum est utilis sed necessaria; ideo soli homini dedit sermonem per quem alii significaret expediens ad salvandam et ornandam vitam. Et quia multis indiget ad hæc quæ natura non dedit, ideo diligentia hominis inventæ sunt multiplices artes, quibus humana indigentia suppleretur [2]. Nam homo propter nobilitatem suæ complexionis non potest vesci [3] fructibus simpliciter; ideo reperiit usum panis cum tanto labore: et quia non potest esse contentus sola sua pelle, ideo invenit vestem cum tanto artificio contra tot incommoda naturæ. Item quia non posset vivere in cavernis, excogitavit domum * multipliciter: bivarus enim bene fabricat mirabiliter domum * [4] in aqua, et hirundo nidum, et aranea telam a natura non ab arte, quia nesciret aliter operari. Mulier autem indiget obstetrice, et tamen sæpe periclitatur in partu: ideo homo incivilis per naturam non per fortunam aut pravus est, aut melior quam homo. Nunc ad literam dicit autor: *Ond' egli ancora,* scilicet Carolus dixit: *or di':* post ista dicta naturalia veniamus ad moralia; *sarebbe il peggio per l'uomo in terra se non fosse cive?* idest, si non viveret civiliter sicut [5] bruta? Et subdit responsionem suam, dicens: *rispos' io: sì,* idest, certe sic quod esset peius; et dicit: *e qui ragion non cheggio,* quasi dicat: non expendas tempus in probando istam

---

(1) E. directe et perfecte. (2) 4, suppleatur. (3) E. uti fructibus.
(4) Le parole fra i due asterischi son supplite dai Codici 4 e Estense.
(5) E. sed sicut bruta? Et.

conclusionem, quia scio quod Aristoteles nobiliter probat eam per longam deductionem. Et ad declarationem huius adducit quod talis civilitas non potest haberi nisi per diversa studia hominum; unde ponit aliam interrogationem Caroli dicentis: *e può egli essere,* scilicet quod homo sit civis in mundo, *se giù non si vive,* ab hominibus diversis, *diversamente per diversi uffici?* Et respondet autor: non potest esse; et adducit optimum testem, dicens: *no, se 'l maestro vostro,* scilicet Aristoteles, quem Avicenna vocat magistrum primum, *ben vi scrive.* Et hic nota quod Aristoteles cum in omnibus fuerit magnus, in moralibus tamen fuit maximus; Plato tamen magis enituit eloquentia: unde Aristoteles vir excellentis ingenii eloquio Platoni impar; non tamen hic magister omnia scivit sed plura quam alius. — *Sì venne.* Hic poeta ex præmissis ponit conclusionem Caroli; unde dicit continuative, *sì venne deducendo,* de ratione in rationem, *insino a quici,* idest ad hunc punctum; *poscia conchiuse: Dunque le radici,* idest, causæ, *de' vostri effetti conviene essere diverse,* ad bene esse hominis, ad decorem universi. Et probat diversitatem effectuum per diversa exempla, dicens: *perchè un,* idest, aliquis homo, *nasce Solone;* Solon fuit philosophus atheniensis, unus ex septem sapientibus, qui dedit leges civibus suis, quibus illa clarissima civitas venit ad tantum culmen, *et altro Xerse;* Xerses fuit directe contrarius Soloni, quia (¹), teste Tullio, evertit templa et aras, religionem et leges violavit. Fuit enim rex persarum potentissimus, qui contra Græciam inauditum duxit exercitum; sed debellatus a Leonida duce lacedæmoniensium, infelicissime redivit in Persiam; *altro Melchisedech,* qui primus fuit rex et sacerdos, qui occurrit Abraæ redeunti a victoria trium regum; et primus

---

(¹) 4, qui, teste Tullio.

obtulit Deo panem et vinum, in quo præfiguratus [1] est Christus qui fuit rex et sacerdos, sine matre in cœlo, sine patre in terra; *ed altro quello,* scilicet Dedalus ingeniosus, *che volando perse il figlio,* idest, perdidit Icarum filium suum, qui cadens in mare suffocatus est, ut alibi dictum est. — *La circulare.* Hic Carolus facta conclusione sua declarat unum quod dictum est supra de natura cœli, quæ infundit virtutem suam ubique ad diversos effectus producendos; sed non distincte, quia in filium rustici infundit magnanimitatem interdum, et in filium regis vilitatem. Et ideo nota bene quod omne agens naturale conatur assimilare sibi pasum [2]. Unde pater naturaliter deberet generare filium sibi similem, et quoad lineamenta membrorum et quoad qualitatem morum; unde sapiens naturaliter facit sapientem, fortis fortem; sed multa impedimenta naturæ faciunt ipsum dissimilem: unde cum vir deberet facere virum, sæpe tamen facit fœminam, quæ est vir occasionatus teste philosopho, idest occasionem passus ex defectu caloris vel ex inobedientia materiæ. Dicit ergo: *La natura circular,* idest cœlestis, *ch' è suggello,* idest, imprimit formam more sigilli, *alla cera mortale,* idest, in materiam inferiorem, *fa ben su' arte,* idest, bene facit diversos effectus in nobis, ut prædicitur; *ma non distingue l' un dall' altro ostello,* idest, unum hospitium ab alio, scilicet corpora receptibilia formarum, sicut corpora quæ sunt receptibilia animarum; immo, quod mirabilius videtur, sæpe in eumdem uterum simul infundit diversitatem magnam, sicut videmus in multis gemellis. Ideo subdit: *quinci,* idest, ab ista natura cœlesti, *addivien ch' Esaù si diparte da Jacob,* qui fuerunt fratres eodem partu nati, et tamen fuerunt ita diversi et adversi, *per*

---

[1] S. e 4, figuratus. [2] E. sibi passum.

seme; quamvis enim fuerint concepti ex eodem spermate, tamen fuerunt sibi contrarii antequam nascerentur, ut patet ultimo capitulo huius libri; et sola variatio zenith potest esse causa tantæ diversitatis. Similiter Romulus et Remus fuerunt fratres gemelli, ambo viri fortes et strenui, et præcipue Romulus magnanimus et magnificus, rex victor regum, sicut dictum est supra capitulo VI, et tamen nati sunt ex tam vili patre quod ad celandam infamiam turpis adulterii dictum est et creditum vulgo, quod erant filii potentissimi (1) Dei, scilicet Martis. Dicit ergo: *e vien Quirino,* idest, Romulus sic dictus quia hastatus solebat incedere; nam quiris in lingua sabina idem est quod hasta; *da sì vil padre,* scilicet ex sacerdote vili, otioso, ubi Romulus fuit bellicosus, inquietus, *che si rende a Marte;* sed vere potuit dici filius Martis, quia bellator victoriosus et autor populi bellicosi romani. Hoc etiam fictum est ad animandum populum ad virtutem fortitudinis; sed sicut ficte natus est ex Deo, ita ficte factus est Deus post mortem. — *Natura.* Hic Carolus ostendit quomodo dicta natura cœlestis vincit naturam humanam. Et ad intellectum huius literæ est bene notandum, quod licet anima generantis infundat virtutem suam quæ est in spermate ad formationem filii, non tamen dat intellectum et rationem, quia datur ab extra; et est res separata, in qua est voluntas et libertas arbitrii, per quam filius potest degenerare a patre in virtute et moribus, immo etiam sæpe degenerat in complexione corporali, quia non solum pater generat filium, sed virtus (2) solis et totius cœli. Dicit ergo in litera: *Natura generata,* quam appellat generatam ad differentiam naturæ cœlestis, quæ fuit creata de nihilo immediate a Deo (3), ut jam patuit ca-

(1) 4, potentis. (2) 4, virtute. (3) E. ab omnipotenti Deo.

pitulo præcedenti, *farebbe sempre il suo cammino,* idest, cursum, *simil ai generanti,* idest, faceret filios similes parentibus, *se non vincesse il provveder divino,* mediante virtute cœlesti: hoc autem facit ut recognoscatur ab eo. — *Or.* Hic ultimo Carolus, declarata conclusione generali, addit unam conclusionem specialem, scilicet, quod inclinatio naturalis non sufficit ad effectus hominum, si fortuna non concordat secum, sicut videmus de facto: multi quos natura fecit mechanicos philosophantur illa invita; et e contra aliquos aptos natos ad philosophiam fortuna detinet in campis, in bancis artificum, in sedibus navium; unde miramur aliquando, quod in medio mari inveniuntur nobilia ingenia, in studio vilia; et sicut non prosperantur, tamen difficile est vincere naturam. Ad literam ergo Carolus continuans dicta dicendis promittit hanc conclusionem autori, ut reddat eum attentum, dicens: *or quel che t' era dietro,* idest, absconditum tibi, *t' è davanti,* scilicet ante oculos mentis manifestum; *ma voglio che t' ammanti,* idest, superinduas tibi ultra primam vestem pulcram, *un corollario,* idest, unam conclusionem claram spiritualem: corollarium enim dicitur a corolla, idest, parva corona, quia datur quasi in præmium disputanti; *perchè sappi che di te mi giova,* quia fuisti amicus meus in terris, et nunc in cœlo gratia Dei et virtute tua vivens talia quæris. Et ecce corollarium: *natura,* scilicet naturata, *sempre fa mala prova,* quia non exercet virtutem suam, *se trova fortuna discorde a sè,* quia si filius fabri habet dominium (1) ascendentis dantem sibi influentiam regalem, faber non poterit consequi effectum; a simili, *come ogni altra semente,* scilicet facit malam probam, *fuor di sua region,* scilicet, in loco non convenienti sibi, sicut piper non pro-

(1) E. dominum.

ficit in parte frigida, et leo non vivit in (1) septemtrionali climate. — *E se il.* Hic ultimo ex dictis Carolus dat unum utile consilium (2) viventibus in mundo sub fortuna, videlicet ut concordent fortunam suam quantum possibile est; unde dicit: *E se il mondo,* idest, viventes in mundo inferiori, *ponesse mente laggiù al fondamento,* idest, habilitati, *che natura pone,* cuilibet homini, *seguendo lui, avria buona la gente.* Et subdit quod homines sæpe faciunt oppositum, dicens: *ma voi torcete,* contra naturalem inclinationem, *alla religione,* idest, facitis religiosum et sacerdotem, *tal che fia nato,* idest, esset aptus natus, *a cingersi la spada,* idest, militari scientiæ; et e converso, *e fate re di tal ch'è da sermone,* idest, qui esset bonus religiosus, qui scit bene sermocinari. Et videtur hoc dicere pro rege Roberto qui bene faciebat sermonem et multum delectabatur. Et certe sermonem non bene facit nisi qui est sapientia imbutus. Et vere quicquid dicatur, hic rex fuit civilissimus, moralissimus, librorum amator, literatorum amicus, qui novit dare dignis; sed poeta caute fingit Carolum dicere ista, qui voluisset potius Robertum fieri fratrem Minorum (3), quam regem, ut regnum pervenisset ad hæredem suum. Et concludit finaliter: *onde la traccia vostra è fuor di strada,* idest, vestigia vestra sunt extra viam naturæ etc.

(1) E. in septimo climate. (2) 4, exemplum. (3) E. Minorem.

FINIS TOMI QUARTI.

INDEX TOMI QUARTI.

COMENTUM PURGATORII.

COMENTUM PARADISI.